PLVTARCHI OPERA

PL
C

VIT

GUIL
Inte

ACCE

CVM

Sumpt



# PLUTARCHI CHAERONENSIS, SUMMI PHILOSOPHI ET HISTORICI, VITÆ PARALLELÆ, SEU Comparatæ,

*GUILIELMI XYLANDRI AUGUSTANI Interpretatione, postremo recognita, & quamplurimis locis emendata ad textum Græcum.*

ACCESSERUNT CAPITA UNICUIQUE tractatui addita, summo lectoris excerptorisque commodo.

*CVM ANNOTATIONIBVS, APPENDICE ITEM ad Vitas comparatas, & ternis Indicibus copiosissimis.*

TOMUS I.

*ARGENTORATI,*
Sumptibus Hæredum LAZARI ZETZNERI.

M. DC. XXX.

Ex Lib. PP. Eremit. Camaldulen. Montis Regij ppe Varsaviam

H. V. 10. (a)

# GUILIELMI XYLANDRI AUGUSTANI IN SUAS ANNOTATIONES, IN QUIBUS multa PLUTARCHI loca restituuntur, multa emendantur, multa explicantur, quædam quoque ex aliis auctoribus eodem modo tractantur, ad

## LECTOREM PRÆFATIO.

*EX his meis Annotationibus facile eruditi candidoque præditi ingenio Lectores intelligent, cum qualis hactenus in manibus hominum fuerit Plutarchus Latinus, tum qualem nos dederimus. Interpretum aliquot insignia errata hic demonstravi, non profecto alia de causa, quam ut mei operis rationem redderem: aliosque etiam qui de Græcis libris Latinos facere student, sui officii monerem. Omnia vero & Græci librarii, & interpretum persequi si voluissem errata, aut ubique edere meæ versionis causas, in immensum hac lucubratio excrevisset, atque haud scio an ipsum Plutarchi opus aquasset. Permulta etiam sunt, quæ uti in Græco repereram, atque apud interpretes, ita reliqui: non quod mihi satisfieret, aut quod mendum subesse non animadverterem: sed quia non veniebat in mentem, quo pacto emendare possem. Id præsertim in propriis nominibus sæpe mihi usuvenit. Statueram etiam annotare, ubi ea quæ à Plutarcho scribuntur, ab aliis bonis scriptoribus eodem vel alio modo referrentur: atque etiam*

*iam παραλειπόμενα addere, si quid (ut sunt non contemnenda quædam) ad vitam alicujus pertinens Plutarchus prætermisisset, sed longitudo operis futuri, molesq; me ab instituto retraxit. itaque ea vel aliis indaganda, vel mihi suo commodiori tempore ac loco perscribenda reliqui.*

*Hæc ipsa qualiacunque sunt, grato animo probus Lector accipiat, bonique consulat.*

AD

# AD ILLVSTRISSIMVM ATQVE PIISSIMVM PRINCIPEM FRIDERICVM, COMITEM PALATINVM AD RHENVM, S.R.IMPERII Dapiferum maximum, & Septemvirum Electorem, Ducem Bavariæ, &c. Principem ſuum, Dominumque clementißimum:

## GUILIELMI XYLANDRI AUGUSTANI in Plutarchum ſuum:

## PRAEFATIO.

CUM omnis noſtra vita, PRINCEPS clementiſſime, atque Illuſtriſſime, ad imitationem DEI OPT. MAX. compoſita eſſe debet (qua in re veræ virtutis ſtudium conſiſtit:) tum nulla eſt alia virtus, qua ad Dei exemplum homo propius accedit, quam miſericordia, humanitate, beneficentia. Verùm hæc ipſa ſecundum DEUM & maximè conveniunt iis, quos ille in regendo humano genere vicarios ſibi conſtituit, deoſque eam ob rem nominare non eſt dedignatus: & neque ſalubrius Reipublicæ, neque gravius ſubditis, neque pulchrius aut laudabilius omnino quicquam humano & liberali Principe exiſtere poteſt. Quæ ego nomina tibi PRINCEPS ampliſſime, non tribui modo jure tuo, de multorum ac gravium virorum ſermonibus cognovi; ſed & facta tua cum prædicatione eorum comparans, intra modum te à tuis laudari exiſtimare potui. Quæ enim digna laus, quod præconium pietati tuæ, & veræ religionis amori, cultui atque defenſioni par cogitari poteſt? An quiſquam ignorat, quantis quámque continentibus pro Eccleſiæ Dei & Reipub. Chriſtianæ ſalute, tranquillitate, atque amplificatione curis cogitationibuſque detineare? Non enim vera tantùm pietate DEUS generoſam tuam mentem imbuit, itaque formavit, ut ſyncero æterni numinis cultu nihil antiquius ducas, omniaque tibi præ eo ſordeant; ſed & animum ejus defendendi, omniaque opera & labore protegendi tribuit. Itaque ergo difficilima hac tempeſtate (qua vetuſtus ille veritatis hoſtis non tantum debac-

chatur apertè, mirisque modis contra eam contendit, sed occultis etiam insidiis, ac subtilissimis technis eam, & quasi cuniculis quibusdam subruit) facile omnes pii intelligunt, quantis vigiliis, solicitudinibus, curisque, conatibus ejus resistas: quantum in conservanda ecclesia, ejusque pia concordia & pace constituenda elabores; quantum in ejus seminaria (Scholam inquam tuam, & collegia, quæ pios viros & administrationi sacrarum ac civilium rerum idoneos educent atque suppeditent) sumptum facias. De quibus ego ne hoc loco verba faciam, ipsa rei moles prohibet; quinimo quicunque ea verbis æquare conabitur, id nimirum unum consequetur, ut judicetur magna (quod ajunt) modis tenuasse parvis. Ut de beneficentia aliquid dicam, ea est tua non tantum in decernendo beneficio humanitas, sed etiam in maturando alacritas, ut hanc ipsam Plutarchi mei editionem tua in me sublevando munificentia anteverterit; & quam institueram petitionem, ea mihi in gratiarum actionem commutanda fuerit, nisi re quam verbis pietatem declarare meam satius ducerem. Non ergo mirabitur quisquam, me lucubrationi meæ illustrissimum tuum nomen, veluti tutelaris alicujus numinis signum, præscripsisse: cum intelligat, me non jam insinuare in tuam benevolentiam, sed pro beneficio, quo abs te sum affectus eximio, qualemcunque grati animi testificationem à me exhiberi. Diu me fortunæ iniquitas presserat, ita quidem, ut sæpenumero de studiis meis liberalibus, in quibus mihi post pietatem sunt omnia, tantum non desperarem. Infelices prope omnes mei erant conatus, ingratique labores, & omnino aerem (ut ita loquar) videbar ferire: spes plerunque ad irritum cadebant, unguisque erant in ulcere, atque ægritudinem falsæ augebant. Id unum non fefellit, quod fretus Dei bonitate, certo mihi persuadebam extiturũ aliquem, qui indigne afflictis meis rebus opitularetur: & quanquam sæpe frustra laborassem, fore tamen aliquando, ut in nomine Dei jacto reti, bonam traherem prædam. Itaque cum hac laboriosissimæ meæ lucubrationis dedicatione (quod nihil aliud suppeditabat) quærere aliquem vindicem meis rebus & patronum cogerer: non virtus modo, Illustrissime PRINCEPS, tua me excitavit, sed & occasio confirmavit ut id auderem, quod feci. Ad quem enim

alium

alium honeſte confugiſſem, te præterito, ſcholæ ejus, in qua pro virili mea bonas artes ipſe docem atque tueor, auctorem, inſtauratorem, atque amplificatorem? potui ne ſine periculo in quoquam alio homine majorem fiduciam collocare? Niſi forte timere debui, ne, qui Scholam hanc tanta libertate & cura foveret ac augeret, is eorum qui in ea bonas literas publice docent, res cordi ſibi eſſe nollet: & qui multos adoleſcentes nullo dum ſe exerente fructu, ſpe tantum bona ductus, aleret, eum indigna fortuna oppreſſi viri, ſi non docti, at non ineruditi ſaltem, & cujus non contemnenda eſſent in promptu diligentiæ & laborum tolerantiæ, connatuſque remp. literariam amplificandi documenta, rationem non habiturum? Hoc de inclytis laudatiſſimi Principis virtutibus aliquis barbarus ferat, omniſq; honeſtatis oſor, judicium. Me jam tum, cum ſæpe recordatione priſtinarum & præſentium ſenſu miſeriarum labefactatus cum deſperatione quaſi colluctarer, Satyricum illud conſolatum eſt, inque meliorem erexit ſpem: quod ille de ſuo Trojano, nos de te, Friderice Princeps omni laude cumulatiſſime, Muſiſque defendendis nate, canere verè poſſumus:

*Et ſpes & ratio ſtudiorum in Principe tantum:*
*Solus enim triſtes hac tempeſtate Camœnas*
*——Reſpiciet.*

His ergo fretus, obtuli me tibi: & quidem duos mecum deprecatores, miſerias videlicet meas & Plutarchum, adduxi: quorum alteræ miſericordiam tuam commoturæ, alter liberalitatem excitaturus videbatur. Neque enim eos mihi imitandos ducebam, qui peſſimo exemplo, parumque ingenue, cum maxime captandi muneris cauſa lucubrationes ſuas Principibus viris inſcribunt, neſcio quibus tamen utuntur præſcriptionibus, dum quidvis potius fateantur, quam ſe beneficium petere. quibus intelligebam reſponderi commodè poſſe id, quod apud Ariſtotelem Lesbia illa Camœna reſpondit Alcæo: Si honeſtum eſſet quod peterent, non eſſe cur id diſſimularent. Facile autem impetratum eſt abs tua clementia, ut homini indignè oppreſſo ſubveniret, eumque ſua ſublevaret benignitate. Memoria tenebas, ſapienter ab Anaxagora dictum ad Periclem, à quo negligentius habebatur: Eos qui lucerna uti vellent, oleum ei affundere.

Sentiebas, eruditis tibi,& reip.literariæ ſtudioſis hominibus opus eſſe ad Scholam tuam tuendam, amplificandamque,& obſtruendos barbariei ingruenti aditus: id autem genus artium (quod ego tracto) quæ ad humanitatem pertinent, mirificè ad eam rem conducere. Ac providebas, non ſummos modo viros, quales hic foves aliquot, ſed & mediocres, ac quorum ſi non ſingularis doctrina, at ſtudium tamen & opera laudem mereretur, alendos, educandos,evehendoſque ad altiora eſſe. Non te fallebat, multorum pulcherrimis conatibus iniquitatem fortunæ obſtare. Et movebat te prudentiſſimum Athenienſium factum:qui cum Phormionem bello Peloponneſiaco claſſi præfeciſſent, virum ut probum, ita egenum: iſque imperium recuſaret,quod ſe obæratum, animo propterea obnoxio eſſe,neque ſatis auctoritatis apud milites, neque ad cogitandam belli adminiſtrationem mentis ob privatas ſolicitudines habiturum diceret: ex ærario pecuniam creditoribus ejus curaverunt. iſque ita tranquillitate animi parta, victis apud Corinthum Lacedæmoniis,optimam patriæ gratiam retulit. Et te quoque de Xylandro tuo præclari aliquid ſperare (ſiquidem reſpirare à continentibus miſeriis ope tua poſſet) tua jubebat humanitas. Itaque ergo vertente ad melius rerum mearum ſtatu, & me ad tuam devoluto Magnificentiam, id ſum abs te conſecutus, quo nihil debui neque potui magis in votis habere, & quod aliquot per annos graviſſimis laboribus abſque ullo pene ſucceſſu quæſiveram. Pro quo immortali beneficio, equidem ex animo polliceor gratias me illuſtri tuæ munificentiæ acturum, quoad vixero:& magis adeo re,quam verbis,munus meum conficiam:neque patiar, ut quiſquam eorum, de quibus tua clementia bene merita eſt, gratitudinis palmam mihi præripiat.Interim Plutarchum hunc meum (quomodo votivam tabulam ſuſpendere Neptuno ſervati ex naufragio antiquitus ſolebant) tibi, Princeps ampliſſime, qui portus mihi & aura fuiſti,dedico atque conſecro. Nihil in præſentia de mea hac lucubratione dicam,ne in publica commoda peccem, ſi te longiori ſermone demorer. Leges tu ea per otium,ubi voles,quæ ſeorſim ad Lectorem mei operis,de dignitate ejus atq; uſu,ac de noſtri etiam laboris mole, præfatus ſum. Unum hoc in præſentia addam, te tuo in me beneficio totam tibi ci-

bi civitatem eruditorum doctorumque hominum obstrinxisse: & universos artium humanitatis cultores (quos me magnopere laboriosissima hac mea lucubratione demeruisse certus sum) mihi in referenda tuæ Magnificentiæ gratia neque studio neque opera defuturos: quos tu, optime Princeps, qui meos tibi conatus reipub. literariæ juvandæ, exornandæq;, & eorum qualescunque successus gratos esse atque acceptos re ipsa declaravisti, jam nunc pro me gratias tibi agere, suamque meo nomine fidem obligare intelligas. Porro & ipse æternum Iesu Christi patrem omnium bonorum factorem & auctorem & compensatorem orare non desistam, ut te, illustriss. ac clementiss. Princeps, diu Ecclesiæ suæ, reipublicæque incolumem conservet, omnia tua consilia gubernet, omnibus actionibus prosperitatem largiatur, & omnia quæ chara habes sua benignitate beet atque foveat: & in id incumbam, ut fructus tuæ in me beneficentiæ non pœnitendos Respub. percipiat. Vale. Heydelbergæ tuæ, anno ab incarnatione Verbi M. D. LX. Idib. Novemb.

*T. illustriß. Amplitudinis*

*observantiß. cliens,*

*Guilielmus Xylander Augustanus.*

AD LECTOREM

# GUILIELMI XYLANDRI AUGUSTANI IN PLUTARCHUM SUUM, AD CANDIDUM ATQUE eruditum Lectorem

## PRÆFATIO.

NON erat mihi, candide Lector, dubium fore, ut, cum hæc mea lucubratio in publicum ederetur, varia de ea homines etiam non ineruditi essent in utramque partem facturi judicia. Ipsum quidem Plutarchi opus, in quo nos in Latinum sermonem convertendo elaboravimus, ea est dignitate, adeoque majestate, ut vereri minimè debuerim: ne, si nobilissimo id Principis mei nomini inscripsissem, officere luminibus splendoris ejus viderer: cum materia saltem, quam ipse tractassem, Principis dignitati præclarè conveniret. & vero cogitabam, plerosq; etiam eorum, quibus noster labor non admodum probaretur, ita tamen existimaturos: humilitate nostri muneris, cum id optima mente Princeps amplissimus accepisset, & non ingratum habuisset, ejus humanitatis atque liberalitatis præstantiam illustrari: cujus virtutis tanto est major laus atque pulchrior, quanto minus is, qui fructum ejus percipit, meretur. Non debui tamen committere, ut vel abuti ipsius in optimarum disciplinarum cultores benignitate voluisse censerer (id, quod hominis est, nequaquam ingenui, & parum candidi virtutis alienæ æstimatoris:) vel tam difficilis & molestus ac diuturnus noster labor in rem inutilem aut supervacaneam insumptus videretur: cum quidem ipse minime abundaverim ocio: neque fuerit, cur animi causa tantum operæ tantis in miseriis constitutus ludere vellem. Itaque arbitratus sum, rem Lectoribus non ingratam facturum, me quidem dignam, & fortasis publice non inutilem, si administrati mei in hoc libro elucubrando officii consilia rationesque edendo, reprehensiones, quas in eum extituras conjectura providere possum, vel minuerem, vel plane etiam abolerem. Animadverto autem, eorum qui Græcos Latine etiam legi libros volunt (nam cæteris hoc loco respondere nihil attinet) nostram lucubrationem nonnullis improbatum iri: vel quia hæ Vitæ

(sic

(*sic enim vocare liceat*) *jam pridem sint ab aliis traductæ in Romanum sermonem: vel quia non videant, cur melior à me, atque accuratior debeat expectari, quam ab illis sit edita, interpretatio. quidam vero emendari priorem, ubi necessitas id jussisset, non perfici novam debuisse dicent. Iam primum libenter fateor, imo autem affirmo, sapientissime præceptum ab antiquis fuisse, Actum ne agas. ut non modo me, sed & quemvis alium parum prudenter facturum asseverem, qui tam longum opus, siquidem id jam ante esset Latinis literis expositum, denuo vertere aggrederetur: præsertim cum multi adhuc boni auctores Græci sint præ manibus, qui interpretem tantum non flagitent. Sed profecto si dicendum est id, quod multis argumentis demonstrari, multis etiam gravibus testibus confirmari potest: haud temere ullum præclarum opus magni alicujus Græci scriptoris tractatum est indignius ab interpretibus, atque hoc ipsum, de quo nobis in præsentia est sermo: nam de aliis hic disputare mitto. Quod si quis me insectandi studio dicere opinatur, næ is parum recte & conditionem operis Plutarchiani, & meum ingenium considerat. Ego quidem Lapum, Guarinum, Aretinum Acciaiolum, reliquos, magnæ doctrinæ & facundiæ haudquaquam vulgaris viros, suspicio, & eorum memoriam colo: me autem multis de causis longissime infra illos, uti par est, colloco. Quod si tamen ii vel incuria lapsi, (quod unum maxime in plerisque interpretibus reprehendo) vel libri menda decepti, vel obscuritate rerum ac sententiarum impediti, infinita Plutarchi loca perverterunt atque corruperunt: non quidem nego venia eos prosequendos, neque ob id conviciis lacerandos esse: (cum maxime eorum plerique inter mortales esse ante me natum desierint:) non dissimulandos tamen fuisse eorum errores, quibus tam divini Operis dignitas fœdata, tot historiarum notitia obliterata, tot gravissimis sententiis tenebræ offusæ, sunt: denique sæpissime non Plutarchi, sed alienus pro genuino sensus interpolatus fuit, nemo peritus atque æquus negabit: quando Erasmus etiam, Budæus, Cælius, ac permulti alii summi nominis viri, haud raro eorum lapsus notaverunt, cum quidem aliud agerent. Rem vero ita, adeoque pejus, quam ipse hic obiter indicaverim, habere; in Annotationibus meis (quanquam pauca de infinitis errata interpretum perstringens) ita perspicue ostendi, ut fidem me omnibus etiam mediocriter eruditis fecisse, dubitare non debeam. Omnino autem hoc verum est, nemini ex ista antiqua translatione de sensu Plutarchi posse certo constare: ne-*

quæ

*que ullam esse vitam, in qua non aliquid, in pleriſque multa, & ſæpe plurima, depravata offendas. Vnde factum eſt, ut cum hanc translationem quidam in Germanicum ſermonem jam olim transfunderet, vir laborioſior quam doctior, & vel ob ipſum conatum magna laude dignus: is nòn Plutarchum noſtris hominibus, ſed neſcio quid intricatæ & confuſæ ac promiſcuæ hiſtoriæ, magna cum veritatis jactura præbuerit, & de malo Latino pejorem Teutonicum ediderit. Porro autem quis inficias eat, magnum eſſe Lectori incommodum, magnum tædium vorandum, qui in unius auctoris ſcriptis perlegendis ad tam multa (undecim enim fuerunt, vel plures, quorum opera Latinas Plutarchi Vitas hactenus legimus) & inter ſe diverſiſſima ſtyli genera, ſe cogatur accommodare? quod iis moleſtiſſimum eſt, quibus potiſſimum convertendis Græcis auctoribus inſeruitur: nempe qui ſua lingua loquentem Plutarchum non audiunt. Quod ipſum ego ſi reſpondeam iis, qui antiquæ translationis emendatione contentos ſe eſſe potuiſſe obiicient; non habituros quo magnopere pugnent, opinor. Sed ſunt multa alia, quæ ab eo emendandæ antiquæ verſionis conſilio hominem circumſpectum poſſint deterrere. Haud ſcio, an eodem tempore, eadem opera minoriq; etiam moleſtia de novo converti Plutarchus, quam verſio illa, ut requirebat, emendari poſſit: adeo infinita paſſim ſunt, quæ medicinam deſiderent. Nam qui hactenus profeſſi ſunt correctionem, quam ii præclare functi ſint ſuſcepto munere, in Annotationibus noſtris obiter demonſtravimus: ne in errore diutius verſari quoſdam pateremur, quiſplendidis librorum titulis nimium fidei habent, ideoque & decipiunt, & decipiuntur. Hoc loco ſatis eſt id dixiſſe, quicunque in ſe onus illud corrigendi recepiſſet, eum, cum capiti mederi deberet, reduviam (ut eſt in proverbio) curaturum fuiſſe, niſi ita totum opus tractaſſet, ut aut nihil, aut veſtigia ſaltem levia priſtinæ formæ retineret. Quam multos autem veriſimile eſt extituros fuiſſe calumniatores hujuſmodi emendationis? Dicerent, voluiſſe me in alieno opere ingenioſum videri, iniquius & aſperius de multis ſtatuiſſe, gloriam clariſſimorum & me omnibus rebus ſuperiorum hominum mea curioſitate convellere, animum induxiſſe: me cum iſti ſummam operis confeciſſent, reliquias modo perſecutum, in alienæ laudis partem, veluti cornitis altarum ferarum prædam, invaſiſſe. quidam, etiamſi faterentur me plurima reſtituiſſe & male verſa correxiſſe, facile tamen id præſtari potuiſſe opinarentur: quod addere aliquid inventis, & limare aliorum*

rum opera proclivius esse videtur, quam ipsum aliquid excogitare & fabricari. Quæ, & id genus alia, quanquam refutari poterant, tamen quod cavere possis stultum est (inquit ille) admittere: idque eo magis, quod quamvis accuratissima emendatione, & quasi nova fabricatione ista Latini Plutarchi non modo non sublatum, sed auctum iri illam varietatis dictionum in uno Opere molestiam atque inconcinnitatem apparebat. Quippe & ipse meum peculiare loquendi genus eram non modo undecim istis additurus, sed illud necessario singulis, passimq; interpositurus: nisi si quis opinetur me polypi instar subinde vel posse, vel etiam debere colorem mutare. Habes candide lector, non tam explicata, quam indicata argumenta, quibus refelli posse eorum sententiam arbitrer, qui vel in antiqua translatione acquiescendum vel castigandam eam, recudendamque fuisse sint existimaturi. Reliquum est, ut iis occurramus, qui à me bonam & fidelem, hoc est, priore ista meliorem atq; utiliorem, & quæ probari doctis peritisq; hominibus queat, exspectari posse tanti operis interpretationem dissitentur. Quibus ut respondeamus, consilia nobis hujus nostri laboris suscipiendi, & susceptum sufferendi, novamq; hanc versionem elucubrandi rationes & præsidia etiam commemoranda sunt. Quod ipsum ita nobis temperandum intelligo, ut ne in justam arrogantiæ (à qua natura, & consilio, & conditione vitæ sum alienus) reprehensionem incurram: & tamen ea mihi non derogem, quæ nisi in me essent, facile omnes eruditi perspicere possint, frustra me, & nullo Reipublicæ literariæ commodo tantum laboris insumpsisse. Quæ mihi causæ fuerint, aut potius qua necessitate compulsus, Philosophiæ & Medicinæ studio desperato, animum ad Grammatices labores adjecerim, iisq; sumptus meos ita exsarcire, ut aliqua tamen in parte apud nobilissimas disciplinas hærerem, & quasi extrema linea philosophari possem intenderit: neque commemorare sane queo, quin multa mihi, quæ nunc quasi consenuisse videntur, recrudescant vulnera: & multis bonis viris non est ignotum. Enimvero cum edita Dionis Nicæi Romana historia animadverterem, me haud infelix tyrocinium deposuisse: quod id meum opus abunde & pro ætate (quæ etiam nunc duobus amplius à trigesimo abest annis) & conditione mea doctis aliquot clarisque viris probaretur, neque ingratum in publicum exisset: simulque res ita meæ hortarentur, statui susceptum munus persequi. Itaque ut primum defunctus aliis minutis quibusdam negotiis, circumspicere de auctore, cui operam navarem,

gravi

gravi aliquo cœpi, tametsi essent ita multi ad manum, ut delectu admodum opus haberem: nullum tamen scripti genus apparuit, quod nostram operam & magis requireret, & facilius impetraret, quam hoc à Plutarcho de præstantißimorum Græciæ Romanæque reipublicæ virorum rebus gestis atque vitis conditum volumen: cum, quod haud facile utilius aliud, omniq; fructu locupletius extat: tum, quod, si ullum aliud, & mendosißimum Græce, & corruptißimum Latine circumfertur (quorum alterum paulo post, alterum jam ante demonstravimus,) Neq; defuerunt, qui nos ad hoc suscipiendum opus hortarentur, magno & judicio & auctoritate præditi viri: quorum consiliis obtemperare, nostræ fuit modestiæ. Hic non nemo audaciæ nos atq; adeò temeritatis insimulabit, & parum prudenter subductis rationibus subiisse hoc onus existimabit. Quod si ingenue fatendum est id quod res habet, non nego equidem multo majores me in progressu operis difficultates sensisse, quam, cũ ingrederer in tractationem ejus, putassem. Est enim omnino illud quod tractavimus, periculosæ plenum opus aleæ, ut Flacci verbo utar. Codex Græcus, quo usi sumus, Basilienßis, est infinitis in locis vitiatus, aliquando etiam mancus. ut vere affirmare possim, me ex eo menda, multo quam opinari quisquam posset, plura sustulisse: quorum haud pauca ipsis interpretibus imposuisse, aliquoties annotavimus. Libri alius copia nobis nusquam fuit. Iam interpretibus ipsis, à quibus subsidia speranda erant, opus fuisse auxilio, & quidem haud mediocri ostensum est. Hæc una fuit, & sane haud minimi ponderis difficultas. Quid de historiarũ ergo obscuritate dicam? de tot, tamq; variarum, & quæ explicatus habeant minimè faciles, disputationum perplexitate? de tam variis armorum, machinarum, navium, instrumentorum, tum magistratuum, rei nummariæ, vestium, aliisq; id genus appellationibus? quos Latine exprimere ita, ut commode & absq; errore intelligi queant, non est cujusvis eruditionis aut industriæ. Quam sæpe inserti sunt versus, mutili plerumq; & qui nusquam alibi extent, ut subinde dictionis formã mutavit Plutarchus? quippe modo historiam narrans, modo de naturæ rerum abstrusis rationibus, de vita & morum disciplina disputans: jam castrensia jam forensia negocia explicans. Quæ & alia, quæ studio omisi, permulta, qualia sint, intelligi satis nisi ab expertis nequit. Nam si miserias meas hoc loco, rerum & status mutationem, publicas privatasq; quibus destinebar interim occupationes, animiq; graves perturbationes, à quibus crebro interpel-

terpellatus fui, cõmemorem, videbor fortaßis moroso alicui circumstantias non ad interpretem, sed ad me privatim pertinentes, huc aggregare. tametsi boni & humani censoris aliud erit de his rebus judiciũ. Certe miserrimum fuit, quod in summa egestate cõstitutus, cum tam præclarum opus molirer, ne unum quidem hominem invenire potui, non jam qui Mœcenatis officio in me fungeretur, sed qui vel minutißimo nos dono afficeret, eoq; utcunq; recrearet atq; consolaretur. Superest, ut, quibus præsidiis fretus tantam molem sustinuerim, & cœptum opus pertexuerim, exponam: nam infortunia mea ferre me & in Deum fiducia, & melioris status expectatio & animus jam obducto callo firmatus, docuerũt. Principio, si ingenii mediocrem vim, honesti propositi tenendi pervicacem quandam cupiditatem, Græcæ & Latinæ linguæ peritiam non plane vulgarem, studium diligentiamq; & in tractando alieno opere fidem, tũ laborum tolerantiam, & Reip. literariæ augendæ promptam voluntatem ipse mihi derogem: faciam sane imprudenter. quippe & imparatum me tantũ opus aggressum, & omnem in discendis bonis literis operam lusisse dixerim. Deinde ætas quæ fortaßis nonnullis temeritatis erit, & de cæco sui amore, suspecta, cautiorem me profectò quam securiorem aut confidentiorem fecit: præsertim qui gloriam postremo loco ponerem, neq; famæ cupiditate, sed famis metu lucubrarer, sciremq; me omnem doctorum de nobis opinionẽ in discrimen hac lucubratione deducturũ. Et verò cũ cernerem, quibus in rebus alii offendissent, vel nimia sui fiducia, vel oscitantia & incuria ad scopulos devecti, in quos gravißime impingerent: ex illis exemplũ, mihi ex usu quod foret, capiendũ senseram. Adversus alia incommoda subsidio mihi industriam comparavi: ut, cum prioribus interpretibus ætate, usu, doctrina, facundiaq; essem inferior, id tamen fide, diligentia, continentiq; labore consequerer, ut meam, quam esset ipsorum, versionem veriorem multo atq; utiliorem ederem. Etenim in eos qui se ad interpretandi hoc negocium sola doctrina & facũdia videntes conferũt, laboris & industriæ securi, rectè competere puto Hippomachi illud aliptæ dictum: qui hominum quendam procerum & longimanum laudantibus, ut ad pugillationem præclarè instructum: rem ita habere respondit, siquidem victoriæ præmium in sublimi suspensum detrahere, id esset vincere. Denique versiculus ille Græcus me consolabatur,

Καίκε γυνὴ φέρει ἄχθος, ἐπείκειν ἀνὴρ ἐπιθείη.

Imponente viro pondus mulier quoque perfert.

*Quo indicari arbitror, virium plerunque satis futurarum ad perficiendum, si modò id, in quo elaboramus, animo sit forti & toleranti susceptum. Omnino autem Ciceronis illud oraculi loco ducebam:* NEMINEM *esse tam afflictum, qui si nihil aliud studeat, nisi id quod agit, non possit navare aliquid, & efficere. Quare in spem prope certam veniebam, me si omnem meam eruditionem, ingenium, curam, operam & industriam, ad hoc Plutarchi Opus interpretandum & illustrandum contulissem, haud infeliciter id, quod institueram perfecturū. Interim & contra Codicis Græci morbos meis usus & amuletis sum, & remediis. Nam & circumspectè singula consideravi: & cum similibus locis vel ipsius Plutarchi vel aliorum Græcorum, Latinorumve scriptorum magno studio atque cura conquisitis comparavi: & quicquid alibi observassem aut investigassem: huc solicitè contuli. Usus sum & conjecturis meis quantum ejus vel obscuritas rei, vel mei ingenii tenuitas passa est. Denique cùm jam majorem operis partem absolvissem, prodierunt vitæ Plutarchi Gallica lingua ab Abbate Bellozanensi, Iacobo Amyoto, conscriptæ. Quem cùm præclaram ei libro operam impendisse, ex iis qui linguæ ejus sunt periti (quod mihi datum non est) & usum multis ac bonis codicibus audirem: amicorum adjutus, in primisque clarissimi Iurisconsulti Francisci Balduini (quem, ut ipsius summa doctrina & virtus, & amor in me singularis meretur, honoris causa nomino) officio, nonnullos, de quibus dubitabam, locos correxi. in haud paucis mea conjectura est illius interpretis suffragio comprobata. Cæteris difficultatibus eodem fere modo nos extricavimus, meditando, indagando, conferendo, & (si nihil aliud possemus) divinando. Neque vero tantum mihi sumo, ut omnia me acu tetigisse putem: aut in tam longo, gravi, varioque opere nusquam me allucinatum jactem. nam & meæ imbecillitatis mihi sum conscius, & haud scio, an nemo quisquam eorum, qui hoc saxum volverint, nusquam sese lapsum profiteri potuerit. Perfunctum tamen esse omni me interpretatorio munere, quæ potui summa fide, diligentia & patientia, assero. Si quid est à me peccatum id moli Operis, & varius animi nostri curus imputent, atque ætati, multisque aliis, quibus eramus circumventi, incommodis: nobisq; gratiam ejus faciant, æqui peritique judices, oro: & de meis erratis vel mē, vel alios candidè moneant. Nam & ipse haud dubito, olim me in hac mea lucubratione deprehensurum quæ mutata vellem, & sim fortasse mutaturus: sicut & in Dione meo haud pauca annotavi, quæ suo tempore*

pore retracta
cta est menti
pauca, sed g
illis obtrectar
neus fuisset n
obiter, in gra
permutta ob
Tanto quiden
tio: ut condon
dinem Vitaru
ostendam, neq
scriptæ. Sed i
bri. Quod ad
neque volui, n
sum fideliter e
go, neque nim
sententiæ adfe
cerone express
studiunt majo
si non omnes i
non dissimule
ceroni quidem
inter Latinos
ferè vixerunt
rt in dicendo s
ransferendis t
Historicis (in u
terem. Est ent
à verbo, à sens
gius necesse h
Ciceronem suff
qui eum sibi pl
tatione reddid
neque vires, n
ut fateri me p
archum expo
e fortassis hoc

pore retractare statui. Annotationes etiam (quarum & ante à me facta est mentio) translationi adjeci, in quibus de infinita multitudine pauca, sed gravia interpretum errata demonstravi, non mehercle ut illis obtrectarem, sed ut iis exemplis ostenderem, quàm non supervacaneus fuisset noster Plutarchi restituendi conatus. Explicuimus etiam obiter in gratiam lectoris non doctissimi, aut in his rebus versatissimi, permulta obscura loca, & quæ non omnium cognitioni essent obvia. Tanto quidem mihi ea labore steterunt, quanto vix ipsa interpretatio: ut condonari iis, si qua alibi peccavimus, haud injuria debeant. Ordinem Vitarum eum secutus sum, qui est in Græco libro: nam, ut mox ostendam, nequaquam ea sunt, quâ hodie leguntur, serie à Plutarcho scriptæ. Sed in hac re nihil est periculi, cum sint quasi singuli per se libri. Quod ad dictionem meam attinet, equidem verbum verbo reddere neque volui, neque debui. in eo qua potui summa industria fui, ut sensum fideliter exprimerem: quanquam ab ipsis verbis neque nimis longo, neque nimis crebro & fere coactus necessitate, aut spe perspicuitatis sententiæ adferendæ illectus, discessi. Ab his autem, qui nihil nisi de Cicerone expressum admittunt. & omne id quod Tullianum non sit, fastidiunt majorem in modum peto, ut illa sua tam stricta & dura lege si non omnes interpretes, at me saltem in præsentia liberent. Nam (ut non dissimulem quod sentio) & alias ego in eam partem inclino, ut Ciceroni quidem libenter suam autoritatem dignitatemque & primum inter Latinos locum deferam: cæteris tamen illustribus & qui eodem ferè vixerunt tempore, non circumscriptis ejus sermonis auctoribus. Et ut in dicendo scribendove omnino Ciceronianum debere esse largiar: in transferendis tamen ex Græca in Latinam linguam vel Philosophis vel Historicis (in utrorumque numero est Plutarchus) rem secus habere dicerem. Est enim interpreti summa attentione efficiendum, ne longius à verbis, à sensu autem ejus, quem interpretatur, & cujus insistere vestigiis necesse habet scriptoris, minimè deflectat. Quam ad rem qui unum Ciceronem sufficere autumant, ipsi viderint: neq; enim ego ex iis sum, qui eum sibi plane familiarem diuturna & assidua lectione ac meditatione reddiderunt, ac plane ediderunt: nam ad hoc mihi studium neque vires, neque occasio fuit. Interim non sum tam obnoxii animi, ut fateri me pudeat, à me, ut solius Ciceronis verbis atque dictione Plutarchum exponerem, neq; postulari debuisse, neque ab ullo Ciceroniano fortasse hoc præstari potuisse, nedum à me. non pœnitebit me successus,

*sus, si judicer Latine scripsisse: hoc est, ubi vel Tullius me, vel Tulliana imitatio deficeret, vel aliorum auctorum locutio commodius incideret, Terentii, Cæsaris, Livii, Sallustii, Velleii, Taciti, Suetonii, aliorumq; elegantium scriptorum usus vocabulis, & dicendi formulis. In id quidem operam dedi, ut Latine loquerer, & satis perspicue: barbarismos, & ambiguitatem, & obscuritatem solicite vitavi: omnino autem id egi, ut ne mea translatio alium interpretem requireret. Si quod vocabulum vel finxi, vel vulgo usurpatum commoditatis causa assumpsi in meam orationem: id vel necessitate feci coactus, vel quod perspicuitati videbar inservituras, & circumlocutiones evitaturus: non temere tamen, neque sine probabili analogia aut ratione feci. Omnino autem, si cubi lectorem dictio non satis polita & elegans, & durior compositio verborum offendet: cogitet, Græca vestigia & sensum anxie persequenti interpreti facile evenire potuisse, ut stylum addictum alteri, & quasi alterius manu ductum, non optime semper regeret. Denique si ignosci antiquæ translationi potuit, quam Latinissimam esse nemo Latinæ linguæ gnarus dixerit: non magnopere mihi judicia doctorum æquorumque (quales præcipuè sunt, qui simili in studio ipsi etiam aliquando occupati fuerunt), reformidanda arbitror. Verum & hæc, & alia, candido & magnis laboribus ærumnosisque vigiliis non ingrato Lectori consideranda & dijudicanda relinquo, commemorata in hunc præcipuè finem, ut intelligatur, quo consilio, qua solertia versati in hac provincia simus: & quantis ærumnis atque sudoribus, quanto etiam existimationis meæ periculo partum munus Reipublicæ literariæ largiar. Consequens est, ut de ipsius Plutarchi hoc opere, ejusque majestate & utilitate nonnihil dicam. De ipso auctore non arbitror necessarium multa dicere: quod neque laudes ejus ulla satis potest prædicare facundia: & ita seipsum scriptis suis commendavit, ut nullum porro præconium requirat. defendere autem, quæ in eo nonnulli carpunt, non est hujus loci. Patriam habuit Chæroneam, nobilem Bœotiæ urbem. Fuit autem ita Bœotus, ut se facile contra proverbium defenderit, quo ei nationi pinguia & crassa illiberaliaque ingenia per ignominiam tribuuntur. Itaque de se quod Pindarus dicit, hoc de Plutarcho rectissime affirmabimus: eum antiquum Bœotiæ suis convicium verus sermonibus refelliisse. Quo majorem meretur admirationem, multosque simili infamia laborantes in bonam spem studiorum erexit: est enim ita in omni Philosophiæ genere versatus, ut cum quovis Attico conferri citra peri-*

*periculum possit. De parentibus nihil admodum certi nobis constat: nisi quod Lampriam avum suum, & Nycarchum proavum ipse nominat. De vitæ instituto res ipsa nobis tacentibus loquitur. Vixisse sub Trajano eum, & alii, & Suidas tradit: cujus verba apponam, sed Latine. (ridere enim soleo quosdam ita Græcarum literarum peritiam, si diu placet, ostentantes, ut eas etiam Latinæ orationi nulla vel necessitatis vel elegantiæ ratione infarciant:) Plutarchus, inquit, Chæronensis patria, natione Bœotus, sub Trajano vixit Cæsare, atque etiam ante. Trajanus eum consularibus honoribus ornavit: mandavitque omnibus Illyrici præfectis, ne quid Plutarchi injussu agerent. Scripsit multa. Hæc Suidas. Magnum ergo ei habitum ab imperatore honorem apparet. Ipse quidem Plutarchus Neronis & Domitiani, ut quorum tempore vixerit, in Antonio, Pericle, & alibi meminit. Et Sossius iste Senecio, cujus multa in scriptis Plutarchi, & amica mentio est, quatuor Consulatus sub Trajano gessit: ut est in Annalibus annotatum. Nam Apophthegmata ipsi Trajano inscribuntur, Plutarchi sane nomine: sed nostrine Plutarchi id sit opus, an ab alio, & fortasse filio, ex scriptis ejus consarcinatum, quæri (ut puto) non abs re potest. Extat etiam Latina Epistola Plutarchi ad Trajanum, Politicis ejus præmissa: quæ ostendit, eum Trajani fuisse præceptorem. Sed quia ea in Græco non habetur, suspecta mihi est. Sacerdotem Pythii Apollinis se fuisse, ipse in libello, An seni gerenda respublica, indicat. Verisimile est, scriptas esse à Plutarcho has Vitas, cum jam provecta esset ætate: idque post reliquos libros, & ipse etiam Romanarum Quæstionum suarum mentionem in Romulo & Camillo facit. Cætera persequi, non est nostri instituti: qui non Plutarchum laudare, aut vitam ejus scribere, sed de Opere à nobis in Latinum sermonem traducto quædam, in gratiam Lectoris dicere intendimus. Libet primum, Agathiæ Scholastici, viri haud ignobilis, & inter doctos, qui Iustiniani Imperatoris tempore vixerunt, minime postremi, carmen de eo apponere: sed, ut solemus, Latinum factum.*

In Antonio Symposi. quæst. alibi.

Ausonii statuam decoris Plutarche perennis
Hanc Chæronensi constituere tibi:
Inter se alternis quod componenda dedisti
Inclyta Grajugenum, factaque Romulidum.
At non ipse tamen, tibi qui contendere possit
Scribere, nec similem tu reperire queas.

*Eleganter profecto & argute, id quod res est, dixit. Nam tanto judicio*

delegit Plutarchus, quos inter se conferret singulatim, Græcum atque Romanum, tanta fide, gratia, atque facundia eorum vitas, acta, exitusque comparavit, tanto judicio similitudines ac dissimilitudines excussit, & dijudicandas proposuit, ut cogamur Agathiæ assentiri, qui parem laude Plutarcho, ac cujus cum eo contentio possit fieri, inveniri quenquam negaverit. Præclara etiam est Theodori Gazæ, hominis doctissimi, & antiqua Græcia digni, sententia: qui interrogatus (ut accepimus) à familiaribus suis, quemnam ex omnium scriptorum numero delecturus foret, si cæterorum omnium amittendorum incumberet necessitas: Plutarchum respondit, sentiens, à nemine quoque plura, ac magis varia, utiliora etiam ad oblectationem animi facientia edita esse volumina. Parallela Vitarum Græcorum atque Romanorum, sive hoc Opus inscribitur. Sunt autem Græcis Parallela, quæ certa quadam ratione juxta se ponuntur, certoq; respectu inter se conferuntur: quemadmodum linea apud Mathematicos parallelæ, itemque superficies dicuntur, quæ ita juxta se positæ aut extentæ sunt, ut æqualibus ubique spacijs invicem distent. Itaque satis significanter inscripsit hoc volumen Parallela Plutarchus, in quo alternè inter se congruentes Græcorum & Latinorum primæ existimationis virorum vitæ exponerentur. Iam cum facile intelligi à quovis possit, historicum esse hoc Opus: historiis autem magnam partem ejus doctrinæ quæ est de vita & moribus cum contineri, tum illustrari, satis liqueat: opere precium est, dignitatem & utilitatem Plutarchiani hujus Operis considerare. Neque arbitror hujus esse loci, præstantiam Philosophiæ Moralis dicendo persequi: quam qui spernunt, non equidem video quid homine dignum probare ii possint. Putidum quoque existimo esse, historiæ laudes huc congerere: quas & jam olim multi gravissimi auctores suis scriptis demonstrarunt, & nostra avorumque nostrorum memoria docti homines complures, ex antiquorum monumentis studiose collegerunt. Id quidem in promptu est, nullum vel ad officii rationes, vel vitæ honestatem atque constantiam, vel ad delectationem animi, genus literarum historico commodius, locupletiusque extare. Est quidem plurimum & honoris & venerationis deferendum ei Philosophiæ, quæ in considerandæ rerum naturæ, hujusque obscuritate perscrutanda, & veritate eruenda versatur, quæ sane id præstat, ut & amœnissima, seque dignissima compleatur animus voluptate, & rerum caducarum sublimi dispicientia atque contemptione instruatur. Sed tamen ita est [illegible] comparatum, ut homines ad

cætum quendam & communem vitæ societatem facti, iis artibus indigeant, quibus instituere mores suos, virtutem colere, & inter se concordes atque utiles invicem vivere, omninoque humanam conditionem tueri possint. Ad quam rem nobis, post veræ religionis cognitionem, largitus est Moralem Philosophiam Deus vitæ magistram & honesti (cujus rationes ab ipsa repetuntur natura) custodem: quæ & unumquenque privatum pro se virtutem, & publicè omnes civilem communitatem colere doceat. Quam Philosophiam qui negligunt, rerum contemplatione sola veriqué indagatione contenti, ii nequaquam hominum officio convenienter philosophantur: suntque in gravissima culpa, quod sibi, non Reipublicæ natos sese esse censuerint. Verum hæc morum & virtutis disciplina cum non agitatione mentis perficiatur, neque in cognitione acquiescat, sed in agendo consistat: mirum in modum ad historiarum quasi adminicula adhibitur, quæ actiones à recta vel prava ratione profectas earumq; progressus & exitus recensent atque demonstrent. Non enim demonstrationibus certis, & (ut sunt Mathematicorum) necessariis, doctrina hæc comprehenditur: sed argumentis & rationibus ex vita communi actionibusque & earum diligenti observatione atque fideli desumptis confectisque traditur. Quare Aristoteles, facile in hoc genere Philosophorum princeps, adolescentem ab auditione moralis Philosophiæ excludit, quod vitæ humanæ actionum rudis sit atque imperitus. Ergo si ad præstantissimum studium peritia actionum humanarum requiritur: quisquam ita cæcus est, ut non intelligat historiam esse quasi fundamentum & sedem argumentorum quibus de officio & virtute doceantur homines? quæ ipsa doctrina ad historias tanquam ad Lydium lapidem (non aliter quam demonstrationes ad sua principia) exigi debeat. Et vero multa sunt quæ impediant, quo minus de præsentibus hominum factis dictisve, quam de præteritis & priscis judicare, & ea ad utilitatem nostram accommodare queamus: cum alioquin ut opera artificum, & lucubrationes eruditorum, ita acta etiam hominum atque sermones temporis quasi calculo quodam approbari oporteat. Vt omittam id, quod utinam quam est odiosum, tam esset vanum: fœcunda culpæ esse sæcula: & hodie neque tam multa, neque tam illustria virtutum exempla existere: vitia autem ita dominari, itaque increbuisse, ut quotidianis exemplis quasi adsuefacti, observare ea cessaverimus. Itaq; ergo antiquitas nobis repetenda est in eamq; inspiciendum: & præceptorum cum rationes, tum documenta

ab ea arcessenda sunt. Neq; enim jam id dicam, turpe nobis esse, quibus natura incredibilem cognoscendi cupiditatem ingeneravit, superiorum ætatum statum, res, rerumq; vices & mutationes ignorare: cum diligentia & labor doctorum virorum ea nobis fere citra ullam molestiam in ipsorum monumentis conspicienda exhibuerit. Quanquam, si prudentiæ est, præterita cum præsentibus componere, atque ex his de iis quæ eventura sint conjecturam facere; prudentia autem earum virtutum, quibus officium tuemur, civilemque hominum societatem administramus princeps est, & quasi caput: nemo, ut arbitror, ita stupidus est, qui non videat, quantum & ad prudentiam parandam, & recte vivendum historiæ momenti adferant. Sed hæc alio loco disputantur fusius, hic notasse satis habuimus. Enimverò non uno modo scriptæ, sed variis & diversis esse historias, nemo nescit nisi qui libros non viderit. Longe enim aliud in bello Gallico scribendo consilium Cæsar, quam in Annibalico aut Philippico Livius secutus est, vel in Carthaginensi Appianus: longe aliud Herodoti, quam Thucydidis, & quam horum, Xenophontis fuit institutum: alia ratione Tiberii Cæsaris vitam Cornelius Tacitus, quam Suetonius aut Dio literis mandavit. Sed ista inter se comparare, brevitatis studio supersedeo. Plutarchi historia in his Vitis explicata est ejusmodi, ut Philosophiamne moralem historicis exemplis declarare, an rerum gestarum narrationem Philosophicis disputationibus illustrare atque exornare propositum sibi habuerit, in quæstionem venire possit. Ita enim scriptionem historiæ temperavit, ut usum ejus (quem nos modo ostendimus) genuinum, & vitæ humanæ commodissimum indicare, morumque præcepta eum non verbis, sed rebus confirmata tradere voluisse appareat. Id quod consecutum felicissimè, non potest nisi apud indoctos & illiberaliter institutos esse dubium: ipse initio Pauli præfert, quid eum, ut in contexendo hoc opere pergeret instigarit. Et quidem mirifice facit ad constantiam doctrinæ, ac rationum, quæ in vitæ morumque disciplina tradi solent, certitudinem demonstrandam, non unius temporis aut populi tantum, sed diversorum exempla in promptu habere: ne casum in rebus humanis plus quam consilium posse judicemus: neve tritum illud nostro assensu comprobemus:

Vitam regit fortuna, non sapientia.

Est enim in hoc opere à Plutarcho satis evidenter explicatum, ac multis argumentis, multis rerum testimoniis confirmatum, similium consiliorum

liorum atque factorum consimiles eventus fuisse, consimiles fructus: aut si quid fortuna variasset id fere ita cecidisse, ut consequentia tamen causarum & effectuum non magnopere obscuraretur. Quanquam autem est ineffabilis prope ingeniorum varietas, multa admodum & vitia & virtutes: nullum tamen insigne est vel bonitatis naturæ atque vitæ, vel perversitatis genus, de quo in Philosophia soleat disputari, quod non in hoc tam vario & fœcundo opere depictum suis coloribus expressumque sit. Cujus rei cum in ipsis historiis Vitarum, earumque comparationibus illustria sint & plurima exempla: præstat ad alia pergere, quam hic ea adducendo tempus trahere. Quæ vero insertæ passim sunt & disputationes, & digressiones, non lucem modo magnam & splendorem narrationibus afferunt: sed & recreant tædio vel longitudinis, vel obscuritatis, aliquando & humilitatis earum quæ referuntur rerum, affectum Lectorem: & veram Philosophicarum contemplationum ad res propositas transferendarum rationem commonstrant. Sunt autem non unius generis neque de morali tantum penu depromptæ: sed nulla est omnino Philosophiæ pars, cujus non aliquot capita sint eleganter, graviterque & argute exposita. At vero quem non invitent ad totius operis lectionem pulcherrimæ istæ aureo operi insertæ gemmæ? Quid potest tandem (ab homine præsertim Christianæ religionis ignaro) de divina natura sanctius atque castius dici, quam quod noster in fine Periclis, contra poetas, in Aristida, contra vulgatum errorem de Deo asserit? De cujus erga homines amore, quam sobrie in Numa loquitur? Quis profanorum auctorum de immortalitate & divinitate consequenda, veritati magis consentanea commentatus est, quam noster in fine Romuli? Quam vero acute & graviter disputat de voluntatis nostræ motibus, utq; ii à Deo ciantur, in Coriolano? & de miraculis in Camillo? de spectris idque genus ostentis in Dione? Iam in Sertorii vita, & Phocionis initio, quàm scita est fortunæ cum virtute contentio? In Numa, quam docta Platonici de Reip. felicitate dicti explicatio? In præfatione Agidis, ut venuste atq; diserte ostenditur, quàta sua pernicie in Rep. versentur qui auram captant popularem? Quam argute in Galba docet, de exercituum infidelitate, & motibus ubi duce vero destituuntur? De contentionibus civilibus & ambitione, in Agesilao: de æquanimitate & facilitate ignoscendi, in Dione? Quam luculenter in Timoleõte & Arato demonstrat ad veram virtutem, constantiam animi roburq; requiri? Quam perspicue audaciam

*ciam temeritatemque initio Pelopidæ à fortitudine distinguit? Quam Philosophice ostendit Theryciono Clcomenes, non fortis esse, sed timidi hominis, præsentium periculorum & maiorum vitandorum causa mortem sibi consciscere? Quam sapienter in fine Marii declaratur sapientiæ studium neglectum sese ulcisci, ita ut ejus contemptoribus in summa etiam prosperitate nunquam sit bene? Quam est gravis in Solone adversus Thaletem, & docta argumentatio, qui timore amittendi à parandis bonis deterrebatur? Quid illæ digressiones? qualis in Marcello est, de Mathematicarum disciplinarum sinceritate, utque materia admixtione pollutæ sint. in Camillo: de diebus nefastis, & maximorum facinorum certis ac prope statis temporib. in Coriolano de cognomentorum rationibus: in Aemilio, de fluminum scaturiginib. deq; mariis & montium altitudine: in Alexandro, de naphtha: in Marcello rursum, de triumphi & ovationis discrimine? Quis est homo liberalis ingenii, qui non & jucundissimas eas legere expetat, & utilissimas legendo sentiat? quis non in tam elegantibus & omnigenis ornatum floscul is pratum exspaciari & sese ibi oblectare cupiat? Ac nos quidem brevitatis studio de innumeris pauca retulimus, ut quasi gustum præbercmus, qui (ut scite ille apud Euripidem ait) emptorem invitaret. Quantum autem ad legendas & rectius percipiendas utriusque linguæ historias conducant hæ Plutarchi vitæ, non est quidem vel demonstrare mihi, vel iis qui dubitant, experiri difficile. Quam multa sint apud Herodotum, Thucydidem, Xenophontem, aliosque vel omissa, vel parcius, negligentius, aliquando etiam malignius scripta, quorum integra & fidelis historia à nostro possit repeti, ex collatione scriptorum diligentibus deprehendendum relinquam: quibus quidem nos in annotationibus nostris nonnunquam obiter vel ansam conserendi præbuimus, vel auxilium etiam tulimus. Quod idem de Latinis intelligi volo, Ciccrone, Livio, Cæsare, Sallustio, Tacito, Paterculo, aliis: ex quibus & transfulit multa, & illustravit: plurima autem: sicut & in Græca historia, iis ex auctoribus, quorum scripta ætatis hominumve invidorum injuria vel negligentia interciderunt, addidit. Quanta enim cura & diligentia Vitas istas conscripserit, vel ex auctorum, quos citat, tantum numero (ducentis autem amplior est) æstimari potest, quæ ipse optimorum & veterum scriptorum venerandæ reliquiæ, ad frequentandam hujus operis lectionem historiarum & antiquitatis studiosos merito trahere debent. Sed, ut finem faciam, id quod de antro Mercurii Orheus,*

*pheus, id nos de Plutarchianis hisce Commentariis, utinam tam venuste etiam & suaviter, quam optime & vere affirmare possumus:*

Si quem sana hominem mens hunc accedere jussit,
Omnigena assiduis bona quo Plutarchus acervis
Deposuit: mox ille manu lætissima utraque
Dona domum referet felix, tutusque laborum.

*Non enim gemmæ (de quibus poeta ille splendide admodum pollicetur) animi tranquillitatem, vitiorum vacuitatem, & veram felicitatem, veros honores, veram gratiam pariunt: sed philosophiæ synceræ studium, unicum non adversus feras & angues & latrones, sed (quæ his est exitiosior) barbariem & flagitia, belluinamq; turpitudinem præsidium. Porro autem dissimulandum minime est, Plutarchianum hoc Opus nequaquam ad nos perveniisse integrum: neque vitiatum modo à librariis esse, sed mutilum & magna sui parte mulctatum. Neque enim comparationes tantum nonnulla harum, quæ ad nos pervenerunt, Vitarum desunt: ut Themistoclis & Camilli, Pyrrhi & Marii, Alexandri & Cæsaris, Phocionis & Catonis: sed & multas à Plutarcho scriptas vitas desiderari constat. Ipse enim a se conscriptas quasdam diserte refert, quæ non extant, ut Epaminondæ in Agesilao, Metelli Numidici in Mario, Scipionis Aemiliani in Tib. Graccho, Leonidæ in libello de Herodoti malignitate, Daiphanti in opusculo de Virtutibus multerum, sub Phocidum titulo. Videtur & Herculis scripsisse vitam, idque in Theseo innuere. Tum quia Artoxerxem, Aratum scripsit Plutarchus: quos cum eis conferret, haud dubie scripsit, nisi forte defuisse exempla in tanto historiarum chao putemus. nam Galbam & Othonem facile pro Plutarchianis agnosco: ad Parallela tamen hæc non magis pertinere puto, quam decem oratorum Atticorum vitas ab eodem scriptas: & quidem post illas leguntur inter cætera Plutarchi opuscula. Tamen quia erant in Græco codice nostro additi, & digniss mi lectu sunt, præsertim quod multa habent quæ apud Cornelium Tacitum & Suetonium desiderantur, non dedignatus eas sum mea interpretatione. Isocratis est Evagoras, & ab amico meo summo, eodemque doctissimo atque humanissimo viro Hieronymo Vuolfio eleganter conversus. Probabile est eum etiam Augusti Tyberii, aliorumque vitas literis mandasse multorum, & Romanorum regum principum, aliasve inclytarum virorum. Ordine vero longe quam sit hodie receptus alio, eum hoc Opus condidisse, ipse locuples est testis: qui cum in Pericle &*

 *Demo-*

Demosthene indicet, se binorum, quos inter se compararet, acta singulis libris pertractasse, Periclem & Fabium decimo, Demosthenem & Ciceronem quinto lib. assignat, sicut & Dionem duodecimo: hodie vigesimo libro hos, illos quinto legeres. Extat etiam liber Plutarchi, qui de Homeri vita inscribitur: cum paucissimis vita Poetæ explicetur, reliqua de poesi ejus sint. Quem ego librum, si Deus voluerit, suo tempore, ita ut ex re studiosorum est tractatum, in lucem dabo, huc enim non pertinet. Annibalis & Scipionis majoris Vitæ Latinæ sunt factæ à Donato Acciajolo, & cũ reliquis editæ: mihi, ut eas Græcas viderem nondum contigit. & quidem in Pyrrho Plutarchus Scipionis istius vitæ à se scriptæ meminit. Ego tamen eas Latinas, ut circumferuntur, addendas curavi, ne quid Plutarchianum desideraretur. Certe Amiotus, qui se multis usum & bonis in Italia etiam codicibus asserit, eas non habet. Deplorare autem tanti operis tam indignam calamitatem, cum id frustra sit futurum, non vacat, quanquam alioquin hodie ita fere sunt ingenia, ut de Livianis CXLII. libris, amissos CVII. plures desiderent, quam superstites XXXV. legant. Grati potius simus: & eo quod nobis divina quadam fortuna relictum est ut dignũ est, utamur. Quæ præterea sunt, de quibus moneri lectorem debere putaremus, ea in Annotationibus commodiori, ut arbitramur, loco sumus complexi. Nunc, quia & de Operis à nobis translati dignitate, & de nostro in eo interpretando labore atque ærumnis satis. & pro modo præfationis fortasis multa disseruimus: restat, ut receptui canamus, & duriter atq; fideliter administrati nostri officii conscientia freti, bonum atq; candidum Lectorem ad lucubrationis nostræ lectionem cognitionemq; admittamus.

CATA-

# CATALOGUS VITARUM
## PLUTARCHI *comprehensarum*

### TOMO I.


| | | | |
|---|---|---|---|
| Theseus | pag. 1 | C. Marcius Coriolanus | 294 |
| Romulus | 26 | Comparatio. | 314 |
| Comparatio. | 47 | Timoleon | 324 |
| Lycurgus | 54 | Aemilius Paulus | 348 |
| Numa | 81 | Comparatio. | 371 |
| Comparatio. | 98 | Pelopidas | 381 |
| Solon | 107 | Marcellus | 407 |
| Poplicola | 134 | Comparatio. | 428 |
| Comparatio. | 147 | Aristides | 435 |
| Themistocles | 151 | Cato Major | 456 |
| Camillus | 175 | Comparatio. | 474 |
| Pericles | 209 | Philopœmen | 482 |
| Fabius Maximus | 238 | T. Quinctius Flamininus | 498 |
| Comparatio. | 256 | Comparatio. | 512. |
| Alcibiades | 262 | | |

PLVTARCHI

# GRÆCORUM ROMANORUMQUE ILLUSTRIUM virorum Vitæ,

PARS I.

*GVILIELMO, XYLANDRO, AVGVSTANO, interprete.*

## PLVTARCHI THESEVS.

1 QVEMADMODUM ii scriptores, Sossi Senecio, qui orbis terrarum situm enarrant, cum extremis tabulis ignotas sibi partes stringunt, aliquando adscribere solent, esse illis in locis litora aquis destituta, aut feris obsessa, cœnove obsita, aut montes eò Scythicos, vel mare glaciale pertingere: sic ego, ubi in scribendis Græcorum Latinorumque sibi respondentibus invicem vitis, per id tempus, quod verisimilem orationem, historiamque rerum gestarum admittit, transitu facto, ad antiquiora illa pervenissem: haud absurdè dicere poteram: fidem excedentia in istis esse pleraque, ac tragicè ficta, ut in quibus poetæ, fabularumque conditores versentur, neque fidem ea perspicuitatemque recipiant Iam mihi, cùm Lycurgi legum latoris, & Numæ vitam exposuissem, videbatur haud absurdum, quoniam Romuli ad tempora propè accessissem, ejus quoque historiam repetere. Vbi cùm circumspicerem (quod est Apud Æschylum) *Antiquitas fabulosa.*

*——illi quem parem.*

*Aequum gravi certaminique opponerem,*

placuit pulchrarum atque illustrium Athenarum conditorem cum invictæ ac gloriosæ urbis Romæ parente conferre. Quo in negotio optaverim sanè, fabulas tantisper nobis obsequi, dum expurgatis figmentis, historiæ speciem induerent: sicubi tamen eæ contumaciter veri similitudinem respuent, neque se probabilitate temperari patientur, æquanimi auditores, & qui benignè antiquitatis narrationem accipiant, opus nobis erunt. Porro Theseus multis similitudinibus Romulum videtur attingere: quippe uterque incertis obscurisque natalibus ortus, Diis geniti fuisse crediti sunt:

*Ambo præstantes armis, quod novimus omnes:*

Vterque quantum ejus fieri poterat, prudens, de urbium præclarissimis Romam alter condidit, alter Atheniensis civitatis auctor fuit. Proinde raptus mulierum iis communis fuit, neuter infortu-

nium domesticum, suorumque popularium reprehensionem effugit: quin etiam ad extremum incurrisse in offensionem suorum civium dictus est uterque: siquidem ea, quæ ut minimum tragicè dicta habentur, ad veritatem aliquid faciunt.

*Genus Thesei.*

THESEI paternum genus ad Erichthonium, primosque indigenas refertur: materno Pelopides fuit. Pelops enim inter reges Peloponnesi non opum magis, quàm liberorum copia, potentissimus erat. ut qui multas filias optimatibus matrimonio conjunxisset, multos principes civitatibus inseruisset. quorum è numero Pittheus Thesei avus Trœcenem, oppidum non magnum, condidit, opinionem doctrinæ ac sapientiæ præ reliquis ea tempestate hominibus adeptus. Fuit autem istius sapientiæ hujusmodi quædam species & vis, quali usus Hesiodus, præsertim in libro de Operibus & diebus propter sententiarum pulchritudinem claruit; quarum sanè hanc Pittheo auctori adsignant, teste etiam Aristotele:

*Pittheus. Trœcen.*

*Veterum sapientia.*

*Quòd satis est homini statuas mercedis amico.*

Euripides quoque Hippolytum incorrupti Pitthei discipulum appellans, Pitthei existimationem declaravit. Cæterum Ægeo liberos desideranti, Pythiam ferunt oraculum dedisse vulgatum illud: quod prohibeat, ne aut equam Athenas veniret, cum aliqua muliere rem haberet. id oraculum, cùm non esset satis apertum, Trœzenem veniens Ægeus Pittheo proposuit, erat autem tale:

*Optime vir, non ante pedem dissolveris utris*
*Exsertum, claras quam tu remearis Athenas.*

*Oraculum Ægeo datum.*

Pittheus, incertum qua ratione adductus, hominem persuadendo aut decipiendo, ad concubitum Æthrę pellexit. At Ægeus ubi se cum Pitthei filia coisse intellexit, eamque concepisse suspicatus est, gladium & calceos sub saxum ingens abstrusit, quod in se cavitatem habebat iis condendis respondentem: rem soli Æthræ aperuit, datoque mandato, ut si filium peperisset, adultum eum, cùm sublato saxo potuisset eas reliquias eximere, unà cum his, nemine conscio, ac quam maximè clam omnibus (Pallantidas enim, qui erant quinquaginta Pallantis filii, quorum insidiis petebatur, ac quod nullos liberos haberet, despectus ipsis erat, maximè metuebat) ad se mitteret, discessit. AEthra filium edidit, quem alii statim propter reposita ea, unde cognosceretur, monimenta, Theseum nominatum auctores sunt: alii postea temporis, cùm eum Athenis AEgeus filium adscivit: utrobique vi Græci vocabuli adstipulante. Traditum quo- III que est; Theseum dum apud Pittheum educaretur, præceptorem ac pædagogum habuisse, Connidam nomine: cui etiamnum Athenienses pridie sacrorum Theseorum arietem immolant: multo hanc ei memoriam, honoremque justius tribuentes, quàm Silanioni ac Parrhasio, quorum hic effigiem Thesei pinxit, ille finxit. Tenebat adhuc illis temporibus consuetudo, ut qui pueritiam exirent, Delphos profecti crinem Deo consecrarent: itaque venit eo Theseus (ac locum cui Thesea nomen hodieque est, ab eo dictum perhibent,

*Pallantidæ Ægeo infensi.*

*Theseum nomen unde.*

*Connidas Thesei pædagogus.*

*Crinem Deo consecrare Delphis Thesea.*

totom-

tòtonditque sinciput tantùm: quod de Abantibus Homerus scribit: idque tonsuræ genus Theseis propter ipsum nuncupatum fuit. Abantes porro primi ad hunc modum tonsura usi sunt; non ut fert quorundam opinio, ab Arabibus ita docti, neque imitatione Mysorum: sed quia erant bellicosi, cómminusq; pugnare & manum conferre hosti ante alios docti, ut Archilochus quoq; testatur his verbis:

*Theseus.* *Abantum tonsura.* *Arabes.* *Mysi.*

*In fera cum fortes Mars prælia traxit Abantes,*
*Seq; acies campis explicuere virûm:*
*Non ibi cum funda, neq; nervo ducitur arcus:*
*Pugna sed ancipiti cómminus ense geritur,*
*Hoc miscere manus docti certamine, quorum*
*Eubœa imperio Martia terra subest.*

Itaque Abantes eo tondẽtur, ne apprehendere ipsos crinibus hostes possint: quod scilicet Alexander etiam Macedo sensit, qui, ut raderent genas, Macedonum ducibus præcepit: quod promptissimè in conflictibus aliquis iis possit prehendi. Verùm aliquandiu Aethra Thesei originem occultam habuit, sparso rumore à Pitheo, natum esse è Neptuno: hunc enim Deum Trœzeni studiosè colunt, eumque urbis suæ tutorem habent, primitias ei frugum offerunt, & nummum suum tridente insigniunt. At postquam adolescens juxta robur corporis, fortitudinem, animique constantem magnitudinem prudentiæ conjunctam ostentavit: ibi eum Aethra ad saxum adductum, genus paternum docuit, jussitq; signis patris erutis, uti Athenas navigaret. Isque haud magno labore, saxo summoto, navigationem detrectavit, quantumvis tutam, & ad quam avus materq; hortarentur, quod eo tempore pedestri itineri Athenas venire difficile habebatur, nulla viæ parte à periculis propter latrones & maleficos homines tuta. Etenim ætas illa homines tulit, promptitudine quidem manuum, pedum celeritate, corporisque viribus pollentes, ut apparet, indefessosque: sed qui sua natura ad nullam rem bonam commodamve uterentur, libidine gaudentes superba, fructumque statuentes sui roboris, sævitiam ac immanitatem, dominarique & vim facere obvio cuique, mortemque adferre: tum qui viribus superiori, verecundiæ, justitiæ, æqualitatis, humanitatisque rationem nullam habendam putarent: quod ea vulgò ab his qui injuriam aut inferre non auderent, aut ipsi metuerent, laudibus afficerentur. Horum multos Hercules circumiens exsciderat, ac deleverat: reliqui ejus præsentia territi, abdiderant se, viventesq; abjectam vitam negligebantur. At postquam is adversa fortuna ictus, propter illatam Iphito cædem, in Lydiam discessit, ibique multum temporis Omphalæ (hanc enim sibi pœnam ipse injunxerat) serviens exegit: res Lydorum alta in pace ac securitate fuerunt: in Græcia vero iterum eruperunt flagitia: ac nemine inhibente floruerunt. Itaque pedestris è Peloponneso Athenas versus profectio pernicioſa fuit. Ea propter Pittheus, singuli latronum ac maleficorum hominum quales essent, quoq; modo peregrinos tractarent, expositò, suasit Theseo,

*Alexandri institutum de radendo mento.* *Neptuni filius creditus.* *Theseus.* *Latrocinia Thesei tempore frequentissima.* *Hercules latrocinia excidit.* *Magnanimitas Thesei.*

seo, ut mari eo veheretur. Enimverò Theseus, quem jam dudum, ut par erat, Herculis virtutis gloria occultè usserat, qui plurimum de eo cogitârat, narrantes qualis illic esset, attentissimè audierat, potissimum si qui eum vidissent, actionibusque sive sermoni interfuissent. Omnino tunc id ostendit sibi accidisse, quod multò post Themistocli: qui a Miltiadis trophæo sibi somnum eripi duxit: adeo Theseo Herculis virtutem admiranti, ejus & in somnis obversabantur acta, & æmulatio interdiu incitabat, instigabatque, eadem sibi ad perficiendum animo proponentem. cognatione etiam juncti erant; è consobrinis prognati. Nam Pittheo soror fuit Lysidice, communes parentes Pelops & Hippodamia. Pittheo Aethra, Lysidica Alemene nata est. Indignum itaque ratus Theseus intolerabile, si cùm Hercules in omnes, ubicumque locorum essent, facinorosos profectus, terram mareque purgasset, ipse obvia certamina detrectaret, ac fugæ maritima utens eum, cujus opinione ac rumore esset filius, patrem dedecoraret: ad verum autem, signa ista, calceos & gladium incruentatum deferret, neque præclaris potius operibus nobilitatis specimen primo quovis tempore ederet. hoc animi proposito viam inivit, ut neminem quidem lædere, vim verò inferentes ulcisci pensum haberet. Primum in Epidauria Periphetem, qui clava utebatur, ac propterea claviger cognominabatur, cùm ab eo inhiberetur, progressuque arceretur, congressus obtruncavit: clavaque delectatus, teli loco eam in posterum semper habuit, quo modo leonis exuvium Hercules gestavit, nam ut hic eo magnitudinem à se victæ belluæ indicavit: ita Theseus à se superatam clavam, secum verò invictam esse demonstrabat. In Isthmo Sinnim solitum pinus flectere, indeque nomen Pityocamptæ adeptum, eo modo interfecit, quo is alios multos: non quod id didicisset aut usu percepisset; sed ostendens, virtutem cuilibet arti ac studio præstare. Fuit huic Sinnidi filia forma ac mole corporis excellentibus, nomine Perigune. Eam, cùm patre cæso fugisset, Theseus passim quærebat, ipsa cùm in locum arboribus, stœbeque herba, & spinis densis obsitum perveniisset, puerili simplicitate ea, tanquam sensu prædita, precata est, ut se occultarent ac servarent: juramento addito, curaturam, ne is locus ullo maleficio aut igni infestaretur. Verùm Theseus eam evocavit, data fide se honestè ei prospecturum, tutamque ab omni injuria habiturum: ac cum egressa concubuit, unde Melanippus natus. Perigunam postea temporis Deioneo Eryti Oechalienfis filio Theseus in matrimonium locavit. Porro Melanippus Ioxum genuit, Ornyti in deducenda in Cariam colonia socium: unde Ioxides originem traxerunt, quibus patrium est, neque spinam neque stœben cremare, sed venerari ac colere. Cæterùm sus Crommyonia, quam Phæam cognominabant, fera fuit haud quaquam contemnenda, nimirum pugnax & difficilis superatu. Hanc obiter in itinere aggressus Theseus confecit, ne videretur omnia necessitate compulsus agere: simulque arbitratus, esse strenuo viro

*Themistocli somnum adimit Miltiadis trophæum*

*Cognatio Thesei & Herculis.*

*Thesei facinora.*

*Sinnis.*

*Perigune.*

*Melanippus. Deioneus. Ioxus. Ornytus.*

*Phæa sus Crommyonia.*

cum

eum hominibus flagitiosis vindictæ expetendæ causa congrediendum, belluas autem fortes ultro pugna lacessendum ac discrimen subeundum. Sunt qui Phæam latronem fuisse perhibeant mulierem, cædibus ac libidinibus infamem, quæ Crommyone habitans, suis nomen morum ac vitæ suæ ratione invenerit, & quam Theseus
VI interemerit. Scironem idem de saxis præcipitem actum occidit ante Megaricam, solitum latrociniis eos, qui eò iter facerent, impetere, ut communis fama habet. alii eo superbiæ & petulantiæ progressum tradunt, ut hospitibus pedes lavandos protenderet, atque ita calce eos feriens in mare proturbaret. at Megarenses historici famam hanc impugnant, diuturnitatique temporis (ut ait Simonides) bellum faciunt. Neque enim prædonem & injuriosum fuisse Scironem, sed qui latrones supplicio affecerit, bonos & justos viros amicitia prosecutus sit. Quippe Aeacum inter Græcos sanctissimum censeri, Cychreum Salaminium Deûm honoribus apud Athenienses coli, virtutem Pelei ac Thelamonis nemini incognitam esse. Atqui Scironem Cychrei generum, socerum, Aeaci, Pelei & Telamonis avum fuisse; siquidem nati sunt Endeide, quæ filia fuit Scironis & Chariclûs. neque esse consentaneum, optimos viros cum pessimo necessitatem vitæ eam contraxisse, in qua res summæ ac pretiosissimæ mutuo traderentur. Itaque Theseum affirmant, non cum Athenas iret, sed posterioribus temporibus Eleusinem, quam tum Megarenses possidebant, circumvento per fraudem ejus præfecto Diocle, occupasse, ac Scironi necem intulisse. Hæc itaque ad
VII istum, quem dixi, modum, controversa sunt. Theseus Eleusine Cercyonem Arcadem lucta victum necavit. Progressus inde paululùm, Hermione Damasten Procrusten interfecit, coactum, quem admodum ille peregrinos urgere consueverat, membra ad lecti mensuram extêdere: imitatus in hoc Herculem, qui, quorum insidiis petitus esset, eodem modo illos ultus est. ita Busirim immolavit, Antæum lucta stravit, Cycnum singulari certamine sustulit, Termerum collisione mutua capitis necavit: unde Termerio malo nomen inditum affirmant, quod is Termerus homines in quos incidisset, capitis sui inflictu perdidisset. Hunc eundem morem in supplicis sceleratorum observans Theseus, ad hæc toleranda eos adegit, quæ ii aliis imposuissent: ita ut pœnas suorum flagitiorum suo modo persolverent. Progressum eum, ac jam ad Cephisum fluvium accedentem, viri quidam è Phytalidarum genere obviam facti, primum
VIII salutaverunt, lustrationeq; indigentem ritè expurgârunt, sacrisque, quæ Melichia à placando dicuntur, factis, domi suæ convivio acceperunt: cùm ante in via nullam cujusquam esset humanitatem expertus. Venit exinde Athenas, octavo die ejus mensis, qui Græcis Hecatombæon est, ante Cronius, hoc est, Saturnius dictus fuit. Ibi offendit & Rempub. turbarum ac dissidiorum plenam: & privatim res Aegei ac familiam laborantem. Vivebat enim cum eo Medea Corintho profuga, pollicita medicamentis sterilitatem se ejus pul-

*Sciron.*
*Æacus.*
*Cychreus.*
*Endeïs Sciro.*
*Chariclo.*
*Diocles.*
*Cercyonem necat Theseus.*
*Herculis facta.*
*Phytalidæ Thesea humaniter acciunt.*
*Melichia.*
*Theseus Athenas venit.*
*Medea.*

furam. Quæ cum de adventu Thesei accepisset, ignaro rei Aegeo, ac seniori jam, quique propter seditionem nihil non suspectum haberet, persuasit ut hospitio acceptum Theseum veneno tolleret. Theseus ubi ad prandium venit, non existimans consilium fore, ut prior se quis esset aperiret; Aegeo cognoscendi occasionem quo præberet, eductum cultrum, quasi ad propositas carnes secandas, ei ostendit: confestim Aegeus re animadversa, calicem cum veneno projecit, filium agnitum salutavit, convocatisque civibus cognoscendum præbuit: à quibus is virtutis ergo libenter est acceptus. Traditum est, quo loco calice prolapso, effusum est venenum, ibi nunc septa esse in Delphinio: eo enim loco Aegeus habitavit: ac statuam Mercurii, quæ à templo versus Auroram posita est, apud Aegei portas vocant. At Pallantidæ, cum ante speraſſent regnum ad se reditu- IX
rum, Aegeo sine liberis decedente: postquam successorem Theseum, ei destinatum viderunt, graviter ferentes Aegeum regnare, adoptatum à Pandione, neque Erechtidarum sanguini junctum regnaturumque deinceps Theseum advenam atque peregrinum: bellum moverunt. Et, quo bifariam hostes adorirentur, pars cum patre suo palam à Sphetta Athenas contenderunt: reliqui apud eum locum, qui Gargetto dicitur, in insidias se abdiderunt. Erat inter ipsos præco Agnusius genere, nomine Leos. hic Pallantidarum consilia Theseo aperuit. Theseus subito insidiatoribus supervenit, omnesque interfecit. quo audito, hi qui cum Pallante erant, dissipati sunt. Inde ortum memorant, ut Pallenæis cum Agnusiis nulla sit affinitas: neque id quod est ejus regionis, apud illos proferatur: *Ακουετε Λεως*, id est, audi popule. Leos enim populum significat. verùm ob proditionem, quam Leos præco fecerat, id nomen invisum est. Interim Theseus ne nihil ageret, utque animos populi sibi X
conciliaret, adversus Marathonium taurum profectus est, Tetrapolis habitatoribus haud mediocriter molestum: eumque cùm domuisset, vivum per urbem compellens ostentavit: ac deinde Apollini Delphinio mactavit. Hecale autem & fabula de ea, quo modo hospitium Theseo præbuerit, videtur non omnis expers veritatis. Sacrificabant enim circum vicini populi coeuntes Hecalesia Iovi Hecalo, honorabantque Hecalem, Hecalenem diminutive blandiendi causa nominantes: quod ipsa quoque cum Theseum admodum adolescentem hospitio accepisset, eum aniliter salutasset, ac diminutive compellasset. Ac quoniam voverat rem sacram Iovi Hecale propter Theseum ad pugnam euntem, siquidem is salvus rediisset: mortuæ ante ejus reditum, jussu tamen Thesei hæc hospitalitatis compensatio obtigit: ut Philochorus scriptum reliquit. Post pau- XI
lò venerunt à Creta tertium, qui tributum peterent. In confesso est apud plerosque historicos, quemadmodum Androgeus in Attica dolo interiisse fit creditus, ac ob ejus mortem cùm Minos bellum gerens multa damna regioni ei inj-inxerit, tum Dii quoque eam afflixerint, sterilitate & morbo gravatam, ac fluminum exundationibus:

*Delphinium.*

*Ægei portæ.*

*Pallantidæ Theseo bellum inferũt, & vincuntur.*

*Leos.*

*Pallenæi.*

*Marathonium taurum Theseus confecit.*

*Hecale.*

*Tributi, quod Athenienses Minoi pendebant historia.*

*Androgeus.*

bus: utque Deo monente, fore ut placato Minoe ac reconciliato, finis iræ Superûm, ac malorum exitus haberetur, Athenienses missis præconibus ac deprecatoribus ad Minoem, pacificationem composuerint, ea conditione, ut per novem deinceps annos, septem juvenes, totidemque virgines mitterent ei tributi nomine. Hos adolescentes atque puellas qui maximè tragicè de eare scribunt, in Labyrintho à Minotauro perditos: aut cùm exitum ejus nullum possent invenire, vagantes interiisse tradunt. Porro Minotaurum itidem, ut Euripides habet, monstrosum fœtum confusarum formarum,

*Tauri specie commixta scilicet, & viri.*

XII At Philochorus scribit, Cretenses inficiari hoc, ac affirmare, labyrinthum fuisse carcerem, in quo nihil esset mali, nisi quod effugere inde non liceret. cæterùm gymnicos ludos Minoem in Androgei honorem edere, pueros que victoribus præmium dare solitum, interea in custodia detentos: primorum omnium certaminum Taurum victoria potitum, qui summæ apud Minoem existimationis, ac præfectus copiarum esset, moribus inhumanis præditus, ac qui pueros Athenienses superbè iniqueque habuerit. Liquet Aristotelem, quo loco Bottiæorum describit rempublicam, ita sentire: non esse interfectos à Minoe istos pueros, sed servili vitâ in Creta consenuisse: quodam porro tempore Cretenses prisci cujusdam voti persolvendi gratia primitias hominum Delphos misisse, quas inter primitias etiam istorum posteri fuerint: atque cùm hi Delphis vitam tolerare suam non possent, primum in Italiam trajecisse, ibique circa Iapygiam consedisse; inde in Thraciam transiisse, ac Bottiæorum nomen sumpsisse: hinc puellas Bottiæorum ad certum quoddam sa- *Bottiæi.*

XIII crificium cantare: *Eamus Athenas.* Equidem palam tum apparuit, eos rem gravem subire, qui cum urbe facunda & docta inimicitias suscipiunt. Nam Minos perpetuo in theatris Athenienſium conviciis laceratus est. neque ei profuit Hesiodus, summum eum regem appellans: neque Homerus, colloquio Iovis usum dicens: quin tragici prævalerent poetæ, qui de pulpito & in scena iniquitatis ac violentiæ magna ipsum infamia onerarunt, utcunque traditum sit, fuisse Minoem regem & legum latorem, Rhadamanthum vero judicem, jurisque à Minoe constituti custodem. Enimvero cùm tempus tertii tributi appetiisset, ac patres quibus essent adolescentes liberi, oporteret eos ad sortem tradere; iterum exortæ sunt contra Aegeum calumniæ civium, deplorantium suam sortem, ac indigne ferentium, quod is, cùm omnis mali causa fuisset, solus nullam in pœnæ partem veniret: sed regno in filium spurium ac exterum collocato, negligeret ipsos orbitati liberorumque amissioni expositos. Molestum hoc fuit Theseo: arbitratusque jure sibi civium rationem habendam, ac fortunæ societatem adeundam, progressus extra sortem se obtulit. Animi ejus magnitudinem cives admirati, studiumque in eo populi, benevolentia prosecuti sunt. Aegeus ubi frustra precibus ac supplicationibus consumptis, à sen-

*Labyrinthus.*

*Minos convitiis Athenienſium laceratus.*

*Theseus in Cretam se abduci patsus.*

tentia filium deduci nullo modo posse vidit, reliquos pueros sorte legit. Hellanicus sanè auctor est, non sorte ductos pueros puellasque à civitate amandari consueviſſe, verùm Minoem Athenas veniſſe, eosque tum delegiſſe, ac ab eo primum omnium esse lectum Theseum; præterea certa id conditione fieri solitum, nempe ut Athenienses navim præberent, in eam adolescentes cum Minoe conscenderent ac aveherentur, neque quicquam armorum ii secum haberent: utque sublato Minotauro pœna ista cessaret. Itaque initio, cùm nulla adesset spes salutis, Athenienses navim velo nigro instructam, ut certa calamitate, miserunt. Tunc verò Aegeus, cùm eum Theseus verbis confirmaret, jactarétque Minotaurum à se domitum iri, gubernatori navis aliud velum album dedit; mandato, ut si salvo Theseo rediret, eo uteretur velo: si quid ei accidisset, nigro velo infortunium indicaret. Simonides non album, sed puniceum fuisse asserit, infectum scilicet flore humido cocci frondentis, idque eum salutis signum constituisse. Idem ait, rectorem navis fuisse Phereclum Amarsyadem, Philochorus Theseum narrat è Salamine accepisse à Sciro rectorem Nausithoum, Phæacémque, qui proræ præesset, (quod eo tempore Athenienses mare non usurparent) cum unus ex adolescentibus esset Menesthes, Sciri è sorore nepos. Huic adstipulantur sententiæ sacella Nausithoo & Phæaci à Theseo posita in Phalero, pone templum Scironis: ac festum quoque diem à gubernatione navis *Cybernesia* dictum in eorum honorem institutum, idem Philochorus inquit. Post sortitionem Theseus eos, quos sors periculo destinasset, è Prytaneo accepit: ac progressus in Delphinium, supplicationis pro eorum salute signum Apollini obtulit: id erat ramus sacræ oleæ alba lana involutus. Voto concepto descendit ad mare, sexta die Munychionis, quo die etiam nunc puellas mittunt supplicatum in Delphinium. Fertur Theseo oraculum Delphicum præcepisse, Venerem itineris ducem faceret, comitemque advocaret: præterea cùm capram apud mare immolaret, eam fortuitò in caprum transisse. inde Veneri Epitragiæ (nam tragos caper ipsorum lingua est) nomen datum. Communis historicorum ac poetarum sermo est, cùm venisset in Cretam Theseus, accepisse eum ab Ariadna, amore capta linum edoctumque qua ratione Labyrinthi flexus pertransiret; interfecto Minotauro, acceptis secum Ariadna & adolescentibus abnavigasse. Addit Pherecydes, carinas eum Cretensium navium insuper insecutionis prohibendæ causa concidisse. Damon Taurum quoque Minois ducem in portu cum navali prœlio exitum impediret, à Theseo occisum ait. Philochorus ita memoriæ prodidit: Cùm Minos certamen adornaret, Taurus opinionem de se præbebat, quasi iterum omnes victorias obtenturus, eratque in invidiâ hominum, ut qui moribus suis jam potentiam aliis molestam effecisset, ac de adulterio Pasiphaes insimularetur. Itaque Theseo petente certaminis sibi copiam fieri, concessit Minos. Mos Cretensibus etiam mulieribus permittit interesse

*Phereclus Amarsyades.*

*Menesthes.*

*Cybernesia.*

*Supplicationis signum. Venus adiutrix Theseï.*

*Prodigium. Venus Epitragia.*

*Theseï in Creta actiones.*

*Taurus.*

*Pasiphaes.*

XIV

XV

XVI

esse spectaculis: aderat igitur Ariadne certamini. ea viso Theseo attonita, pugnantem admirata est cùm omnes vinceret. Minos quoque voluptate affectus potissimum ob Taurum superatum ac ignominiæ objectum, pueros Theseo reddidit. Athenis tributum remi
XVII sit. Clidemus rem totam aliter exponit curiosè etiam altius quædam repetens. Statutum, inquit, fuit Græcis communi suffragio, ne qua triremis quopiam exiret, plus quàm quinque viros vehens: solus autem ejus navis, quæ Argo dicta fuit, rector Iaso circumnavigavit, ac mari prædones depulit. Dædalus porro cùm navi Athenas fugisset. Minos eum contra edictum longis navibus persequens, tempestate in Siciliam ejectus, ibi vitam cum morte commutavit. Tum Deucalion ejus filius Athenienses infensus, misit qui Dædalum exposcerent: minatus, ni dederent, puerorum, quos obsides Minos acceperat, necem. Ei placidè respondit Theseus, pro Dædalo deprecans ut suo consobrino, ipsiusque etiam Deucalionis (cujus mater erat Merope Erechthei filia) consanguineo. Interim classem parare intendit, partim in Attica statim naves fabricans, procul ab eo loco, quo peregrini accederent, partim Trœcene apud Pittheum: id agens ut rem occultam haberet. Navibus perfectis avectus est, Dædalo & exulibus Cretensibus itineris ducibus. Nemo Cretensium rem præsenserat. itaque dum naves socias putant appellere, Theseus portu occupato, egressus è navibus properè Gnosum venit: commissaque in portis Labyrinthi pugna, Deucalionem cum stipatoribus occidit: atque ita summa rerum ad Ariadnam devoluta fœdus cum ea init: receptisque pueris Athenienses cum Cretensibus, juratis nunquam se bellum incepturos amicitia conjun-
XVIII xit. Varii sermones hodie quoque de iis rebus feruntur, ut & de Ariadna, nihil inter se convenientes. Alii enim hanc à Theseo relictam, suspendio vitam finivisse memorant; alii in insulam Naxum à nautis deportatam, cum Onaro Bacchi sacerdote vixisse. Porro autem à Theseo desertam, alius amore correpto:

*Lex Græcorum de navigatione.*

*Argo.*
*Iaso.*
*Dædalus.*
*Minou interitus.*
*Deucalion.*

*Theseus Cretam capit.*

*Variæ de Ariadna historiæ.*
*Naxus.*
*Onarus.*

*Nam gravis hunc urgebat amor Panopeidis Aeglæ:*

Hunc enim versum Hereas Megarensis asseverat Pisistratum Atheniensium gratiam captantem exemisse Hesiodi scriptis, ac vicissim inseruisse Homeri Necyiæ hunc:

*Theseaque, Pirithoumque, deorum sanguine natos*
*Illustres.*——

Sunt qui peperisse ex Theseo Ariadnam dicant Oenopionem, ac Staphylum: quorum è numero est Ion Chius, de patria sua ita scribens:

*Oenopion.*
*Staphylus.*

*Quam Theseida olim condidit Oenopion.*

Enimvero quæ fabulæ maxime consentaneæ sunt, ex omnium fere
XIX in ore versantur. Pæno tamen Amathusius peculiarem de his narrationem edidit. Vi tempestatis, inquit, Theseus in Cyprum delatus, Ariadnam gravidam, maleque à fluctibus affectam, ægram in insula solam exposuit; ipse navi refecta, rursus à terra in altum prove-

ctus est. Mulieres ejus insulæ Ariadnam exceperunt, ac solitudinis impatientem comiter habuerunt, literas confictas tanquam ipsi à Theseo missas obtulerunt: cæterùm ea fætu non edito, debitum naturæ ibi persolvit. Theseus reversus summum ex ea se cepit dolorem, reliquitque Cypriis pecunias, instituto ut Ariadnæ sacrificarent: ac duas statuas exiguas posuit, argenteam unam alteram æneam. In sacris quæ fiunt secunda die Gorpiæi mensis, quidam adolescens decumbit, ac ea loquitur agitque, quæ mulieres cùm pariunt: lucum, in quo ostendunt sepulcrum Ariadnæ, Veneris vocant lucum Amathusii. Iam quidam Naxii propriam quandam narrationem habent: fuisse duos Minoes, duas Ariadnas: quarum altera nupta Baccho in Naxo, Staphylum peperierit: junior altera à Theseo rapta, post ab eodem destituta in Naxum venerit cum nutrice Corcyne, cujus exstet sepulcrum. ibi Ariadnam hanc mortuam, diversis coli honoribus quàm priorem: huic enim cum gaudio & ludis diem Festum celebrari; illius sacra luctu & tristitia misceri. Cæterùm Theseus è Creta avectus Delum appulit, Deoque sacris peractis, Veneris imaginem, quam ab Ariadna acceperat, dedicavit, ac cum adolescentibus choræam duxit, quam ferunt nostro quoque tempore à Deliis usurpari: ea admirationem circuituum & exituum in Labyrintho composita est modo certo, qui digressionibus & involutionibus constet. Genus hoc saltandi Grus apud Delios dicitur, Dicæarcho auctore. Saltavit autem Theseus circum aram Ceratonem, quæ nomen habet à cornibus, constructa est enim ex cornibus, omnibus sinistris iis. Certamen quoque editum ab eo in Delo fuisse scriptum est, ac tunc primum ab ipso palmam victoribus datam. Cum Atticæ appropinquarent, tradunt præ gaudio neque Theseo, neque Gubernatori in mentem venisse, ut velum illud alterum tollerent, itaque salvos se venire Aegeo ostenderent, sic hunc desperata incolumitate suorum, de saxo præcipitem se egisse, ac periisse. Theseus ut navem appulit, sacra in Phalero, quæ voverat Diis, exsolvit: præconem in urbem misit, qui salutem ipsorum annuntiaret. Is invenit multos Regis interitum lamentantes, multos contra gaudentes, ac qui eum amplexari, coronareque salutis nomine cuperent: itaque acceptis sertis caduceum redimivit, ac ad mare reversus, cùm nondum libasset Theseus, mansit ante fores, ne sacra perturbaret: libatione demum perfecta, Aegei mortem exposuit. Itaque raptim in urbem ascensum est cum fletu ac tumultu: unde nunc quoque cùm Oschophoria celebrantur (ita dicta à frondium gestatione sollenni) non præco sed caduceus coronatur, ac inter libandum acclamatur à præsentibus, *Eleleu, Iu, Iu:* quarum prior alacriter agentium & militaris vox est, altera consternationem & trepidationem significat. Sepulto patre, Theseus votum repræsentavit Apollini, septima die mensis Pyanepsionis, qua die incolumes in urbem redierant. Quod autem coquuntur leguminа (hæc *pyana* Græcè sonant, unde mensi nomen) inde sumptum ferunt,

*Minoes duo totidemq; Ariadna.*

*Cercyne.*

*Chorea. Grus.*

*Cerato, cornuta ara.*

*Palma.*

*Aegei interitus.*

*Oschophoria. Caduceicoronatio. Eleleu, Iu. Pyana mensis Pyanepsion. Leguminum coctio.*

XX

XXI

XX II

runt, quod reduces ciborum quicquid erat reliquum commiscuerint, ac in unam ollam conjectum coxerint, tum simul epulati sint. Eiresionam quoque hoc est, lemniscatam frondem efferunt, (frond[illegible] oleæ lana, sicut tunc signum supplicationis fuerat, coronatam; appen[illegible] super omnis generis primitiis, quia sterilitas terræ cessasset) acci[illegible]entes:

*Eiresiona seu lemniscus.*

*Ficus & pingues panes ferat Eiresiona,*
*At que in [illegible] favos, olei fundatq; liquorem,*
*In calicesq; merax, ut dormiat ebria vinum.*

Ne[illegible] desunt qui hæc ab Heraclidis orta dicant, sic ab Atheniensibus educatis: sed plerique tamen ita, uti expositum est, sentiunt. Navim triginta remis aptam, in qua cum pueris Theseus abiit ac rediit, Athenienses usque ad tempora Demetrii Phalerei conservarunt, ligna vetusta subinde dementes, nova alia valida addentes ac compingentes: ita ut Philosophis, de ratione incrementi disputantibus, navis ea exemplo fuerit: cùm alii eandem navim permanere, alii non perdurare dicerent. Oschophoria à Theseo instituta celebrant. Is enim (ut ferunt) non omnes virgines quas sors legerat, secum abdixit. sed duos juvenes, quorum consuetudine utebatur, qui facie muliebri essent ac puellari, animo autem virili, ac præsenti, lotionibus aquæ calidæ, educatione umbratili, capillo, ac corpore toto unguentis atque arte ad levitatem compositis ita permutatos plane edoctosque vocem, gestus & incessum, uti quàm maxime virginum similes essent, neque ulla discrepantia appareret, inter virgines retulit omnibus ignaris. Postquam rediit, ipse ac juvenes illi pompam duxerunt eo habitu, quo nunc utuntur, qui ramos Oschophoriis gestant. Eos autem gestant in honorem Bacchi & Ariadnæ, fabulam secuti, aut potius quod jam fructibus autumno comportatis redierant. At mulierculæ cœnam ferentes adduntur iis, & in societatem sacrificii recipiuntur, imitantes matres eorum qui sorte ducti erant: circuiverant enim hæ eos, cibos portantes: fabulæque tum recitantur, propterea quod hæ etiam animi causa & consolationis, filiis fabulas recitaverant. Hæc Damon scripsit. Templum etiam Theseo est concessum: jussitque ipse eas familias, è quibus sorte ad tributum adolescentes essent lecti, sibi ad sacrificium conferre pensionem: curationem ejus sacrificii penes Phytalidas esse voluit, hanc eis hospitalitatis mercedem reddens. Secundum Aegei obitum, opus arduum atque admiratione dignum animo suo Theseus proposuit. Omnes enim qui Atticam inhabitabant, in unam urbem conduxit, unumque populum in unam civitatem composuit, cùm hactenus sparsim degentes, difficulter convocari ad utilitatem publicam consultandam possent. Interdum etiam dissidentibus invicem, ac mutuò armis disceptantibus per singulos populos, aut gentes; circumiens pacis auctor fuit: æquo animo accipientibus ejus admonitionem privatis ac pauperibus. Potentibus autem prædicabat, Remp. absque regia dominatione fore,

XXI II

*Oschophoria describit.*

*Thesei templum & sacrificium.*

*Phytalidæ.*

XX IV

*Atheniensem civitatem Theseus constituit.*

fore, si regem se constituissent: utpote ubi populo summam rerum in sua potestate habente, ipse tantum belli dux, ac legum custos esset, cætera ejusdem cum reliquis conditionis. Itaque aut persuadebat, aut certe potentiam ejus jam adultam, ac audaciam metuentes, malebant verbis quam vi adacti concedere. Proinde sublatis prytaneis, curiis ac magistratibus, quæ erant apud singulos populos, unicum ibi omnibus commune Prytaneum, similiterque Curiam erexit, quo loco nunc videntur: astu ipsum, & urbem, Athenas nominavit, Panathenæa sacrificium publicum instituit: Metœcia quoque sacrum *à mutatis civium sedibus* dictum, XVI. die Hecatombæonis fecit, hodie quoque usitatum. Tum regno ut pollicitus erat dimisso, urbem exornavit, à religionibus facto initio. Cùm enim de urbe consuluisset oraculum Delphicum, tale ipsi responsum allatum fuit: XXV

*Aegide Thesèu, Pittheide nate puella.*
*Multis in vestra genitor meus urbibus urbe*
*Fines, & fati non irrita fila locavit:*
*At tu ne nimium mentem, dum consulis, angas:*
*Nanque uter in pelagi rapido jactabere fluctu.*
*Sed cursus tibi salvus erit, portumq; tenebis.*

Hoc idem oraculum perhibent memoriter deinde recitatum à Sibylla urbem ita alloquente:

*Subsidit, neque fas te mergi protinus utrem.*

Quo magis augeret urbem, æquo jure omnes in civitatem suam vocavit: ac illud quod in vocando populo solenne erat, *Adeste omnis populi*, à Theseo introductum ferunt, qui totius populi concionem instituerit. Neque vero passus est, Remp. propter populi indiscreti accessionem ordinis vacuam confusione laborare; sed primus ipse patricios, agricolas, ac opifices inter se distinxit: patricius tribuit cognitionem rerum divinarum, utque magistratus ex iis crearentur, de jure ipsi responderent, sacra & cæremonias exponerent, æquata dignatione cum reliquis civibus: quippe patricii existimatione, agricolæ usu, numero opifices anteire credebantur. Quod autem primus ad plebem se accommodaverit, regno omisso, sicut Aristoteles inquit. id videtur Homerus quoque in recensione navium testari voluisse, ubi solos Athenienses populi cognomento afficit. Nummum etiam cudit bove insculpto, incertum propter Maratho niumne taurum, an Minois ducem, an ut cives ad agriculturam adhortaretur. Inde ductum asserunt, ut in æstimatione precii rerum, valere centum, aut decem bobus aliquid dicatur. Proinde cùm Megaricam regionem Atticæ firmiter adjunxisset, statuam vulgato sermone celebrem illam in Isthmo posuit, inscriptione addita, quæ regiones inter se divideret, duobus trimetris versibus: quorum is qui orientem Solem spectabat, erat talis: XXVI

*Athenienses populus in tres partes divisus.*

*Il. C. 547.*

*Megarica Atticæ adjuncta.*

*Hæc non sunt Peleponnesus, verùm Ionia.*

qui ad occidentem, ita habebat:

*Sunt*

*Sunt Peleponnesus ista, non Ionia:*

Isthmicum certamen primus ipse edidit: ductus æmulatione Herculis. id contendens, ut quo modo propter Herculem, Iovi Olympia Græci agunt, ita propter se Neptuno iidem Isthmia celebrarent. Quod enim in honorem Melicertæ institutum fuit, noctu peragebatur, magisque sacrificii, quàm spectaculi aut ludorum habebat naturam. Sunt qui Scironis causa Theseum Isthmia dicant posuisse, expiantem cædem consanguinei Scironis, qui Canetho & Heniocha natus erat, filia Pithei. Alii Sinnin loco Scironis ponunt. Statuit autem Theseus, estque cum Corinthiis pactus, ut Athenienſibus qui ad Isthmia venirent, priorem ii locum in confessu darent: quantum scilicet spacii occupat velum navis, qua spectatum venirent, expansum: ita enim tradunt Hellanicus & Andron. Halicarnasseus. In Pontum Euxinum navigavit Theseus, Herculem comitatus contrà Amazones, Antiopenque præmium virtutis ab eo accepit, si Philochoro & quibusdam aliis scriptoribus credimus. Nam plerique alii, interque hos Pherecides, Hellanicus, & Herodotus, post Herculem referunt Theseum propriam navigationem fecisse, Amazonemque istam manu cepisse, quorum verisimilior est sententia: neque enim quisquam eorum, qui cum Hercule navigassent, Amazonem aliquam captivam dux sse traditur. Bion auctor est, hanc quoque fraude circumventam à Theseo, abductamque. Quod enim natura suapte Amazones viros diligerent, eo factum, ut Theseum ad suam regionem accedentem, non fugerent, sed munera hospitalia mitterent: atque eum dona ista ferenti Antiopæ persuasisse, ut in navem veniret, sicque inde solvisse. Iam Menecrates quidam, qui de Nicæa Bithyniæ urbe historiam edidit, memoriæ prodit, Theseum circa Nicæam cum Antiopa commoratum fuisse, habuisseque militiæ socios tres adolescentes, Athenis oriundos, nimirum Euneon, ejusque Germanos Thoantem, ac Soloontem. Hunc postremum in amorem Antiopæ prolapsum, cùm reliquos lateret, aperuisse rem cuidam familiarium: ab hoc Antiopam ejus rei causa compellatam summopere abnuisse, usam tamen modestia humanitateque ea, ut ad Theseum rem non deferret: Soloontem desperatione compulsum, in fluvium quendam se abjecisse, ac ita periisse. At Theseum, cùm casum adolescentis causamque cognovisset, ac ægrè admodum ferret, in memoriam revocavisse oraculum quoddam Pythium, quo jussus fuerat apud Delphos, cùm in aliena terra maximum dolorem acciperet, ut ibi urbem conderet, suorumque aliquot ei præficeret. Condidisse itaque urbem, eique Pythopolin nomen à Deo ductum imposuisse: ac fluvium quoque qui juxta erat, Soloontem in honorem adolescentis cognominasse: fratres ejus reliquisse urbis moderatores, ac legum conditores, unaq; Hermum patricium Athenienſem. Ab hoc Pythopolis cives loco nomen indidisse *Hermû Oecia*, quod est Mercurii domus: cùm fuerit Hermi non Mercurii dicenda, atque ipsi perperam circumflexa posteriore vocabuli *Hermû* syllaba, no-

*Isthmicum certamen & Olympicum.*

*Thesei contra Amazones profectio.*

*Nicæa.*

*Oraculum.*

*Pythopolis.*

ba, nomen ab heroe Hermo, ad Mercurium Deum (qui Hermes
*Bellum Amazonicum.* Græcis est) transtulerint. Enimvero hac, qua dixi, occasione conflatum bellum Amazonicum, non levi aut muliebri opera gestum est. Neque enim in urbe castra, neque prœlium apud Pnycem & Museum collatis manibus factum fuisset: nisi Amazones regione occupata, nemine obstante, ad urbem accessissent. Sanè quod Hellanicus scripsit, eas per Cimmerium Bosphorum gelu concretum transiisse, fidem haud facilè invenit: castra eas proximè urbem habuisse testantur & locorum nomina, & sepulchra eorum qui occubuerunt. Multum temporis, cunctantibus utrisque, neque adoriri hostem audentibus extractum est: tandem Theseus cùm Apollini rem divinam ex oracuło quodam fecisset, Amazones aggressus est. Pugnatum est mense Boedromione, cujus pugnæ causa in hunc usque diem Athenienses sacrificia Boedromia peragunt, mensique inde nomen est Boedromion: vocabuli origo à clamore, cum ad auxilia accurreretur, sublato trahitur. Cleidemus singula accuratè xxx
persequi cupiens, sinistrum cornu Amazonum tradit ad eum locum conversum fuisse, qui Amazonium dicitur: dextro eas secundum Chrysam ad Pnycem perveniisse, in quod Athenienses à Museo impetu facto pugnaverint. Sepulchra eorum, qui ceciderint, fuisse apud plateam quæ ad portam fert, qua Chalcodontis sacellum est, hodie Peiraica dicitur. Hac compulsos eos, usque ad Eumenidum (Furias hoc vocabulo Græci significant) fanum vini mulierum declinasse: cæterùm à Pallaido, Ardetto & Lycio irruentes, dextrum earum cornu usque ad castra profligasse, multis earum dejectis.
*Hippolita.* Quarto mense pacem opera Hippolytæ compositam: hoc enim nomen ei, quæ uxor Thesei facta fuerit, non Antiopæ tribuit. Hanc alii perhibent, cum Thesei à parte stans pugnaret, à Molpadia jaculo confixam, eique positam statuam, quæ ad Olympiæ Telluris est. In rebus adeo antiquis historiam non constare, mirum non est; xxxi
quando sunt etiam, qui dicant saucias Amazones furtim ab Antiopa Chalcidem missas, ibique curatas, quasdamque ibi sepultas eo loco, qui nunc Amazonium dicitur. Bellum pacificatione finitum
*Orcomosium.* fuisse, argumento est loci nomen juxta Theseium, qui Orcomosium à juramentis ibi præstitis nuncupatur: præterea sacrificium antiquitus Amazonibus ante Thesea peractum. Megarenses quoque Amazonum bustum ostendunt, quod est Megaræ, cùm itur à foro ad Rhun (loci id vocabulum fluvium significat) qua Rhombοides est. Alias quoque apud Chæronæam oppetiisse traditum est, ac ad rivum tumulatas, qui quondam Thermodon, nostra tempestate Hemon appellatur: qua de re in vita Demosthenis disseruimus. Videtur, ne per Thessaliam quidem Amazonibus iter facile fuisse, nam apud Scotussæam ac Cynoscephalas etiamnum earum sepulchra monstrantur. Hæc de Amazonibus, quæ memoratu digna duximus. Nam quæ Amazonum rebellio ab eo perscripta est, qui Theseidem composuit, nempe ducenti Phædram Theseo ab Antiopa insidias

factas

factas, adjuvantibus eam reliquis Amazonibus, easque ab Hercule
XXXII interfectas, fabulæ ac commento similima est. Mortua Antiopa, *Nuptiæ Thesei cum Phædra.*
Phædram uxorem accepit Theseus, cum filium haberet ex Antiopa *Hippolytus.*
Hippolytum, aut, ut Pindaro placet, Demophontem. Calamitas, *Demophon.*
quæ Phædræ & Hippolyti causa accidit Theseo, quoniam de ea in- *Aliæ nuptiæ Thesei.*
ter historicos & Tragicos nihil discrepat; ita ut ab omnibus illis est
expolita accipienda est. Sunt tamen aliæ quoque de nuptiis Thesei
narrationes, quæ in scena auditæ nunquam sunt, initiis parum ho-
nestis, infortunatisque exitibus constantes. Nam & Anaxo quædam
Trœcenia rapta à Theseo memoratur: & Sinni eum ac Cercyone occi-
so, vim filiabus eorum intulisse: ductas quoq; ab eo Peribœeam
Ajacis matrem, inde Pherebœam ac Iopam Iphiclis: porro amorem
Aeglæ, Panopei filiæ, derelinquendæ Ariadnæ (uti supra retulimus)
causam fuisse, neque honestam, neque convenientem: super omnia
hæc, raptum Helenæ Atticam bellis implevisse, ipsi exilio atque
XXX exitio vertisse: sed de his post paulò dicemus. Cùm eo temporum *Thesei labores.*
III tractu virtute præstantes viri multos labores obierint, Herodorus
Theseum censet nullius participem fuisse, præterquam quod in
pugna contra Centauros, Lapithas adjuverit. Alii cum Iasone e-
tiam Colchos petiisse, Meleagroque in apro conficiendo opem tu-
lisse asserunt, indeque proverbium extitisse: *Non sine Theseo.* ipsum
nullius auxilium requirentem, multa ac præclara facinora edidisse,
de eoque invaluisse vulgatum illud: *Alter Hercules* Adrasto quo-
que in impetrandis iis, qui ad Cadmiam ceciderant, adfuit, non qui-
dem prœlio superatis Thebanis (quod Euripides in Tragœdia fin-
xit) sed mutuo fœdere icto, quæ est plurimorum sententia. Philo-
chorus addit, primum id de cadaveribus recipiendis fœdus compo- *De cadaveribus recipiendis fœdus.*
situm. Sed Herculem primo omnium mortuos hostibus reddidisse,
in ejus vita nos docuimus Cæterum sepulchra majoris partis Eleu- *Eleutheræ.*
theris cernuntur, ducum Eleusine: id quoque gratiæ Adrasti à The-
seo datum. Euripidis quidem Supplices premuntur, etiam Eleusi-
niorum, quæ est Aeschyli tragœdia, testimonio: in his ea, quæ mo-
XXX dò dixi, Theseus ipse dicens introducitur. Pirithoi amicitiam hoc *Thesei & Pirithoi coniunctio.*
IV modo initam ferunt. Maxima erat roboris ac fortitudinis gloria
Thesei: ejus quo periculum facere posset Pirithous (id enim cupie-
bat) boves quos Marathone Theseus habebat, abegit, cognitoque
eum armatum insequi, non fugæ se dedit, sed verso itinere obviam
ivit. Cùm alter alterum vidisset, formæ ac audaciæ admiratione
mutua correpti, duellum omisere priorque Pirithous dextram pro-
tendens ipsum Thesea, boum à se aversorum multã arbitrari jussit,
seq; libenter ejus sententiæ pariturum affirmavit. Theseus multam *Nuptiæ Pirithoi & Deidamiæ.*
remisit, & ad amicitiam societatemque eum provocavit: amicitiam- *Lapitharum contra Centauros bellum.*
que tum juramento sanxerunt. Pòst cùm Deidamiam duxisset Piri-
thous, petiit à Theseo ut ad nuptias veniret, regionémque perlu-
straret eam, ac Lapithas conveniret. Vocarat autem etiam Centau-
ros ad convivium: qui cùm petulanter libidines suas exercerent,

vinoque

vinoque graves à mulieribus sibi non temperarent, versi ad vindictam Lapithæ partim eorum obtruncaverunt, reliquos deinde bello victos regione ejecerunt, Theseo pugnam ac bellum adjuvante. Herodorus non eo modo rem actam, sed commisso demum bello xxxv
Theseum auxilio Lapithis venisse scribit: ibique primùm ei Herculis coram videndi copiam factam, operæprecium arbitrato, ut eum, qui tum, errorum atque ærumnarum fine facto, ad requiem se dederat, Trachine conveniret: congressumque hunc eorum multo cum honore, benevolentia, ac laudibus inter ipsos factum. Tamen his potius accedo, qui eos sæpenumerò una fuisse memoriæ prodiderunt, initiatumque sacris Herculem opera Thesei, qui lustrationem etiam, quapropter quædam inconsultò in se admissa flagitia Hercules egerit, initiationi præmiserit. Verùm Theseus, cùm xxx
*Theseus Helenam rapit.* jam quinquagesimum annum attigisset, præter ætatem Helenam vi
rapuit, ut Hellanicus tradit. Quapropter quidam ejus hoc crimen, tanquam reliquorum maximum, purgantes, non ipsum Helenæ raptorem fuisse asserunt: sed raptam ab Ida & Lynceo depositi nomine accepisse, repetentibusque Castori & Polluci non concessisse.
*Idæ, Lynceus.* Quibusdam magis probatur; à Tyndareo Helenam Theseo traditam, timente Enarsphorum Hippocoontis filium: qui ut sibi, quanquam impubis adhuc daretur, magna vi contendebat. Quæ veritati proxima, ac pluribus testibus firmata sunt, ita habent. Cum Pirithoo Theseus Spartam venit: ibi Helenam puellam in templo Dianæ Orthiæ saltantem rapientes aufugerunt: ac cùm qui ad insequendum missi erant; non ultra Tegeam processissent, evitato periculo, Peloponneso peragrata, pacti sunt inter se, ut utri sors favisset, is Helenam uxorem haberet, alterique in aliis nuptiis conficiendis operam navaret. Sorte jacta, Theseo Helena contigit: is virginem acceptam, nec dum nuptiis maturam, Aphidnas deportavit, ac una cum sua matre, Aphidno amico suo adservandam tradidit: mandato, caveret ne quis resciscceret. Ipse ministerium pactum ut præstaret Pirithoo, comitatus eum est in Epirum proficiscentem, propter Aidonei Molossorum regis filiam. Is uxori nomen Proserpinæ indiderat, filia Cora vocata, & canem præterea suum Cerberum dixerat; edicto, ut qui filiam suam in matrimonium peteret, ita ea potiretur, si cum cane isto congressus superior fuisset. At enim cùm Pirithoum ac Theseum non ambiendæ, sed rapiendæ virginis causa
*Pirithous perit. Theseum capitur.* venisse sentiret, manus eis injecit, ac Pirithoum statim, cani objectum necavit, Theseum in custodia detinuit. Interea loci Mene- xxxv
stheus Petei filius, cui pater Orneus, avus Erechtheus fuit, primus ii
inter homines, qui populi animos sibi devincire ac gratiam plebis in dicendo captare intenderit, potentum coitionem effecit, eosque dictis accendit, jam dudum Theseo infensos, existimantesque hunc omnibus populis in unam urbem conclusis, erepta singulis patriis magistratus ac regni facultate, omnibus iis subditorum ac servorum loco uti; idemque vulgus urbanum concitavit calumniando,

Videre

Videre ipsos somnium modò libertatis: revera eo spoliatos patria, quemque sua ac penatibus, ut pro multis bonis ac genuinis regibus unicum dominum, eumque advenam extraneumque suspicerent. Hæc illo agitante, bellum a Tyndarei filiis Castore ac Polluce illatum Athenis, rerum novarum studio magnum momentum attulit: ac sunt qui Castores omnino Menesthei monitu ad Athenas duxisse militem credant. primò omni maleficio abstinentes, sororem reposcebant, civibus respondentibus neque apud se eam esse, neque notum sibi ubi locorum sit relicta, ita bellum parârunt. Ibi Academus quidam iis Helenam esse Aphidnis occultatam indicat, incertum qua id sibi ratione compertum. Itaque & vivo ei honores à Tyndaridis habiti, & sæpe inferioribus temporibus Lacedæmonii in Atticam irrumpentes, totamque regionem vastantes, Academiæ propter Academum pepercerunt. Dicæarchus verò auctor est, eo tempore duos Arcades Tyndaridis in bellum comites iviſſe, Echedemum & Marathum: quorum ab altero Echedemia dicta sit, quæ nobis est Academia: ab altero Marathon curia: cùm se hic oraculo ductus sponte mactandum ante instructam aciem dedisset. Tyn- xxx daridæ Aphidnas pervenerunt: pugnaque secunda facta, oppidum VIIIVI ceperunt. Ibi narrant Alycum Scironis filium, commilitonem Tyndaridarum oppetiisse, locumque Megaricæ regionis in quo is tumulatus est, nomen ab eo habere. Hereas ab ipso Theseo ad Aphidnas interfectum Alycum scribit: cui rei testimonium perhibeant etiam hi de Alyco versus:

*Castores bellum Atticæ inferunt.*

*Academiin dicium.*

*——Quem quondam in populosa fortis Aphidna.*
*Formosæ pugnantem Helenæ vita exuit ergo*
*Theseus.——*

Attamen non est simile veri, præsente Theseo, matrem ejus ac Aphidnas in potestatem hostium venisse. Aphidnis captis, metu correptis civibus Menestheus suasit, ut in urbem reciperent Tyndaridas, ac amicè tractarent: quippe cùm hi solum Theseum, lacessiti injuria, bello petiissent, reliquos homines beneficiis ac salute impertirent. Id ejus consilium Tyndaridarum facta comprobaverunt. Neque enim cùm omnium potiti essent, quicquam postulavêre, quàm ut sacris initiarentur: nihilominus ad urbem, quam Hercules, pertinentes. Consecuti sunt hoc, adoptante eos Aphidno, sicut olim Pylius Herculem: divinique ipsis honores, & ut Anaces nominarentur, tributi sunt. Id nominis an propter inducias, quas *anochas* Græca lingua affert: an quia curam operamque dederant, ne quis maleficium acciperet, cùm tantus esset in urbe exercitus (Anacos enim habere dicuntur, qui quamcunque rem tutantur custodiuntque, unde fortassis Græcis reges Anactes nuncupati) adepti sint, parum convenit. Neque desunt, qui propterea quod eorum sidera apparent, ita appellatos existiment: *ano* enim, quod significat *supra*, xxx Atticorum lingua *Anecas* pronunciari, & *Anecathen* esse iisdem ix idem quod aliis Græcis *Anothen*, Latinis est *desuper*. Aetheram

*Initiatio.*

*Anaces qui.*

Thesei matrem captivam tradunt Lacedæmonem abductam esse, inde cum Helena Troiam: Testimonioque Homeri confirmant, qui eam Helenæ comitem fuisse hoc versu adserat:

*Iliad. γ. 144.*

*Exsertis Clymenem oculis, Pittheidaq; Aethram.*

Alii hunc versum improbant, perinde atque fabulam de Munycho: quem cum Laodice ex Demophonte furtim sustulisset, Troiæ Aethræ auxilio educatum memorant. Verumenimverò Ister libro Atticæ historiæ XIII peculiarem quandam, ac à reliquis diversam de Aethra narrationem vulgavit: scilicet Alexandrum qui Thessalis est Paris, ad Sperchium prœlio ab Achille superatum fuisse: atqui Hectorem Trœzene capta & direpta Aethram, quæ ibi fuerat relicta, abduxisse. Sed multa absurda insunt. Cæterùm Aidoneus cùm XL Herculem hospitio excepisset, ac forte mentionem Thesei & Pirithoi fecisset, & quam ob rem venissent, quasque reprehensi pœnas dedissent: ægrè id tulit Hercules, hunc ignobili exitu periisse, illum perire. Itaque arbitratus si Pirithoi causa Aidoneum incusaret, nihil se profecturum, id ab eo sibi gratiæ dari petiit, ut Theseus liberaretur. Quod cùm à rege obtinuisset; dimissus Theseus Athenas rediit, nondum prorsus oppressis suis amicis. Quo quidem tempore quæcunque templa sibi è civibus data habuerat, omnia ea Herculi consecravit, ac pro Theseis Herculea nuncupavit: quatuor tantum demtis, si Philochoro credimus. Sed cùm regnare statim, sicut ante, vellet, ac rempub. gerere: in factiones incidit, ac turbas, invenitque eos, quos reliquerat sibi infensos, id ad odium adjecisse, ne ipsum timerent: ac magnam populi partem corruptam offendit, qui potius demulceri obsequio, quam taciti imperata facere vellent. Eam ob causam cùm vim pararet, gratis ad plebem aliorum concionibus atque factionibus superatus, tandem rebus desperatis, liberos in Eubœam ad Elephenorem Chalcodontis filium clam emisit: ipse in Gargetto Athenienses execratus (ubi nunc Araterium, quasi locus imprecationum est) in Scyrum navigavit: quod sibi cum ejus insulæ hominibus amicitiam, ac prædia ibi paterna esse putaret. Scyriorum regnum eo tempore Lycomedes habebat. Ad XLI hunc Theseus se contulit, agrosque sibi reddi, ut habitaturus ibi, poposcit: alii auxilium contra Athenienses petiisse ajunt. At Lycomedes, sive gloriam viri suspectam habens, sive ut rem Menestheo gratam faceret: in promontorium regionis Theseum produxit, tanquam inde monstraturus agros, proturbatumque de saxis perdidit. Quidam lapsum fortuitò, nemine impellente, perhibent, cum more suo post cœnam deambularet. Quo Theseus periit tempore, nemini ipsius mors curæ fuit: sed Menestheus rex Atheniensium factus est filii Thesei privatam agentes vitam, cum Elephenore ad Troiam sunt profecti. ibi Menestheo mortuo reversi in patriam, regnum receperunt. Posterioribus verò temporibus Athenienses, ut Theseum tanquam heroem venerarentur, cùm alia moverunt, tum quod in Marathonia contra Medos pugna multi fuerunt, qui se um-

*Hercules Theseum liberat.*

*Herculis templa Athenis.*

*Thesei imprecatio & exilium.*

*Lycomedes. Thesei interitus.*

*Menestheus rex Atheniensium.*

se umbram Thesei armatam vidisse ante aciem Græcorum barba-
XLII ris irruentem putarent. Post Medicum bellum, Phædone impe- *Oraculum.*
rante, cùm Athenienses oraculum consuluissent, responsum est à
Pythia, ut ossa Thesei reciperent, ac recondita reverenter apud se
retinerent. Difficultas in iis recipiendis erat maxima, inveniendo-
que sepulcro, quod cum barbaris Scyrum inhabitantibus nulla es-
sent commercia, moresque eorum difficiles. Verumtamen Cí- *Cimon ossa*
mon cùm insulam eam cepisset, (ut in ejus vita scripsimus) ac ma- *Thesei inve-*
gno ea studio inquireret: videns aquilam rostro (sic enim prodi- *nit.*
tum est memoriæ) quendam collem recludere, ac unguibus mo-
liri, Deûm beneficio conjectatus ibi esse ea, effodit. Inventus est
loculus magni corporis, adjectaque cuspis ærea & gladius. Hæc *Sepulchrum*
cùm in triremi attulisset Cimon domum, læti Athenienses, tan- *Thesei.*
quam si ipse Theseus in urbem redierit, illustri pompa obviam pro-
gressi, peractis sacrificiis, exceperunt. Sepulchrum Theseo media
urbis regione, quà nunc Gymnasium est, conditum: idque servis,
ac omnibus inferioris sortis hominibus, qui vim potentiorum me-
tuunt, asylum constitutum, quòd Theseus patronus, & ad opem fe-
rendam promptus fuisset, precationesque miserorum humaniter
XLIII accepisset. Sacrificium ei maximum fit octavo die mensis Pyane-
psionis: qua die cum adolescentibus è Creta rediit. Quinetiam o-
ctavo cujusvis mensis die ipsum colunt: sive quod primus ejus
Trœzene adventus incidit in diem octavum Hecatombæonis,
quemadmodum Diodorus (qui à diligenti rerum expositione Pe-
riergetes dicitur) scriptum reliquit: seu quod hunc magis quàm
reliquos, numerum convenire existiment Theseo, qui Neptuni fi- *Neptunus.*
lius sit creditus: nam octavo cujusque mensis die Neptunum hono- *Octonarius.*
rant. Scilicet octonarius numerus, cùm sit primus cubus à pari nu-
mero productus, duplámque ad primum quadratum rationem ob-
tineat, habet in se constantiam, immobilitatemque, quæ naturæ
Neptuni congruunt: cui Asphalii & Gæaochi cognomenta à firmi- *Asphalius.*
tate, & quia terram contineat, imposita sunt. *Gæaochus.*

## IN THESEUM PLUTARCHI
### Interpretis Annotationes.

UTILE *est admodum scire; qua quis ætate, quibus temporibus vixerit, quorum hominum fuerit æqualis. Id quamvis de Theseo indicare difficilius est, quia ante Olympiadas fuit: tamen cùm Helena puella sit ab ipso rapta, cùm filii ejus in Troiano bello fuerunt, cùm ipse Herculis amicitiam coluerit, colligi ex iis quæ apud Clement. Alexandrinum lib.* I. στρωμάτ. *apud Dionysium Halicar. lib.* I. *de antiquitate Romana, apud alios multos historiarum & annalium scriptores demonstrantur, potest, à Romulo & Roma ad Æneam usque & Troiam tempora repetentibus nobis, Theseum annis circiter ante Romam conditam* CCCCL. *floruisse, (nam quos qui-*

*dem initio Romæ pro meta quasi & scopo utemur, ad quem dirigamus omnes alias historias, & ad hos quasi carceres revocemus; quando neque de annis à creato mundo elapsis certum & firmum quicquam adhuc traditum est: & si quis ad natales Christi referre tempora velit, nullo id negocio facere possit, cùm constet fere, anno ab V. C.* IↃCCLI. *Christum natum.)* Plutarchus quidem auctor in vita Cimonis est, ossa Thesei CCCC. circiter post exilium ejus annis Athenas à Cimone reportata fuisse. id autem apparet circà annum Romæ CCXXC. factum fuisse: ut vix CL. annis aut ad summum CC. ante Romam conditam vixisse Theseum, inde judicari possit. Sed & is locus (ut multi alii) mendosus haud injuria, opinor, censeri potest. & si hoc non sit, aliam à nostra & recepta supputationem sequi Plutarchus potuit: quando non unam sed plures, ipse Dionysius refert. Caterùm Sossius iste Senecio, cujus tam nobilis est in Plutarchianis lucubrationibus mentio, quatuor sub Traiano gessit consulatus, ut ex annalibus patet. Fuisse eum in summo apud Imperatorem honore, Xiphilinus scribit ex Dione.

Cap. 1. Quod est apud Æschylum.) *Versus sunt de Tragœdia cui titulus* ἐπτὰ ἐπὶ Θήβας.

Ambo præstantes.) *Versus est Homericus Iliad. x* 281. *Idæi præconis ad Hectorem & Æacem.*

Siquidem ea quæ ut minimum.) *Lapus hæc verba ad ea quæ de natalibus Thesei sequuntur, retulit. Ego secutus sum distinctionem Græci codicis: videtur enim Plutarchus hæc dixisse, fabulæ causa removenda, quæ de Romulo in cœlum rapto fertur.*

Cap. 2. Euripides.) *Initio Hippolyti coronati.*

Optime vir.) *In Græco est* δῆμον ἀθηναίων εὐσεφίσθαι. *Legendum esse* ἀφικέσθαι, *ratio carminis docet. Iisdem ferè verbis recitat hoc oraculum Aegeus Medeæ apud Euripidem Isæus in Lycophronem eadem copiosè exponit, & ipsum oraculum hoc modo: (quam quidem genuinam lectionem esse puto:)*

ἀσκὸν μὲν πρέχοι σε ποδέοια φίρτατε λαῶν
μὴ λύσης, πρὶν ἐς ἄκρον ἀθηναίων ἀφίκηαι.

Sub saxum ingens.) *Esse in via ab Hermione Træzenum euntibus ait & describit Pausan. lib.* 2.

Vtrobique vi Græci.) *Hoc addidi de meo, perspicuitatis causa. nam &* υἱὸς θέσις *adoptitius dicitur, quasi* τὸ θῆναι: *ac* θέσις *adoptio, & cum* τίθημι *sit pono, à monumentis istis repositis dici potuit* Θησεύς.

Cap. 3. Quod de Abantibus Homerus.) *In Bœotia,* 542. *vocans eos* ὄπιθεν κομόωντας, *crinito occipite. Cæterum de more comam Deo nuncupandi, & consecrandi, Pausanias hæc:* τὸ δὲ ἕτερον αὐ ἄθημα κειρομένοις τῶν κόμων παιδὸς οἱ ἐπὶ τοῦ κηφισοῦ καὶ ναυσίνεαν ἢ ὧν παλαιοῦ τὸ εἰς πᾶσι τοῦτο Ἕλλησι, τῇ Ὁμήρου ἐς αὖ πεποιήκασι ποίησις, ὃς τὸν Πηλέα εὔχεσθαί φησι τοῦ Σπερχειῷ κρεῖν, ἀνασωθέντ' ἂν τροίας Ἀχιλλέως, τῷ κόμῃ. *Atticis. Locus Homeri est. Iliad.* Ψ. 140.

Cap.

Cap.5. In Isthmo Sinnim.) *Ovid 7. Metamorph. Scinim nominat.*
*Occidit ille Scinis, &c.*

*Locus est videndus: continet enim horum Thesei facinorum elegantem recensionem. Et Pausanias unico N, σίνιν scribit Apud Aristot. 3. Rhetor. 3. legitur* Σκίρων σίνις ἀνὴρ.

Et spinis densis obsitum.) ἀσφάραγγον. *Lego, ut alii scribunt,* ἀσφαραγον. *Cur spinam verterim, Suidas docebit. & Eustachius ait in Iliadis 21. esse τὸ ἐκ τῶν ἀκανθῶν ἀναφυόμενον. Stæben ex spinosarum herbarum numero esse apparet ex Plin. 21. 16.*

Cæterùm sus Crommyonia.) *Ovid. Cromyonia, unico M scribit.*
*Quodque suam securus arat Cromyona colonus.*

*Apud Pausaniam in Atticis legitur,* ὗς τῆς κορινθίας ἐν κρομμυῶνι. *Sed rursus initio Corinth.* κρωμύων, ἀπὸ τοῦ κρώμου τοῦ ποσειδῶνος. *Stephano est* κρεμμύων, *Plinio Cremyon. Strabo lib. 8.* κρομύων *habet. De hoc vide nostrum geographicum Onomasticon.*

Cap. 6. Sunt qui Phæam mulierem latronem.) *Lego enim non* λῃστρίδα, *sed* λῃστρίδα. *alioquin fuit vertendum, Sunt qui Phæam uxorem Lestridis fuisse perhibeant: quod non admitto.*

Cap. 7. Hermione Damastem Procrustem interfecit.) *Græca sic habent:* καὶ μικρὸν προσεκθών. Δαμάστην ἐν Ἑρμίονι τὸν Προκρούστην. ἀνατήσας αὐτὸν ἀπισοῦν τοῖς κλιντῆρσι, ὥσπερ τοὺς ξένους ἐκεῖνος. *Lapus cum verterit,* Cùm domuisset Procrustem, *dubitasse mihi de voce* δαμάστην *videtur, aut legisse* ἐδάμασεν: *etsi verbo nihil est opus, cum a superioribus hæc pendeant, alias & ipse dubitarem, nisi articulus* τὸν *ostenderet Damasten nomen, Procrustem cognomentum esse cum nemo scriptorum, quod ego sciam, Procrustem nomine Damastæ affecerit. Pausanias in Atticis:* πρὸς τούτῳ τῷ Κηφισσῷ λυιστὴν πολυπήμονα ὄνομα, Προκρούστην ἢ ἐπίκλησιν, Θησεὺς ἀπέκτεινεν. *Ovid.*

*Vidit & immanem Cephisias ora Procrusten. Neque hæc verba* ἀπισοῦν τοῖς κλιντῆρσι, *sunt admodum evidentia: ideoq; (ut arbitror) à Lapo, præterita. Videntur mihi hoc significare, latronem illum hospites in lectum aut culcitram collocasse, & eorum artus tantisper extendisse, dum luxatis membris longitudinem lecti implerent, atq; ea vi iis mortem attulisse: quod sit* προκρούειν. *Quod idem ferè traditum à Diodore Siculo. lib 5. inveni. Certe autor argumenti* Ἰσθμίων *Pindari, sive is est Triclinius, Procrustæ cognomentum Sinidi tribuit: cum quo tamen reliqui dissentiunt.* ἐν ἑρμίονι *autem locum significat in Isthmo, ut apparet ex Plinii li. 4. cap. 51. & lib. Strabonis 8. & Pausania, atque aliis.*

Cap. 8 Ejus mensis qui Græcis Hecatombæon.) *Quia parum constat, quomodo Græci, & Attici præsertim, menses Latinis nostris respondeant, & neq; interpretibus ea de re cum aliis, neque secum fere ipsis convenit: malui Græcum nomen relinquere. Dicam sub finem totius operis hac de re quædam.*

Eductum cultrum, quasi ad propositas carnes secandas.) *Gladium vertit Lapus, quod est in Græca* μάχαιραν: *satis inconvenien-* μάχαιρα.

rer, ne dicam imperite. Capulo gladii agnitum Thesèum facile concedo, sicut est apud Ovidium:

*Cum pater in capulo gladii cognovit eburna*
*Signa sui generis.*

Eum ergo ut ostentaret Theseus, educendi cultri gratia protulit. Animadverte, etiam apud Homerum μάχαιραν esse cultrum, ξίφος gladium. Locum adscribam ex Iliad. γ. 271.

Ἀτρείδης δ' ἐρυσσάμενος χείρεσσι μάχειραν,
ἣ οἱ παρ ξίφεος μέλαν κλῆσιν αἰὲν ἄωρτο,
δεινῶν ἀμφ' ὤμοισι τέλαμων τέλχας

Scholion μάχαιραν νῦν τὸ παρὰ τὸ ξίφος μικρὸν μαχαίριον λέγει. Est et apud Herodotum lib. 2. ὁ ἠκρίως καθαιρεθεὶς βοὸς διατετμημένῳ ἐκλωικῇ μαχαίρῃ γενέσθαι Αἰγύπτιος: id est cultro, haud quidem dubiè. ne dicam Halicarnassèum Dionysium lib. II. non semel scribere, Verginiam, cùm vindictæ essent ab Appio Claudio ab libertate decretæ, à patre suo cultro lanii confossam: μαγειρικῇ μαχαίρᾳ. Et nostrates sanè homines qui vulgari & impolito utuntur sermone, etiam gladios Messer nominant: cùm culter sic Germanice dicatur, voce à Græco μάχειρα deducta, uti apparet & quidem ipse Plutarchus cum loquitur de gladio hoc, qui esset γνώρισμα Thesèi, non μάχαιραν dicit, sed ξίφος. Idem μάχαιραν pro cultro posuit haud dubie in Laconicis. Τιμοθέα ἀγωνιζόμενα τὰ κάρυκια, εἰς τὸ ἐφόρων μάχαιραν λαβὼν, ἠρώτησεν αὐτὸν εἰ ποτέρᾳ τῇ μυτρῷ δοκοῖμεν τὰς πλεῖας τῶν ἐπῶν χορδὰς.

Septa esse in Delphinio.) ἀδέφραστον: lego ἄδελφραστον, Delphinium autem templum Athenis erat, Apollini dedicatum: Suidas, & mox ipse Plutarchus Apollinis Delphinii meminit. & Eustath. in Φ. Iliad. δικαστήριον fuisse Athenis eo nom. ne scribit, ubi de cædibus judicaretur. ἑρμῆς porro frequenter statuam Mercurialem significat: unde illa ἑρμῶν ἀδληθὴ ex Thucydide infra in Alcibiade & Hermæ Pentelici apud Ciceronem ad Atticum, Lapus templi partem reddiderat.

Cap. 9. Sphetta Gargetto.) Pagi sunt apud Athenas, de quibus in Onomastico Geographico.

Pallenæis cum Agnusiis.) Nomina sunt curiarum Atticarum quod non intellexit corrector iste Latinæ versionis. qui pro παλληναίων reponendum arbitratur παλληνιδῶν: quasi vero curia non ab his nomen habuerit. Idem pro ἑκαλλίῳ, quod est ab Hecale diminutionem, mallet ἑκαλίσκῳ. Quasi vero τὸν ἡρωα non aliter non potuerit, quam trito illo modo formare.

Cap. 10. Tetrapolis habitatoribus.) Hoc est Attica, quam quatuor urbibus habebant, Oenoa. Probalinitho, Tricorytho, Marathone, ut refert Stephanus. Sex. Pompeius Festus aliter, Quadrurbem, inquit, Athenas Accius appellavit, quod scilicet ex quatuor urbibus in unum domicilium tulere, Braurone, Eleusine, Sunio, Piræeo: sed hæc alias. Hinc apud Euripidem populus Athenensis τετράπτολις ξυνοικοῦς λαὸς dicitur, ἡ συνοικίδας: quippe cum ex quatuor unum Theseus composuisset, ut sequetur apud Plutarchum. Ceterum Strabo, gravis auctor,

*ctor, Tetrapolim unam e duodecim civitatibus facit, in quas Atticam hominum turbam digesserit Cecrops, & quis in unam deinde Theseus redegerit lib. 9*

Cap. 12. Homerus colloquio Iovis ) *Locus est Vlyssea 19. ubi διὸς ὀαρίστην vocat. Hor. 1. Carm. oda. 28 sic vertit:*

*Et Iovis arcanis Minos admissus.* ——

*Est autem ὀαρίζειν, colloqui cum aliquo, non nugas, sed seria, & res arcanas tractandi causa: quod & hinc apparet, & ex eo, quod Graeci ob hoc uxores ὀάρους vocant. quo vocabulo & Homerus ita usus est libro Iliadis nono.* ὀαρίζειν.

ἀνδράσι μαρναμένοις ὀάρων ἕνεκα σφετεράων.

Quod is, cum omnis mali causa. ) *Diodorus lib 4. ( quin tum alii citant, quod alteram primi libri partem pro secundo libro, hunc pro tertio accipiunt ) ait, Androgeon ab Aegeo, metuente ne is cum Pallantis filiis societatem sui regno pellendi coiret, apud Oenoen positis insidiis occisum. Corrector iste annotavit, Diodorus scribere, id apud Thebas factum. quasi verò non paulo ante docuerimus, Oenoen Atticae fuisse.*

Cap. 14. In Phalero. ) *Portus est Atticae, unde Demetrio Phalerei cognomentum.*

Cap. 17. Ei placidè respondit. ) τούτῳ μὲν ἀπεκρίνατο πρᾴως ὁ Θησεὺς παραιτούμενος. &c. *sic legendum est, ut sensus constet.*

Partim in Attica statim naves. ) *Sensus est is, opinor, quem extuli. Graeca sunt mõstrose corrupta,* τὴν μὲν εὐθυμαιταδῶν. αὐτόθι μακρὸν. εὐδὺ *puto & αὐτόθι μακρὰν. Sed μαιταδῶν quid fuerit dicat, qui in meliori exemplari viderint: unico enim nobis uti cõtigit Basiliensi. Hac cùm scripsissem, antequam Gallicam versionem consuluissem, ut eam inspexi, deprehendi Amiotum legisse, ἐν δυμοιταδῶν, ac fortasse etiam aliquid amplius habuisse, si hic non est ἔλλειψις. Sic enim vertit,* au bourg de Thymetades. *q. d.* in castello aut oppido Thymœtadarum: *ut appareat eam fuisse familiam Atticam, Theseo conjunctam necessitate. Sane apud Pausanum lib. 2. legi, ultimum Theseidarum regum Athenis nomen Thymœthae gessisse, si quid hoc ad conjecturam facit. Meminit & schol. Aristoph. & Suidas,* Thymœtadarum *cognomen tum Acharnensibus tribui solitum, uti agrestibus & duris. Enimverò apud Stephanum* Θυματαδαι *leguntur curia* ( δῆμος ) *Hippothoontidis Atticae tribus, constanter hoc, & serio literarum oi in secundam syllabam non admittente, ut ἐν θυμαιταδῶν legi non absurde suspicari liceat, aut ἐν Θυμαιταδῶν, malim tamen oi diphthõgũ. neq; enim semel literarũ series titubat apud Stephanum.*

Cap. 18. Suspendio vitam finivisse. ) ἀπάγξασθαι *legi pro* ἀπάξασθαι: *uti non est obscurum.*

Inseruisse Homeri Necyiae. ) *hoc est libro Vlissea undecimo, sic autem cum alii. tum* Cicero 1. *Tusc. quaest. nominat hunc librum, quod Vlyssis ad manes descensum exponat.*

Cap. 19. Gorpiaei mensis. ) *Hunc ferè Septembrem interpretantur.*

*Suidas* γορδιαῖον *ait esse* τὸν σεπτέβριον κατὰ τοὺς μακέδονας *Gordiæum. Sed & Hesychius in voce A B,* γορπιαῖον *perhibet.*

Cap.22. Ficus & pingues.) εἰρησιωνὴν *cur frondem lemniscatam verterim, facile eruditi intelligunt. Cæterùm hi versus alibi aliter leguntur. Nam & in primo* φέρει *malo, quod est apud Eustachium (quem legent studiosi hujus rei cognoscendæ, sub finem Commentariorum in X X. Iliadis) Varinum, Suidam, & Clementem. Alex. initio quarti Stromatum, quam* φέρειν. *& cùm hic atque apud Clementem sit* ἀναψήσασθαι, *apud Suidam* ἀποψήσασθαι, *apud Varinum* ὑποψήσασθαι, *atque etiam* ἐπικρήσασθαι, *ex Eustathio hoc legitur. deinde ibidem* κύλικ' *legitur, &* ὅπως *atque* ἵνα *pro* ᾧς. *Ego sensum observavi. Extat de Eiresiona etiam Homeri carmen in vita ejus apud Herodotum, (siquidem is est auctor) & Suidam.*

Cap.24. Astu ipsum & urbem.) *Sic Cicero.2. de Legibus: Atticos Theseus migrare ex agris, & in astu, quod appellatur, omnes se conferre jussit. Et Terentius in Eunucho: An ille in astu venit? de Chærea, qui ex Piræto se in urbem contulisset. Cæterum pro* ἴδονται *mallem* ἴδρυται *legere.*

Cap.26. Hæc non sunt Peleponnesus.) *in Græco ita lege,* ὧν ἔφραζε τὰ μὲν πρὸς ἕω τάδ' οὐχὶ, *&c. ut versus qui sint, intelligatur. Apud Strabonem lib.3 hos versus adducentem non* οὐχὶ *est, sed* οὐχ ᾗ.

θεωρὶς Navis. Navis qua spectatum venirent.) θεωρίδος, *ego hic quasi ad verbum verti. Est autem Theoris navis publica Atheniensium ut Paralus, ut Salaminia, de quibus alibi. Hanc autem quotannis solebant, Delphos mittere ex voto Thesei, qui ea in Cretam vectus, revectusq; inde fuerat: eaque missa, dum rediret, quasi justitium Athenis erat. de qua re legatur initium Phædonis Platonici, Suidas, interpretes Aeschyli* ἑπτὰ ἐπὶ θήβας. *alii. Inde videtur dictus* θεωρὸς, *qua voce in Camillo est, & Demetrio, & alibi usus Plutarchus. ne Demosthenē & alios adducā. Cæterū ex hoc loco apparet, navim theorida nō Delphos modò, sed & aliò publicè ad spectacula & sacrificia mitti cōsuevisse.*

Cap.31. Quâ rhomboides est.) ὅπου τὸ ῥομβοειδὲς, *figura est parallelis utrinq; sed non omnibus æqualibus lineis, angulisq; non rectis contenta quadrilatera. Sed cujus rei figura sit, sepulchrine, an alius, an vero proprium hic sit nomen, in Græco non exprimitur. Itaque sic reliquimus.*

Theseidem.) *poema de Theseo.*

Cap.33. Cadmiam.) *arcem Thebanam, quod satis est notum. Locus Euripidis est in Supplicibus.*

Eleutheris.) *Oppidum est Atticæ quod versus Bœotiam pro limite aliquando fuit. Pausan. Atticis. Porro quæ post Deidamia dicitur, eam, alii Hippodamem, & Hippodameiam nominant.*

Cap.36. Cum Pirithoo Theseus spartam venit.) *In Græco est simpliciter,* ἦλθον μὲν εἰς σπάρτην ἀμφότεροι: *ita ut videantur quædam hic deesse, nulla enim Pirithoi & Thesei præcessit mentio: de quibus tamen auctorem loqui sequentia indicant.*

Is uxori

Is uxori nomen Proserpinæ.) *In Græco ita omninò est uti ego reddidi. Lapus tritam, ut opinor, fabulam potius sequendam ratus, reginam Cereris nomine, filiam Proserpinam edidit: idemq; est apud Amiotum. Alioquin Aidoneus Pluto Græcis est, cui non Cererem, sed hujus filiam Proserpinam, raptam ab eo, conjugem fuisse, fabulæ loquuntur. Atq; de hoc etiam illis convenit, Peirithoum non ad filiam Proserpinæ, sed ipsammet Plutonis conjugem rapiendam auxiliatore Theseo profectum. Plutarchus ergo alios auctores, qui mythologiam tradiderint secutus videtur. Res non est summi momenti: fuit tamen obiter notanda.*

Cap. 37. Menestheus Petei filius.) ὁ πετεύς. *Lapus errorem libri secutus,* Menestheus Petensis. *Scribendum* ὁ πετεῶ, *notum est vel ex illo Homerico Iliad.* β.

——υἱὸς πετεῶο μενεσθεύς.

*Meminitque eodem modo in* Corinth. *Pausanias.*

Cap. 38. Matrem ejus ac Aphidnas.) *Male in Græco* ἀθήνας *pro* ἀφίδνας. *Paulò ante Echedemum pro Echemo legi, analogiæ fidem secutus.*

Cap 39. Exertis Clymenem.) *Locus est Iliad.* 3. *Vide quæ ibi annotavit Scholiastes, & Calabrum lib.* 14. *de Munito multa sunt apud Lycophronem. nam Munitum ille vocat,* μούνιτον, *qui heic Munychus rectius videtur legi. Quo loco quàm & arroganter & stultè (ut sæpenumero) doctissimum poetam interpres Zezes, nescio quarum argutiarum ostentandarum gratia, insectetur, suique oblitum nugetur, ostendam* (Deo volente) *in variis meis aliquando lectionibus.*

Cap. 40. Invenitq; eos, quos reliquerat sibi infensos, id ad odium suum adjecisse.) *In Græco legitur,* οὓς μὲν ἀπέλιπε μισοῦντας αὐτὸν, εὑρίσκων τῷ μὴ φοβεῖσθαι τὸ μισεῖν προσειληφότας *Lapus ita vertit, ut haud dubie legerit,* οὓς μὲν ἀπέλιπε, μισοῦντας αὐτὸν εὑρίσκων, τῷ μὴ φοβεῖσθαι, *&c. Neutram lectionem cur probem, aperiam. Lapi, eo locum non habet, quod neque omnes, quos reliquerat Athenis Theseus, ipsum oderant: & qui ante odissent, tum demum adducto in contemtum Theseo, etiam non metuebant. Tacitum enim odium contemtui aperto anteire, & manifestæ inimicitiæ, solet: non contra. Quare ne nostri quidem codicis lectio constat: sed ita est emendanda,* οὓς μὲν ἀπέλιπε μισοῦντας αὐτὸν, εὑρίσκων τὸ μὴ φοβεῖσθαι τῷ μισεῖν προσειληφότας. *Hoc ut ita esse intelligas considera illam vocem tyrannorum: Oderint, dum metuant. Estq; sapienter dictum à Diodoro Siculo:* τὸ γὰρ ἐν ταῖς εὐτυχίαις σωπώμενον μῖσος, ὅταν ἐκ μεταβολῆς ἐν ταῖς ἀτυχίαις ἐκκραγῇ ταῖς ὀργαῖς, ἀποθηριοῦται πρὸς τοὺς μισυμένους. *Qui, inquit, rebus utentem secundis aliquem tacite oderunt: si ejus fortuna in adversam mutata indignatio hæc erumpat, plane adverseum eos, qui odio sunt ipsis, efferantur. Sed hæc satis. Cæterùm quod de templis à Theseo Herculi dedicatis dicitur, id Euripides etiam significavit in Hercule furente, pagina à fine secunda.* Lib. 8.

# PLVTARCHI ROMVLVS, GVILIELMO Xylandro, Augustano, interprete.

*Variæ de nomine urbis Romæ opiniones.*

MAGNUM illud Romæ nomen, cujus ad omnes homines gloria te extulit, a quo urbi inditum quamve ob causam sit, in confesso apud scriptores historiarum non est. Nonnulli Pelasgos, cùm plerasque orbis terrarum partes pervagati plurimos mortales subegissent, ibi consedisse, ac ab armorum vi nomen hoc urbi tribuisse tradunt: nam eorum linguæ, Romæ vocabulo *robur* exprimitur. Alij Troia capta quosdam Troianos effugisse, nactosque naves, vento ad Tyrrheniam (quæ eadem Etruria est) delatos juxta flumen Tiberim appulisse. Ibi mulieribus eorum animum jam despondentibus, pertæsisque maritimæ jactationis, quandam genere & opinione prudentiæ reliquis præstantem, Romam nomine, consilium comburendarum navium dedisse. Quod ubi factum fuerit, primò viros stomachatos, deinde necessitate compulsos apud Pallantium urbem condidisse: ubi cùm non multo tempore exacto spe felicius viverent, agri bonitatem, ac vicinorum hospitalitatem experti, inter alios Romæ tributos honores, urbem quoque eos istius nomine, ut cujus ipsa auctor extitisset, insignivisse. Exinde

*Osculatio.*

etiam hunc morem obtinuisse, ut mulieres cognatos suos, ac maritos osculo salutarent. nam illas, quo tempore naves incenderant, viros osculando demulsisse, iramque blandiendo & deprecando lenisse. Iterum sunt, qui Romam Itali & Leucariæ, aut, ut aliis placet, Telephi filiam, neptem Herculis, Aeneæ uxorem, vel aliorum sententia, Ascanij Aeneæ filium nomen urbi dedisse dicant. Alii conditam à Romano, Vlyssis è Circe filio. Quidam Romum Emathionis filium, Troia missum à Diomede, ejus auctorem perhibent: rursus nonnulli Romam Latinorum tyrannum, Tyrrhenis, qui è Thessalia in Lydiam, inde in Italiam venerant, expulsis. Enimverò ne his quidem, qui Romulum urbi nomen à se posuisse maximè consentanea oratione prodiderunt, de genere ejus inter se convenit. Quidam Romulum Aeneæ & Dexitheæ Phorbante genitæ filium infantem adhuc in Italiam advectum cum fratre suo Romo referunt: ibi in fluvio aquis vehementeius aucto, cùm reliquæ naves periissent, eam in qua ii pueri fuerint, sensim ad mollem quandam ripam declinasse, pueros que ita præter opinionem servatos, *Romam appellatam fuisse. Alii Romam filiam Troianæ istius, Latino Telemachi filio matrimonio junctam Romulum peperisse, alii matrem ejus Aemiliam Aeneæ & Laviniæ filiam, patrem faciunt Martem. Sunt qui planè fabulosa de ipsius natalibus narrent. Nempe Tarchetio Albanorum regi injustissimo ac crudelissimo spectrum divinitus domi suæ oblatum, nam è foco membrum virile exertum fuisse, aliquotque per dies durasse. Tethyos

*De Romulo diversæ sententiæ.*

*Tethyos oraculum.*

oraculum fuisse in Etruria oraculum, inde vaticinium Tarchetio allatum,

tum, quod juberet virginem cum eo spectro coire, eam partu edituram filium virtute, fortuna ac robore inclytum. Id Tarchetium uni ex filiabus indicasse, jussisseque ut cum isto veretro rem haberet, eam indignam se hoc ratam, submisisse ancillam. Hoc Tarchetio cognitum tantam iram moviſſe, ut utramque in carcerem poneret, morte multaturus; visam tamen ei, per quietē Vestam, necem prohibuisse, sed puellis eum vinculis gravatis telam quādam uti texendam daret jussisse, qua absoluta nuptum darentur: eas interdiu texuisse, alias jussu Tarchetii noctu textum dissolvisse. Cùm ancilla à spectro illo geminos peperisset, eos à Tarchetio traditos Teratio cuidam necandos, ab eoque prope fluvium expositos: lupam tum adventasse crebrò ad eos, ac ubera præbuisse: à varii generis avibus bucceas allatas, ac in os infantibus immissas, tandem pastorem cùm rem sæpius non sine admiratione vidisset, ausum adire, ac sustuliſſe pueros. Eo modo cum essent servati, educatique, adortos deinde Tarchetiū superasse. Hæc Promathio quidam in historia Italica scri-

*Tela filij Tarchetij.*

IV psit. Ejus verò hac de re historiæ, quæ & fidei & testimoniorū plurimum habet, præcipuas partes primus Græcè edidit Diocles Peparethius, eumq; in plurimis locis Fabius Pictor secutus est. quę historia etiāsi in quibusdam ipsa quoq; controversias habet nōnullas, tamen, ut eam rudi Minerva recenseam, talis est. Regum, qui Albæ ab Aenea orti imperarunt successio, ad duos fratres pervenit, Numitorem & Amulium. Amulius totius regni bona in duas partes distribuit, ea ratione, ut regno pecuniæ, & aurum Troia allatū conferrentur. Numitor regnum delegit: at Amulius pecunias, majoremq; inde Numitoris potentia vim nactus, regnum ei haud magno negotio eripuit: metuensq; ne ex ejus filia liberi crearentur, Vestæ eam sacerdotem constituit, ut virgo in perpetuo cœlibatu viveret. Huic virgini apud alios Iliæ, apud alios Rheæ nomen est, quidam Silviam appellant. Nec multum intervenit temporis, cùm contra legem Vestalium prægnans deprehensa est. Eam ob causam ne capitali supplicio afficeretur, Antho regis filia precibus à patre impetravit: in carcerem tamen conjecta vitam ab hominum congressu intercluſam toleravit, ne clam Amulio parere posset, peperit autem duos pueros

*Numitor ab Amulio fratre regno pulsus.*

*Ilia Vestalis geminos parit.*

V magnitudine & forma præstantes. Quo magis sibi metuens Amulius, famulo negocium eos in aquam abjiciendi dedit. famulo quidam Faustulo nomen fuisse: alii eum qui sustulit ita vocatum affirmant. Is igitur famulus cùm in alveolum eos imposuisset, ad fluvium projiciendi animo descendit: sed ut rapidum fluere aquis actum vidit, veritus adire, alveolo prope ripam depositō discessit. At fluvii stagnantis inundatio alveolum excepit, leniterque sublatum in locum planè mollem devexit, qui nunc Germanus appellatur, olim Germanus, ut apparet, cùm Germani idem sint quod fratres. Erat in propinquo caprificus, Ruminalis cognomento: seu propter Romulum, quæ est multorum sententia: seu quia ruminantes pecudes eo loci propter umbram commorarentur; sive potiſſimum

*Faustulus.*

*Caprificus Ruminalis.*

mum à puerorum lactatione: quandoquidem *mammam* antiquitus *rumam* dixerunt, Deamque quæ alendorum puerorum curam gerere creditur, *Rumiliam* appellant, eique Nephalia à *sobrietate* dicta sacra. lacte libantes faciunt. Ibi expositis infantibus, ferunt lupam adveniſſe, ac picum ei in alendis iis, cuſtodiendiſque adfuiſſe. Marti ea animalia ſacra habentur, picumque Latini magnopere honorant ac colunt: qua re non parum fidei acceſſit matri eorum, cum ſe à Marte gravidam factam diceret; quamvis tradatur ex Amulio concepiſſe, qui ei in armis apparuerit, ac virginitatem per vim imminuerit. Auctores habeo, qui nutricis nomen propter ambigui VI tatem, famæ occaſionem in fabulam deflectendæ rei præbuiſſe aſſerant. *Lupa* enim Latinis, & animalis nomen eſt, & ſcorti: feciſſe autem corpore ſuo quæſtum Fauſtuli uxorem, Accæque Larentiæ nomen ei fuiſſe. Et vero huic rem divinam faciunt Romani, menſeq; Aprili parentat ei flamen Martialis; feſtumque Larentia dicitur. Porrò aliam quoque Larentiam colunt, hac adducti cauſa: Cuſtos templi Herculis, ocio, ut videtur, luxurians, ad ludum talorum provocavit Deum, pactus, ut ſi ipſe viciſſet, beneficium aliquod à Deo acciperet: ſin ſuccubuiſſet, ut Deo menſam lautè inſtructam, mulieremque formoſam ad concubitum ſuppeditaret. tum poſitis calculis aliis pro Deo, aliis pro ſe, victus eſt. Itaque ut conventa ſervaret, ſtaretque pactis; cœnam Deo paravit, Larentiamque pulchram, nedum notam, mercede conductam, lecto ſtrato, in ipſo templo excepit convivio, & à cœna ibi incluſit, ut ea Deus potiretur. Deum cum muliere ea collocutum fama fert ac monuiſſe ut ſub auroram in forum prodiret, eumque qui primus obviam ſe ei tuliſſet, ſalutatum, amicum ſuum faceret. Occurrit ei civis magno admodum natu, ac prædives, liberis carens, ut qui eatenus cœlebs vixiſſet, Tarrutius nomine. Hic Larentiam cognovit, dilexitque, ac moriens multarum ac præclarum opum hæredem reliquit: quarum illa maximam partem populo Romano teſtamento legavit. Eam cùm jam illuſtris eſſet, Diiſque accepta putaretur, è medio ſublatam ferunt eo in loco, ubi & prior iſta Larentia ſepulta ſit. Locus noſtro tempore Velabrum dicitur, quod fluvio ſæpius in ſtagna effuſo, juxta cum navibus vecti ſint: nam lintres etiam *Velaturæ* vocabantur. Alii ab iis, qui ſpectacula exhiberent, viam, quæ à foro in Circum fert, velis prætenſam fuiſſe, ac à Velabro incepiſſe, inde loco vocabulum factum ſentiunt. Atque hæc ſunt, cur honor Larentiæ poſteriori habeatur à Romanis. Enimverò Fauſtulus Amulii ſubulcus, VII nemini hominum conſcio, infantes ſuſtulit: quamvis alii probabiliorem ſequantur ſententiam, ſciente id Numitore factum dicentes, qui & alimenta occultè educatis præbuerit. Feruntur quoque literas, & alia quæ nobili familia natos decent, pueri didiciſſe Gabiis. Hos etiam nomen ab ubere accepiſſe, traditum eſt, Romulum & Remum, qui ſugentes feræ mammas conſpecti fuerint. In corpore eorum jam tum, cùm adhuc pueritiam agerent, magnitudine corporis

*Ruma.*
*Rumilia.*
*Nephalia.*
*Lupa.*
*Picus.*
*Mars pater Romuli & Remi.*
*Amulius.*
*Larentia.*
*Sacerdotium Deo lusus.*
*Tarrutius.*
*Velabrum.*
*Romuli & Remi educatio.*
*Ingenia.*

poris & fama nobilitas sese exeruit. Cùm adoleviſſent uterque ferox ac fortis, magnique quidquid decreviſſent animi audaciæque prorsus imperterritæ fuerunt. Romulus magis tamen ratione agere, civilemque habere prudentiam videbatur, qui in commerciis, quæ ei propter pabulationem ac venationem cum vicinis intercedebant, satis ostendebat ad imperandum se quàm ad parendum esse aptiorem. Itaque hi popularibus suis & inferioris sortis hominibus grati esse, regios præfectos & inspectores, pastorumque magistros, tanquam se nihil virtute præstantiores, despicere, neque mi-
VIII nas, neque iram eorum curare. Vtebantur autem studiis, ac vitæ institutis liberalibus, & ocium ignaviamque tanquam illiberalia aspernati, exercitationibus, venationibus, cursu, prædones arcendo, fures exscindendo, vim patientes defendendo, nomen sibi parabant. Cúmque Numitoris pastoribus ac Amulii contentio incidisset, mutuoque pecus abigerent, non ferentes id Romulus ac Remus, pastores Numitoris partim trucidârunt, partim in fugam conjecerunt, ac magnam prædam averterunt: Numitorisque indignatione spreta, ipsi colligere, ac ad se recipere multos egenos & servos, eosque ad defectionem audendam, fortitudinemq; incitare cœperunt. Interim Romulo, ut erat sacrorum ac divinationis studiosus, ad rem
IX divinam faciendam profecto, pastores Numitoris Remum paucis comitatum adorti pugnam conseruerunt, & utrinque datis acceptisque plagis ac vulneribus victoria penes Numitoris famulos, captusque ab iis Remus fuit. Eum ad se adductum Numitor, accusatumque quo minus supplicio afficeret, eò factum est, quod fratris iniquitatem timebat: hunc tamen adivit, petiitque ut jure sibi liceret contra regios servos agere, à quibus ipse regis frater injuria esset affectus. Cujus querelæ cùm qui regi Albæ aderant, adstipulati essent, indignè ferentes Numitorem præter meritum lædi, motus est Amulius, ut fratri Remum ad supplicium dederet Quem ubi accepit Numitor, domumque rediit, miratus juvenem, qui mole ac viribus corporis omnibus aliis præstaret, & in vultu conspicatus audaciam, ac ferociam animi minimè noxii, aut præsenti fortuna labefactati: potissimum verò, ut verisimile est, Deo adjuvante, ac initia magnarum rerum juxta dirigente, cogitatione ac fortunæ ductu eò pervenit, ut rei veritatem attingeret. Quare placido sermone ac mansueto vultu, fiduciam simul ac spem juveni ostentans, quis esset & unde natus, interrogavit. Tum Remus intrepidè. Nihil, inquit, te celabo, quoniam magis regio te quàm Amulium animo præditum censeo: quia audis, ac inquiris, ante quàm punias, ille indicta causa pœnæ tradit. Gemini sumus: & ante quidem servorum regiorum Faustuli ac Larentiæ filios esse nos credidimus: apud te autem accusati, ac criminibus falsis onerati, & in discrimen vitæ conjecti, magna de nobis ipsis percepimus, quæ an vera sint, fortasis præsens periculum dijudicaverit. Nostri enim natales ignoti perhibentur, educatio autem nutritioque quàm ipsis avium pullis mira-

*Vita institutum.*

*Remus à Numitoru pastoribus captus.*

*Oratio Remi ad Numitorem.*

„ mirabilior nobis cõtigisset. si quidem projecti volucribus & feris, ab
„ iisdem aliti fumus, ubere lupæ ac buccellis pici Expositi eramus ad
„ magnum fluvium in alveo quodam, qui adhuc extat, æreis vinctus
„ cingulis: iis insculptæ sunt obscuræ quædam literæ, quarum ad-
„ miniculo forsitan postmodò parentes nostri frustra, nobis peritis,
„ cognoscentur. Numitor tempore ex sermone Remi, & aspectu X
ejus æstimato, spem sibi blandientem non respuit: sed qua ratione furtim cum filia, quæ arcta adhuc custodia detinebatur, communicare his de rebus posset, rationes inibat. At Faustulus, cognito ut Remus captus ac traditus esset, Romulum ad ferendam opem cohortari, genusque quod ante per ambages eatenus modò innuerat, ut animos eorum attolleret, tunc verum edisserere. ipse cum alveo ad Numitorem festinare, metus (perinde ut tempus id ferebat) plenus. Ibi in suspicionem custodibus regiis, qui erant ad portas Numitoris constituti, venit: cúmque in respondendo titubasset, alveum veste tegens non fefellit: adfuitque fortè fortuna quidam ex iis, quibus pueri abjiciendi erant dati, atque cùm exponerentur illi, interfuerat. is alveo conspecto, è structura & literis eum agnovit. suspicatusque id quod res erat, non neglexit sed indicium ad regem detulit, effecitque, ut Faustulus quæstioni adhiberetur. Atque is multis ac magnis constitutus in periculis, invictum quidem sese non præstitit, neque tamen omnino succubuit fassus est pueros salvos esse, sed procul ab Alba pascere: se autem alveum ad Iliam ferre, quæ ad confirmandam spem, quam de filiorum salute conceperit, sæpius eum videre ac contrectare expectat. Tum verò id XI
Amulio accidit, quod adsolet iis, qui animo perturbati per metum aut iram aliquid agunt. nam Faustulum hominem alioquin probum, ac Numitoris insuper amicum, properè misit ad fratrem, percontatum an is quoque aliquem de puerorum incolumitate sermonem accepisset. Qui simul ad Numitorem venit, viditque eum tantum non ab amplexibus Remi hærere, ejus, quam sperabant, rei fide indubitata facta, hortatus est, ut rem ocyus aggrederentur; seque ejus gerendæ socium sibi illis adjunxit. Neque verò tempus cunctationem ullam etiam quærentibus permittebat. Iam enim Romulus in proximo erat, ad eumque multi civium odio metuque Amulii permoti concurrebant: ipse secum magnam manum adducebat, in centurias distributam, quarum unam quamlibet vir unus ducebat, manipulum fœni ac herbarum conto erectum gestans. unde hodie quoque militibus *manipularibus* nomen est. Proinde Amulius consilii inops, perturbationisque plenus, cùm & Remus eos qui intus erant ad defectionem permoveret, & Romulus extrinsecus militem adduceret: nulla re salutari neque perfecta deprehensus mortem obiit. Hæc (cùm plæraque & Fabius, & Diocles Peparethius tradant, qui primus censetur Romæ ortum invulgasse) tamen narratio, quia scenici figmenti similis est, suspecta nonnullis habetur: fidem verò ei adhibere non recusabit, qui & ad fortunam,

*Faustuli in Remo servando studium.*

*Manipuli unde.*

*Amulij interitus.*

cujus

cujus tam mirabilia sunt opera, respiciet, & Romanorum res cum animo suo reputabit: quippe quæ, nisi divinum initium, magnumque aliquod & incredibile habuissent, nunquam ad id potentiæ per-
XII venissent. Rebus secundum Amulii mortem constitutis, neque Albam sibi habitandam nisi regnarent, neque rursus regnandum avo vivente Romulus Remusque rati, principatum ei, matri dignos honores reddiderunt: ipsi urbem propriam condere, eo quo nutriti essent loco, statuerunt. Hæc enim causa est reliquis omnibus honestior. Quanquam erat ipsis fortassis necesse, cùm secum tantam servorum ac desertorum vim haberent, ut aut his à se dilapsis ipsorum potentia concideret, aut cum iis seorsim habitarent. neque enim Albiani aut se perfugis admiscere, aut eos civitate sua donare dignati fuissent. Cui rei argumento est primum raptus mulierum, non is libidinis, sed quod conjugia nulla invenirent, necessitatis causa factus: itaque raptas summo in honore habuerunt. Deinde quod urbe primum fundata, templum perfugis securitatem præbens Asylum cum constituissent, Dei Asylæi, quasi è cujus templo abripere quenquam nefas esset, dictum, omnes ad se receperunt: ita ut neque dominis servos, neque nexum æris alieni causa creditori, neque homicidas magistratui dederent, oraculo Pythiæ omnibus impunitatem confirmari dicentes. Quo effectum est, ut celeriter urbs excresceret, cùm (ut memoriæ traditum est) initio non supra mille foci fuissent. Sed hæc post id temporis demum accide-
XIII runt. Enimvero cum urbis ædificationem aggrederentur, statim controversia ipsis de loco incidit. Romulus enim eum locum, qui Roma quadrata dicitur, Remus autem locum in Aventino natura munitum, qui ab ipso Remonium nuncupatus, nunc Rignarium nominatur, futuræ urbi destinavit. Cùm convenisset inter ipsos, ut eam litem augurio dijudicandam permitterent, ac uterque seorsim templum sibi delegisset: fertur, Remo sex vultures, duodecim Romulo visos esse. alii Remum verè suos vidisse, Romulum mentitum perhibent, ac demum ubi Remus accessisset, tum Romulo duodecim vultures apparuisse: hinc esse quòd etiam nunc vultures præcipuè Romani in augurio habeant. Herodorus Ponticus narrat, Herculem quoque gavisum, si ei rem aliquam aggredienti vultur se ostendisset. Est enim vultur omnium animalium maximè innocuus: quod nihil infestat eorum, quæ homines serunt, plantant, aut alunt, nihil animatum necat lædit ve, ab avibus propter generis conjunctionem etiam mortuis abstinet: cùm aquilæ, & noctuæ, accipitresque etiam viventia sui generis animantia rostro impetant ac interficiant: quanquam sit apud Æschylum:

*Volucrem, volucris est profana, si quoret.*

Ad hæc reliquæ aves oculis nostris plurimum observantur, neque fere se conspectui nostro subtrahunt: at vultur rarò videtur, nec temerè invenitur qui in pullos vulturis inciderit: quinetiam raritas hæc in absurdam quosdam abduxit opinionem, ut crederent

*Causa Romæ condendæ.*

*Asylum.*

*Romulus.*

*Remonium.*

*Rignarium.*

*Augurium.*

vultures

vultures ab extranea aliqua huc advolare regione. Porrò autem augures, id quod non natura, ac sua spōte, sed divinitus missū appareat nobis non crebrò, sed rarò debere videri asserunt. Cæterùm Re- XIV

*Remi, Faustuli & Plistini interitus.*

mus cognita fraude successisset, ac Romulo fossam qua mœnia ambiret ducente, alia operum derisit, alia impedivit: tandem cùm fossam transiliret, sive Romuli, sive (quod aliis videtur) Celeris, qui unus ex hujus fuit sociis, manu ictus periit: eodemque in conflictu etiam Faustulus cecidit, ac Plistinus quē fratrem Faustuli, sociumq; educationis illorō fuisse memorant. Celer in Etruriam abiit, cognomenq; id deinde apud Romanos iis qui properato quid agerēt indi-

*Metellus Celer unde.*

tū, ita Q. Metellum, quod patre defuncto paucis post diebus ludos gladiatorios dedisset, populus festinationē apparatus miraculo habens, Celerē nominavit. Romulus postquam in Removia Remum, XV educatoresque sepeliisset, urbem condidit. Ad id negotium, ex

*Vrbis condendæ ritus.*

Etruria viros quosdam evocavit, qui sacris quibusdam legibus & literis singula præciperent, ac docerent, ut in mysteriis fieri adsolet. Igitur fossa rotunda demissa est prope Comitium: eoque primitiæ omnium eorum, quibus leges tanquam honestis, natura ut necessariis uti permittebat, depositæ: ad extremum unusquisque parvam ejus à quo venisset, soli portionem adferentes, eo dejecerunt ac

*Mundus.*

commiscuerunt. Fossæ nomen est Mundus, quod & cœlo tribuitur. Ea deinde centri loco sumpta, urbem circum ædificant. Hujus auctor æreum vomerem aratro indit, missoque sub jugum tauro ac vacca, circumvectus extremitates urbis, profundum sulcum agit: qui subsequuntur arantem, iis negocium datum est, quas glebas vomer suscitat, eas intro reprimant, nihilque extra relinquant. Hac

*Pomœrium.*

linea describitur murus, vocaturque ea Pomœrium, syllaba una abscissa, quasi *post murum* sit. Vbi verò portam aperire volunt, ibi vomere exemto, suspensoque aratro, transilientes intercapedinem relinquunt: hinc totus murus, exceptâ portâ, sacer habetur. Nam si portas quoque sacras statuissent, non poterant res necessariæ quæ lustratæ non essent, per eas vel recipi vel emitti sine piaculo. In XVI

*Natalis Romæ.*

confesso est, urbem conditam esse a.d.xi. Kal Maii hunc que diem natalem patriæ Romani vocant, & festum agunt. Fertur initio ab eis nihil, quod anima esset præditum, immolatum fuisse: quod putarent diem festum, qui ab ortu patriæ nomen haberet, purum & omnis sanguinis expertem servandum. Erat ante conditam urbem eodem die festum quoddam, quod pastores celebrabant, Palilia que appellabant. Nostro quidem tempore Romanorum Kalendæ à Græcorum mensium initiis prorsus dissident. Ortum vero Romæ incidisse exactè in trigesimum mensis diem, fuisseque tum conjunctionem Lunæ ac Solis, hujusque defectum, quem Antimachus etiam Teius poeta observaverit, ac qui tertio anno sextæ Olympiadis acciderit, memoriæ proditum est. At Varronis Romani philo XVII sophi ætate, viri in historiis versatissimi, fuit Tarutius quidam amicus ejus, philosophus, mathematicusque professione, qui etiam contem-

contemplandi causa Astronomiam attigerat, in eaque videbatur excellere. Huic Varro proposuit Romuli natalem diem horamque ex iis, quæ ei in vita sua evenissent, colligendam supputandamque: quo modo geometricarum quæstionum a fine ad initia reflexione invenitur. Esse enim ejusdem scientiæ dato tempore natalium hominis alicujus, de vita ejus prædicere: & vita exposita, tempus, quo is esset natus, investigare. Obsecutus est Tarutius, inspectisque Romuli actis, quæque ei evenissent, quandiu vixisset, qua morte functus fuisset, & si quæ sunt id genus alia: compositis inter se his omnibus, audacter intrepidéque pronuntiavit, Romulum conceptum fuisse anno secundæ Olympiadis primo, vigesimatertia die mensis ejus, qui Ægyptiis est Chœac, hora tertia, cùm sol totus deliquium pateretur: natum autem esse mensis Thoth die vigesimaprima, circa solis ortum: Romam ab eo conditam, nona die mensis Pharmuthi, inter secundam & tertiam horam. Nam fortunam quoque urbis, perinde ac hominis, habere putant suum peculiare tempus, quod consideretur secundùm stellarum in ortu ejus urbis positum. Verum hæc, & horum similia magis fortassis propter novitatem ac curiositatem delectabunt, quam ut propter fabulæ similitudinem mo-

*Astrologiæ opinio.*

XVIII lesta sint lectori. Romulus urbe extructa, primùm omnem multitudinem, quæ erat validâ ætate, in legiones distribuit, sic nominabat legio peditum millia tria, equites trecentos complectebatur. Reliqua multitudo, vulgi loco ei fuit, populusque nominata. Tum centum de præstantissimis civium elegit, qui Senatores essent, eis patriciorum, collegio toti Senatus nomen imposuit. Senatus quidem vocabulum diserte senum consilium indicat. Patriciorum nomen alii inde tractum volunt, quod ii legitimorum patrum filii essent alii, quod ii patres suos demonstrare possent: quod paucis, qui primo in urbem confluxerant, contingebat. Alii à patrocinio deducunt: sic enim vocant procurationem & defensionem inferiorum, arbitrantes Patronem quendam cum Evandro advenisse, qui cùm minorum curam gessisset, eisque auxilio fuisset, hanc vocem rei reliquerit. Vero proximum est, eos ita à Romulo appellatos, quod is censuerit æquum esse, ut primores ac potentissimi paternam tutelam ac curam abjectioris sortis hominum gerant. simulque docere voluerit reliquos, ne honorem præstantiorum suspectum haberent, graviterque ferrent: sed ut illos patrum loco ac nomine habitos be-

*Legiones à Romulo ordinatæ.*

*Patricij Senatores.*

*Patres.*

XIX nevolentia prosequerentur. Etenim in hunc usque diem senatores ab exteris *principes viri*, à Romanis *patres conscripti* salutantur: utunturque eo nomine, quod & auctoritatis honorisque plurimum in se tenet, & invidiæ minimè est obnoxium. Principiò autem patres simpliciter, pòst pluribus adscitis, *Patres conscriptos* dixerunt: quod nomen Romulus adhibuit, quo Senatus dignitatem à plebeis distingueret. Idem reliquos potentiores à vulgo disjunxit, *patronos* eos appellans, vulgus autem *clientes*: eaque re mirificam

*Principes viri.*

benevolentiam mutuo excitavit, & eam jura invicem magni ponderis consecuta sunt. Illi enim interpretes juris, patronos in foro litigantium, consiliariosque omnium & procuratores sese exhibebant: hi verò illos demerebantur, non modò in honore habentes, sed dotem etiam filiabus eorum, si qui paupertate laborabant, conferrentes, inque debitis exsolvendis eos adjuvantes, testimonium ferre contra clientem patrono, aut vice versa, neque lex ulla, neq; magistratus imperabat. Posterioribus verò temporibus reliquo jure omni salvo, tamen turpe sordidumque habitum est, potiorem ab inferiore pecuniam accipere. Quarto post jacta urbis fundamenta mense, si Fabio credimus, raptus mulierum perpetratus est. Sunt qui dicunt, Romulum, quia esset natura bellicosus, ac quibusdam ex oraculis persuasum haberet in fatis esse, ut Roma bellis aleretur, augeretur, ad summumque excresceret: injuria Sabinos lacessisse: neque enim multas, sed triginta modò virgines ab eo raptas: ut qui bellum magis, quàm nuptias expeteret. Atqui id probabile non est. Sed cùm videret urbem incolis confestim refertam, quorum paucis uxores essent, plerique verò convenæ ex pauperibus & obscuris hominibus constarent, ideoque despectui haberentur, neque viderentur in societate permansuri, simul in spem veniens fore, ut hoc facinus iis principium conjunctionis ac communionis, cum Sabinis aliquod, conciliatis mulierum animis, exhiberet, rem hac ratione agressus est. Sparserat jam ante rumorem, reperisse se aram cujusdam Dei, sub terra occultatam. Dei nomen Consus fuit, sive quod in consultando juvaret, sicut Latinis est *Consilium*, & *consul*, sive is Neptunus equestris est: nam ara Consi in Circo majori reliquo tempore latens; Circensibus ludis apparet: sive quod alii adserunt, abdito consilio, arcanoque, haud inconvenienter subterranea Deo ei ara tribuitur. Ea ergo ara prolata sacrificium ejus nomine splendidum, & ludos & spectaculum publicum edidit, convocatis ad hoc finitimis. Ad id magna hominum multitudo convenit: ipse cum optimis præsedit purpura ornatus. Signum aggrediendi negocium erat hoc constitutum, cùm ipse surgens purpuram complicasset, rursusque explicatam indueret, itaq; astantes multi cum gladiis, id operiebantur. Quod simul atque datum est, strictis gladiis cum clamore impetum fecerunt, filiasque Sabinorum rapuerunt: ipsos fugientes missos fecerunt. Raptas tradunt alii triginta tantùm. unde nomina curiarum sint sumpta. Valerius Antias, quingentas viginti septem: Iuba sexcentas octoginta tres: ac, quod maximè ad excusandum Romulum faciat, nullam ab eo acceptam, præter Hersiliam quæ alios latuerat: nimirum qui non libidinis injuriæque faciendæ causa raptum venissent, sed eo animi proposito, ut nationes in unum commiscerent, summæque necessitudinis vinculo constringerent. Hersiliæ maritum alii Hostilium, virum inter Romanos primarium, alii ipsum Romulum tradunt: liberos quoque hunc ex ea sustulisse, filiam unam, quæ ratione nativitatis Prima appellata sit: & unum

*Patroni Clientes.*

*Consus. Consualia.*

*Neptunus equestris.*

*Numerus raptarum.*

*Hersilia.*

*Hostilius.*

*Prima.*

item

item filium Aollium, quem ita à congregatione civium Græca vocis origine ipse dixerit, posteri Abillium. Sed hæc Zenodotus Trœ- *Aollius. Abillius.*
XXIII zenius narrans, multos habet qui contradicant. In hoc virginum raptu dicũt a quibusdam obscuris hominibus abductam fuisse puellam forma ac statuta longe aliis præstantiorem: eosq; cùm alii obviam facti ex nobilioribus conarentur ipsis eam eripere, clamasse, duci virginem à se Talasio, juveni egregio & bono, hoc audito, illos optima sponso compræcatos plausum dedisse, quosdamq; se verso itinere comites ducentibus addidisse benevolentia ac gratia Talasii impulsos, ejusq; subinde nomen inclamasse. Ab eo ortum, quod in hunc usq; diem Romani in nuptiis *Talassium* sicut *Hymenæum* Græci, accinunt: feliciter enim id conjugium Talasio evenisse fama habet. At Sextius Sylla Carthaginensis, homo nec indoctus & elegans, *Hymeneus.* *Sextius Sylla.*
nobis dixit, eam vocem tessellam rapiendi à Romulo fuisse propositam, itaq; omnes qui virginem abducerent, Thalasium vociferatos,
XXIV atque exinde hunc morem nuptiis inoleviſse. Major pars scriptorum interq; hos Iuba, censent adhortationem ad studium laboris & lanificii eo vocabulo contineri: quod videlicet eo tempore nondum Italica vocabula fuerint cum Græco sermone (eo enim talasia *lanificium* significat) confusa. Qui si rectè hoc dicunt, verumq; est tum Romanos Talasiæ voce ita usos, sicut Græci utuntur: alia jam, eaq; probabilior causa hujus rei conjectura æstimari potest. Quoniam enim in pacificatione belli Sabinorum adversus Romanos, ita convenit de mulieribus, ut ne qua in re quàm lanificio viris servirẽt: manifisse ex eo videtur, ut etiam in nuptiis post id temporis contractis ii, qui nuptum darent, aut deducerent sponsam, aut omnino quicunq; adessent, Talasium per iocũ inclamarent, testantes nullum ad aliud ministerium, quàm exercendam lanam, introduci mulierem. Mos etiam huc usq; obtinuit, ne sponsa ipsa ultro limen transeat, cùm in cubiculum intrat, sed sublata intro gestetur: quia tunc etiam cùm nollent ingredi, importatæ fuerint. Nec desunt, qui propterea nuptæ comam cuspide hastilis discriminari scribant, ut signum sit, primas nuptias bello & pugna cõtractas, de quibus in Quæstionum explicatione dictum est fusius. Raptæ autem sunt virgines XV. Kalen. *Iuba.* *Romani sub Romulo qua lingua usi.* *Nuptiales consuetudines.*
XXV Septembris, qua die Consualia celebrantur. Sabinorum gens erat ea magna quidẽ ac bellicosa, habitabantq; in pagis muro nullo munitis: convenire enim sibi magnanimitatem, ac metus vacuitatẽ putabãt, quod essent Lacedæmoniorum coloni. ergo ubi se magnis pignoribus obstrictos animadvertere, filiabus suis metuentes, legatos ad Romulum miserunt, petentes ab eo ut (quod æquũ erat, ac tolerabile) filias ipsis redderet, injuriaq; sublata amicitiam ac propinquitatem inter has gentes secundùm leges ac persuadendo potius pararet. Romulo puellas non restituente, sed Sabinos ad conjunctionem hanc approbandam cohortante; reliqui eorum consultationibus apparatuque faciendo moras traxerunt: Acron autem Cęninensium rex, homo ferox ac bellicosus, cui jam ante primi Romuli *Consualia Sabini.*

*Acronis regis Caninensium bellum.*

conatus suspecti fuerant; eum tum ab hoc raptu omnibus aliis terrori fore, neq; ferendum nisi plecteretur existimans, bellum occupavit: ac magnis cum copiis adversus Romulum profectus est, haud minori vi occurrentem. Cùm in conspectum veniissent mutuum, alter alterum, ut singulari certamine rem decerneret, quiescentibus in armis exercitibus, provocavit. Ibi Romulus Iovi vovit, si victoriam dejecto Acrone obtinuisset, arma se ejus ipsi dono laturum, consecraturumque: itaque straxit Acronem victor, & ejus exercitum pugna commissa fudit, urbemque cepit. Neque verò ullum maleficium iis, quos ibi deprehenderat, intulit: sed jussit, ut domibus suis dirutis Romam cum ipso irent, ibique cives æquali cum aliis jure essent. Atque nulla quidem alia magis, quàm hac ratione Romam auxit, quod subinde, quos superasset, eos sibi adjungeret. Romulus, quo votum ita solveret, ut & Iovi quam maximè gratum, & spectatu jucundum id populo esset, in castris deliberans: quercum prægrandem incidit, ac in formam trophæi dolavit, Acronis arma suo singula ordine appendit & adaptavit: tum vestem ipse præcinctus, cæsariemque lauro coronatus, trophæum erectum ac dextro suo humero suffultum portans, triumphalemque pæanem præcinens ivit: sequente in armis exercitu, excipientibus eum gaudio & admiratione civibus. Hæc sanè pompa initium, exemplumque triumphis posteriorum temporum exhibuit. Trophæum porro do- XXVII

*Iupiter Feretrius.*

narium Iovis Feretrii cognominatum fuit: nam à *ferendo* is dicitur.

*Opima spolia.*

atque voverat hoc Romulus, si ferilisset & straviisset Acronem. Opima spolia Varro ab *opibus* dicta ait. Veri tamen similius videtur, ab *opere* ea nomen habere, quod earum consecratio, ut virtutis præmium, conceditur Imperatori, qui sua manu Imperatorem hostium obtruncaverit. Id tribus modò Romanorum Imperatoribus contigit: Romulo primùm cùm Acronem Cæninensem dejecisset: deinde Cornelio Cosso propter occisum ab eo Tolumnium Etruscum: postremò Claudio Marcello, ob devictum Britomartum Gallorum regem. Sed Cossus quidem, ac Marcellus quadrigis in urbem invecti sunt, trophæa ipsi ferentes. Dionysius autem errat, cùm Romulum dicit curru ea in re usum. siquidem scriptum est à Tarquinio Demarati filio, primo inter reges triumphum ad id fastus ac splendoris perductum: alii Poplicolam ajunt primum curru triumphum duxisse. Quin & Romæ videre est statuas Romuli trophæum ferentes, pedestres omnes. Cæninensibus subactis, adhuc in bello apparando cæteris Sabinis occupatis, Fidenates, Crustumini, Ante- XXV

*Fidenates, Crustumini, Antemnates victi.*

mnatesque conjunctis viribus cum Romanis confligunt: victique III

& ipsi, Romulo urbes diruendas permiserunt, & agro eorum divisio, ipsi Romam trãslati sunt. Romulus cum agri reliquam partem inter cives distribuisset, virginum raptarum parentibus suos reliquit. Id indignè ferentes reliqui Sabini, Tatio duce delecto, adversus Romam expeditionem fecerunt. Erat urbs accessu difficilis, quod ei objectum erat propugnaculi loco Capitolium, in eoque præsi-

*Sabinorum bellum.*

præsidium positum, cui præerat Tarpeius, non virgo Tarpeia: quod quidam dum dicunt, Romulum stultitiæ insimulant. Enimverò Tarpeii filia, aurearum, quas à Sabinis gestari videbat, armillarum cupiditate illecta, arcem eis prodidit, pacta mercedem proditionis, ea quæ levis manibus ii ferrent. Tatio conditionem accipiente, nocte una aperta porta, Sabinos intromisit. Apparet sanè non solum ita sensisse Antigonum, cùm diceret, *prodentes à se diligi, peracta proditione odio haberi*: neque Cæsarem tantum de Rhymitalca Thrace, *proditionem se amare, proditori infensum esse* dicentem, sed quicunque improborum aliquo in negotio opera utuntur, omnes eodem adversus eos affecti sunt modo, quo hi qui virus aut fel ab aliqua bestia petunt (quippe usum in accipiendo eo gratum cùm habeant, malitiam bestiæ re peracta oderunt) quando is quoque tum Tatii in Tarpeiam animus fuit. Mandavit enim suis, ut promissi memores, omnia quæ in sinistris haberent manibus, in eam conferrent, atque ipse primus cum detracta manui armilla scutum unà in eam conjecit. Ita omnibus hoc imitantibus, Tarpeia auro tecta, scutisque obruta, sub multitudine ea, moleque perit. Tarpeium etiam à Romulo proditionis accusatum, damnatumque, Iuba è Sulpicio Galba refert. Qui aliter de Tarpeia scribunt, de iis fidem non merentur, qui Tatij Sabinorum ducis filiam perhibent Tarpeiam, à Romuloque vi uxorem ductam ista egisse. itaque à patre acceptam, ut retulimus; inter hos est Antigonus. At Simylus Poeta planè delirat, non Sabinis ab ea, sed Gallis, quorum regis amore fuerit correpta, Capitolium proditum scribens. Sunt enim hi ejus versus

*Tarpeia Capitolium prodidit.* *In proditores.* *Alia de Tarpeia opinio.*

*Ast Tarpeia habitans Capitolinum prope clivum,*
*Romanis muris struxerat exitium:*
*Quippe ut Gallorum potiretur rege marito,*
*Prodidit hac regnum tecta ferenda patrum.*

Post paulò de ejus exitu:

*Non huic de Boiis quisquam, aut Celtis populosis*
*Gaudenti thalamos straverit ad Eridanum:*
*In scelus at manibus iaculati fortibus arma,*
*Pulchra illi merita dona dedêre necis.*

Propter sepultam ibi Tarpeiam, collis iste Tarpeii nomen, usque ad Tarquinii regis tempora obtinuit. Is cùm locum hunc Iovi consecrasset, reliquiis Tarpeiæ inde translatis, nomen quoque cessavit: nisi quod adhuc saxum in Capitolio, de quo malefici præcipitantur, Tarpeium dicitur. Arcis, ut dictum est, à Sabinis occupatæ ira Romulus hostes ad pugnam provocavit: neque abnuit Tatius, confidens se, si ab hoste premeretur, tutum receptum posse habere. Nam locus intermedius, quo in loco erant conflicturi, multis tumulis inclusus erat, ita ut videretur pugnam utrisque acrem & difficilem, fugam vero & insecutionem brevem propter angustias suas effecturus. Forte superioribus diebus cùm fluvius stagnasset, in planis locis paludem profundam atq; occultam reliquerat (ubi

*Tarpeium collis.*

nunc forum est) quæ videri ac caveri non facilè posset. Eò Sabinos
*Curtius Sabinus.* imperitia delatos fortuna adjuvit. Nam Curtius vir inter eos gloria illustris, elatique animi, equo longè ante alios provectus in voraginem eam incidit, conatusque equo verberibus & hortatu incitato pertransire, cùm id efficere nequiret, omisso equo, seipsum servavit. Locus etiamnum ab eo *Lacus Curtius* appellatur. Sabini ab eo periculo sibi deinde cavendo, acriter pugnaverunt, incertoque Marte, multis quidem occumbentibus, atque inter hos etiam Hostilio. is Herstiliæ maritus, Hostilii, ejus, qui Numæ in regno successit, avus fuisse traditur. Cùm variæ ejus certaminis species brevi XXXII
*Hostilius.* tempore (ut fieri assolet) incidissent, id præcipuè memoratur, Romulum saxo caput ictum, ita ut quin caderet parum abfuerit. qui cùm pugnam remitteret, cessisse Sabinis Romanos, pulsosque planicie, fuga ad Pallantium contendisse. Iam Romulus ad se à plaga
*Romulus sauciatur.* rediens contrario quàm fugientes motu pugnam capessabat, suosque, ut starent & pugnarent, magno clamore adhortabatur: sed magna circum fuga, suorumque metu obvertere sese hosti non audentium destitutus, Iovem precatus est, sisteret exercitum, resque Romanas collabentes jam firmaret. Voto factu, verecundia regis militum animos incessit, audaciaque rediit fugientibus. Itaque substi-
*Romanorum fuga.* tuerunt eo primum loco, ubi templum Iovi Statori est positum: deinde cuneo acto, Sabinos repulerunt usque ad eum, qui nunc Regia
*Iupiter Stator.* dicitur, locum, & Vestę fanum. Ibi pugnam utrinque redintegran- XXX
*Regia.* tes, spectaculum visu horrendum, explicatuque admodum difficile III
*Sabinæ prælium dirimunt.* inhibuit. Sabinorum filiæ, quæ raptæ fuerant, diversis ex partibus cum clamore & vociferatione per arma & cadavera sese inferentes, tanquam furore divinitus concitatæ, maritos suos aut patres petentes, subitò apparuerunt, aliæ infantes in ulnis gestantes, aliæ passos crines protendentes: omnium autem una vox erat blandissimis nominibus modò Sabinos, modò Romanos inclamantium. Fracti ea re omnium utrinq; animi, receptisq; intra medias ipsis acies; fletus persuasit omnes, ac miserationē cùm ipsum spectaculū, tū oratio ea-
*Earum oratio.* rū movit, à sui defensione liberaq; objurgatione in supplicationem deprecationemq; desinens. Qua inquiebant, nostra in vos injuria XXX
» meruimus, ut eas, quas partim passæ sumus, partim patimur mise- IV.
» rias, tolerandas habeamus? Raptæ ab his, quorum nunc sumus, vi &
» injustè: raptas fratres, patres, ac propinqui tantisper neglexerunt,
» dum longum tempus nos cum inimicissimis summa necessitudine
» ita devinciret, ut jam pro iis, qui vim nobis raptores fecerunt, me-
» tuere pugnantibus, flere morientibus cogamur. Non enim in hoc
» adestis, ut nostrum injuriam virginum ulciscereminī: sed nunc uxo-
» res nos maritis, matres liberis ademptum venitis, quod auxilium
» priori negligentia ac proditione vestra miseris nobis est gravius.
» Hic scilicet erga nos est horum amor, hæc contra vestra erga nos
» misericordia. Quod si alia vobis pugnæ causa fuisset, in nostrum
» gratiam vos, quos soceros, avos, necessarios reddidimus, eam

omittere

omittere par erat. sin propter nos bellum geritur, accipite, obse- «
cramus, nos cum generis vestris, ac liberis nostris, redditeque no- «
bis patres & cognatos, neque nobis viros nostros adimite, aut in «
xxxv aliam nos captivitatem detrudite. In hanc sententiam multa cùm «
dixisset Hersilia, reliquis comprecantibus, inducie factæ sunt, ve- *Hersilia.*
neruntque in colloquium duces. Interim mulieres viros ac libe-
ros ad patres ac fratres suos adducere, iis qui cibo & potu indige-
bant, ea ex domibus suis adferre, saucios domum abducere ac cu-
rare, suisque ostendere, quod ipsæ quidem domus curationi præ-
essent, maritis autem curæ essent, qui ipsas benevolentia & hono-
re prosequerentur. Proinde fœdus factum est his conditionibus, *Pacis condi-*
ut mulieres quæ vellent cum suis maritis vivere, liberæ ab omni *tiones.*
opere & ministerio præter lanificium haberentur: ut Roma æquali
jure à Romanis & Sabinis habitaretur: urbsque nomen à Romulo,
Romani Quiritum nomen à Curibus Tatii patria ferrent: regnum *Quirites.*
imperiumque Romulus & Tatius consociatum haberent. Locus,
ubi initum est hoc fœdus, hodie quoque Comitium appellatur à *Comitium.*
xxx *coeundo.* Vbi ad hunc modum geminata, centum patricii è Sa-
vi binis lecti sunt: in legiones peditum sena millia, equites sexceni *Legiones.*
ordinati. tribus res constituta, quarum una à Romulo Ramnensis, *Tribus.*
à Tatio altera Tatiensis, tertia Lucerensis vocata fuit propter lu-
cum, in quem multi proposita impunitate confugientes, civitatis
in societatem veniebant. Numerum tribuum hunc fuisse, ratio
ipsa vocabuli testatur, à ternario enim & tribus & earum principes,
qui sunt Tribuni, nominantur. In quavis tribu decem erant Curiæ, *Curiæ.*
quas à mulieribus istis appellatas quidam tradunt: sed falsò, ut
videtur, cùm multarum Curiarum à locis sint ducta nomina. Ni-
hilominus multos iis mulieribus honores tributos constat: cujus *Mulieribus*
generis est, ut via eis decederetur: ne eis præsentibus obscœnum *honores tri-*
quidquam diceretur: qui nudum se ab iis videri passus fuisset cri- *buti.*
minis capitalis reus haberetur: ut pueri ex iis nati, bullam gesta- *Bulla.*
rent: qui ornatus collo circumponitur, & purpura circundatus, à
xxx forma nomen habet. Cùm consultarent de re aliqua reges, non
vii statim communicatis inter se sententiis, sed uterque cum centum
suis patritiis seorsim consilia capiebant, deinde omnes unum in lo-
cum convocabant. Tatius habitabat, ubi nunc ædes est Monetæ: *Monetæ ædes.*
Romulus eo in loco, qui Gradus pulcri littoris vocabatur, qua est à *Gradus pulcri littoris.*
Pallantio ad Circum magnum descensio Ibi etiam cornum sacram
fuisse tradunt. Fabulantur enim, Romulum roboris seu periclitan-
di causa à Loentino (loci nomen est) lanceam jaculatum fuisse, cu-
jus hastile de corno arbore fuerit factum: cujus lanceæ cuspis cùm
in terram casu defixa fuisset, multis conantibus nemo evellere va-
luerit: à solo autem, ut ferendis stirpibus apto, signum apprehen-
sum fuisse. frondesque emissas, & stipitem corni justæ magnitudi-
nis eo modo editum. Hanc arborem Romuli posteritas, tanquam
rem apprimè sacram, muro circundederunt, ac coluerunt: ad quam

si quis accessisset, eique videretur arbor non vivere, sed marcescere; is obviis quibuscunque id confestim vociferando indicabat: hi autem tanquam incendio opem ferrent, aquam clamore poscebant; fiebatque undique concursus ad eum locum vasa aquæ plena congerentium. Sed C. Cæsare, ut traditur, gradus istos extruente, cum *C. Cæsar.* fabri proxima loca perfoderent, radices ab illis inscius undiquaque læsæ sunt, arborque exaruit. Sabini menses Romanorum accepe- XXX runt, de quibus, quæ dicenda essent, in vita Numæ posuimus. Scu- VIII tis autem Sabinorum Romulus uti cœpit, mutata priori armaturæ specie: nam ipse ac Romani ante Argolicis clypeis utebantur. Fe-

*Festi dies Romanorum.* stos quoque dies & sacrificia inter se communicaverunt, ita quidem ut ne quæ uti iusque erant gentis tollerent, sed nova quædam ad-

*Matronalia.* jicerent: ut sunt Matronalia, in honorem mulierum ob bellum ab

*Carmentalia.* ipsis pace mutatum instituta, & Carmentalia. Carmentam quidam pro Fato accipiunt, quæ in natales hominum dominium habeat, ideoque à matribus colatur: alii Evandri Arcadis uxorem fatidicam, & quæ furore afflata oracula versibus ligata cantaret, Carmen-

*Nicostrata.* tam à *carminibus* cognominatam, cùm alias Nicostratæ nomen ei esset. de hoc quidem satis ferè omnibus convenit. Alii Carmentam probabilius exponunt, quasi *carentem mente*, propter furorem

*Palilia.* vaticinium. Palilia quoque celebrabantur, de quibus supra di- XXX

*Lupercalium descriptio.* ctum. Item Lupercalia agebantur. Ea si ad tempus respiciatur, lu- IX strationis causa instituta videri possunt: fiunt enim diebus nefastis mensis Februarii, qui ab expiationibus nomen habet, atque illa dies antiquitus *Februata* nuncupabatur. Lupercalia Græcis *Lycæa* vocantur, cujus nominis ratione videntur esse pervetusta, & ab Arcadibus, qui cum Evandro fuerant, deducta: possunt tamen etiam à *lupa*, quæ iis Lycæna est, dicta videri, cùm Luperci cursum suum ab eo loco, quo Romulus expositus fertur, ordiantur. Sed quæ agun-

tur Lupercalibus, eorum causa conjectu difficilior est. Mactant e- nim capras: tum duo nobiles adolescentes adducuntur ad eos, quorum alii frontem gladio cruentato contingunt, alii confestim detergent lana lacte madefacta: adolescentulis istis interim, dum detergantur, ridendum est. Deinde caprarum pellibus in scuticas dissectis subligaculis præcincti, cætera nudi, discurrunt, ac obvium quenque iis scuticis cædunt. Mulieres autem juniores ictus illos nequaquam fugiunt, credentes eos ad pariendi facilitatem & conceptum conducere. Id quoque peculiare festi hujus est, quod canis

*Canis.* à Lupercis immolatur. Porro Butas quidam elegiacis versibus XL causas Romanarum rerum fabulosas perscripsit. is tradit Romulum eum suis victo Amulio, lætitia exultantes ad eum locum accurrisse, ubi infanti ipsi lupa ubera præbuisset: itaque & ad imitationem hujus cursus Lupercalia agi, & currere nobiles, ac

*Percutere oblatos: velut ense cucurrit ab Alba,*
*Armatus quondam Romulus, atque Remus.*

Quod autem gladius cruentatus frontibus eorum adhibetur. Id esse cæ-

dis ac

dis ac periculi signum: sicut deversio, quæ fit lacte, nutritionem indicet. At C Acilius narrat, pecudes Romuli ante urbem conditam amissas fuisse: eum itaque cum suis, Fauno votis factis, ad eas quærendas nudos excurrisse, ne sudore molestarentur: ideoque Lupercos etiam nudos currere. Quod ad canem attinet, siquidem id sacrum lustrationis causa peragitur, haud abs re expiationis causa immolari dicemus; nam in id genus sacrificiis Græci catulos adhibent, varieque utuntur iis, quos à catulis *periscylacismos* nominant. Quod si instituta sunt Lupercalia ad agendas lupæ gratias, pro nutrito & servato Romulo: haud absurde canis mactatur, animal lupis inimicum; nisi potius ideo plectitur, quod Lupercis circumcurrentibus interturbet. XLI Religionem quoque de igne dicunt à Romulo primùm introductam, virgineſque sacras, quæ Vestales cognominantur, constitutas; alii Numæ hoc tribuunt. Alioqui Romulum maxime religiosum, neque non divinum fuisse perhibent, quique divinationis causa lituum gestaverit: is est baculus curvus, quo solent qui augurii causa aliquo considerent, cœli spacia distinguere. porro autem lituum Romuli in Palatio adservatum, cùm Vrbs à Gallis caperetur, amissum, rursusque profligatis barbaris, in profundis cineribus inter perdita ac corrupta omnia, illæsum ab igne inuentum XLII fuisse. Leges etiam quasdam tulit: inter quas vehemens est illa, qua mulieri maritum relinquendi potestas adimitur: viro autē ejicere uxorem conceditur, si veneficio circa prolem usa fuisset, aut alienam pro sua subdidisset, aut adulterium commisisset: si quis alia de causa repudiasset conjugem, ejus mariti bona partim uxori cederent, partim Cereri sacra forent: & qui uxorem dimisisset, is diis Manibus rem sacram faceret. Id etiam singularis fuit consilii, quod cùm nullum contra eos qui patrem suum occidissent, jus privatim posuisset, omne homicidium parricidii vocabulo notavit: quod hoc scelestum, illud ne existere quidem posse, judicaret. Ac multo quidem tempore existimatum est, recte ab eo putatum, id facinus accidere non posse: nam fere sexcenti ab ortu Romæ anni effluxerunt, ante quam id in Vrbe audiretur, primusque Romæ post bellum Punicum secundum L. Ostius patrem suum necasse memoratur. XLIII Verum de his dictum satis. Annus Tatio regni sui quintus agebatur, cùm familiares quidam ejus ac cognati legatis Laurentium Romam euntibus in itinere obviam facti, spoliare eos pecuniis per vim aggressi, resistentes trucidârunt. Id indignum facinus existimabat Romulus, statimque supplicium de auctoribus ejus sumendum: Tatius rem extraxit, quæ sola illis apertæ dissensionis causa fuit, cùm in reliquis ita sese compararent, ut quanta maximè fieri poterat concordia in rebus administrandis uterentur. At cæsorum propinqui, cùm per Tatium iis suum jus persequi nequaquam liceret, eum Lauinii cum Romulo rem divinam peragentem impetu facto obtruncarunt: Romulum, tanquam justum virum, lætis cum acclamationibus prosecuti sunt. Romulus Tatii corpus acce-

*Canis immolatio.*

*Vestales.*

*Lituus.*

*Leges Romuli.*

*Repudij causa 19.*

*Dos Cereri consecrata.*

*Parricidium.*

*Tatij iniustitia & interitus.*

*Armilustrium.*

ptum honorificè sepeliit in Aventini ea parte, qua Armilustrium extat: vindictam vero hujus cædis omnino neglexit. Quidam scriptores, Laurentes metu impulsos tradidisse ad supplicium Tatii percussores narrant: eos autem à Romulo missos factos, cædem cæde persolutam dicente. Præbuit id factum sermonem, suspicionemque, quasi gauderet Romulus collegam suum sublatum esse: nihil tamen ea res turbarum aut seditionis apud Sabinos excitavit, quorum alii benevolentia erga eum, alii metu potentiæ, alii opinione divinitatis de eo concepta, ipsum summopere observabant. Multis quoq; extraneorũ admirationi Romulus fuit: ac Latinorum seniores missis legatis amicitiam cum eo, fœdusq; sanxerunt. De XLIV

*Fidenæ à Romulo captæ.*

Fidenis porro, urbe Romæ vicina, à Romulo captis autores discrepant. Quidem subitò missos ab eo equites, qui cardines portarum exscinderent, ipsum deinde inopinantibus superveniisse oppidanis, tradunt. alii Fidenates prius in Romuli ditionem impressione facta prædas egisse, agrisque & suburbio multa maleficia intulisse referunt: Romulumque positis insidiis magnam eorum partem interfecisse, & urbem cepisse. Neque verò hanc urbem delevit, sed missis eo bis mille ac quingentis inhabitatoribus, Romanorum coloniam fecit. actum hoc idibus Aprilis. Secundum hæc, pestis incidit quę XLV

*Pestis Romæ & sterilitas.*

citra ullum morbum subita morte homines interimebat: comitabaturq; hanc luem etiam agrorum pecudumque sterilitas pluit etiam sanguine Romæ, ita ut malis his multa superstitio conjungeretur. Quæ ubi mala Laurentes etiã invaserunt, omnes in hanc sentẽtiam venêre; propter confusum cęde Tatii ac legatorum fœdus, Deũm ira urbẽ utramq; agitari. Deditis utrinq; ad supplicium parricidis, punitisq;, manifestò finem calamitas ea habuit: lustravitq; urbes Romulus, quod genus expiationis hodieq; ad Ferentinam portam per- XLVI

*Lustratio.*

agi adserũt. Antequam pestis cessaret, Camerii Romanos propter

*Camerij à Romanis victi.*

id malum defendendo eos bello non fore putantes, adorti sunt, in agrumq. eorum incursionem fecerunt. Contra hos Romulus statim cum exercitu profectus, prœlio occisis hostium sex millibus vicit: captaq; eorum urbe, dimidiam eorum, qui supererant cladi, partem,

*Cameriam colonia missa.*

Romam transtulit; Cameriam autem duplum eorum, quos ibi relinquebat, numerum Romanorum deduxit. ad Kalen. Sextiles. tanta tum ei civium erat abundantia annis non totis sedecim post conditam urbem. Inter reliqua spolia, quadrigæ etiam æreæ Cameria abductæ sunt, positæque in ædę Vulcani á Romulo: atque ipse se à Victoria coronatũ ibidem statuit. Corroboratis ad hunc modum re- XLV

*Quadrigæ æreæ.*

bus, vicini, quorum essent vires imbecilliores, & quas suæ sortis re- II

*Veientium contra Romanos bellum.*

bus in tuto positis non pœniteret, se submisse continuerunt. At potentiores metu invidiaq; tracti, non connivendum, sed incrementis Romuli obsistendum, eumq; deprimendum duxerunt. Primi inter Etruscos Veientes, qui magnam ditionem, urbemq; amplam habebant, bellum moverunt; dum Fidenas, tanquam ad se pertinentes, reposcunt. Id vero non injustum modò erat, sed & ridiculum, eos qui

Fide-

Fidenatibus in periculo versantibus, belloque pressis opem non tulissent, sed pereuntes neglexissent, urbem jam agrumq; ab aliis occupata, sibi postulare. Quare cùm à Romulo contumeliosè ipsis esset responsum; in duas partes divisi, altera Fidenatium copiis sese obiecerunt, altera Romulo obviam contenderunt. Ad Fidenas duobus Romanorũ millibus occisis, à Romulo superati, supra octo hominum millia amiserunt. XLV III Iterum deinde apud Fidenas prœlium commissum est: quo in prœlio præcipue Romuli virtute victoriam partam, omnem artem audaciæ conjunctam exercentis, roboreq; & pedum celeritate, quanta in homine esse non videretur, utentis, in confesso apud omnes est. Sed quod nonnulli ajunt, quatuordecim millibus Veientium cæsis, amplius dimidia parte eorũ Romuli manibus interfectos fuisse, id planè fabulosum, omninoq; incredibile est: quando & Messenios inflatius Aristomenem suum prædicare arbitrantur, qui ter hominem immolaverit (quæ *Hecatomphonia* vocantur) quod tertiùm cẽtum de Lacedæmoniis hostibus viros in pugna interfecisset. Fusis hostibus, superstitibus cladi fugam Romulus concedens, ad ipsam urbem se convertit. Veientes calamitate victi, supplices conditiones pacis acceperunt, amicitiamq; ad annos centum pacti sunt: Romanis magnam sui agri partem attribuerunt, quæ Septempagium à septem pagis nominatur: salinis, quæ erant prope fluvium, cesserunt: quinquaginta ex optimis obsides dederunt. De his triumphavit Romulus Idibus Octobris, ducto inter multos alios captivos Veientium ipso duce, sene, ac qui imprudentius, imperitiusque quam pro ætate sua rem gessisse videretur. Itaque nunc etiam cum sacra triumphalia fiunt, senex per forum in Capitolium ducitur prætextatus bullatusque more puerorum, proclamátque præco, Sardianos vænum propositos esse. Nam Etrusci Sardianorum coloni memorantur: porro Veii urbs est Etruriæ.

XL IX Hoc bellorum à Romulo gestorum ultimum fuit. Nam quod plerisque, aut potius omnibus usuvenire consuevit iis, qui magnis atque admirandis successibus fortunæ ad potentiam fastumque extolluntur, post id bellum confectum ipsi quoque accidit: nimirum rebus secundis audacior elatiorisque animi redditus, ut à populari Reipublicæ statu summam rerum in se Vnum transferret, regnumque institueret, cujus primum habitus ipse molestiam suis offerret. Purpuream enim togam, palliumque purpura prætextum gestabat, ac de solio acclivi responsa dabat: stipatus semper juvenum, quos à ministerii velocitate *Celeres* dicunt, caterva: præcedebant eum alii, qui baculis turbam sumoverent, lorisq; præcincti, ut statim, si quos jussisset, ligare ii vincireque possent: unde iis *Lictorum* nomen, Græci hos *rhabduchos*, hoc est *fasciferos*, à fascibus baculorum dicunt: etsi probabile est, prius *litores*, ac Græcè quidem *Leiturgos* appellatos fuisse (nã horũ lingua *Leitus* & *Laus* populum significant) quasi populi ministros, indeq; C litera interjecta *lictores* existitisse. Cùm Numitore Albę defuncto ad Romulũ ejus mor-

*Romulus insolentior & suu iniquior factus.*

*Celeres.*

*Lictores.*

L te re-

te regnum deveniſſet, populi favorem captans, ſummam Reipublicæ in medio poſuit, ſinguliſque annis unum præfectum Albanis dedit. Eos etiam, qui Romæ potentia præſtabant, docuit regni expertem ac liberam reipublicæ adminiſtrationem affectare, ita ut partim regerentur. Neque enim ipſo rege patricii in reipublicæ gerendæ partem veniebant, ſed nomine habituque venerandi, magis pro more, quàm ſententiæ dicendæ cauſa, in curiam convocabantur, tacitique cùm mandatum Romuli audiiſſent, ita diſcedebant, ut eo ſolo multitudini præſtarent, quod priores ea quæ agerentur cognoviſſent. Ac reliquæ quidem injuriæ Romuli in ſenatum, obſcuriores erant. Quod autem agrum manu captum militibus ſuo unius arbitrio diviſiſſet, obſidesque Veientibus reddidiſſet injuſſu Senatus; planè hunc ordinem circumſcribere videbatur. Itaque paulò poſt Romulo inopinantibus ac inſciis omnibus de medio ſublato, in ſuſpicionem ac calumnias Senatores hujus rei cauſa inciderunt. Cæterum Romulus ſublatus eſt Nonis Iulij (qui menſis olim erat Quintilis) ita ſanè, ut de exitu ejus nullus conſtans ſermo rumorve relictus ſit, præterquam de tempore caſus iſtius. nam ea, qua dixi, die multa eorum quæ tum evenerunt ſimilia peraguntur. Neque hanc obſcuritatem eſt cur miremur, quando etiam Scipione Africano domi ſuæ à cœna mortuo, modus ejus obitus neque fidem, neque certa indicia habuit: quem alii quod fuerit natura valetudinarius, per ſe fato conceſſiſſe judicant, alii veneno ſeipſum extinxiſſe, alii inimicos noctu irrupiſſe, eique ſpiritum interclusiſſe. Et tamen Scipionis cadaver omnibus in conſpectu poſitum fuit, ut de modo ejus mortis inſpicientibus ſuſpicari ac conjicere liceret: Romuli ſubitò vita functi neque corporis pars viſa eſt, neque veſtimenti particula ulla ſuperfuit. Verum alii opinantur in æde Vulcani impetum à ſenatoribus in eum factum, occiſique corpus in partes diſcerptum, earumque à ſingulis unam in ſinu geſtam. Alii neque eo in loco, neque ſolis Senatoribus præſentibus, conſpectui hominum ademptum exiſtimant: ſed cùm ad Capræ paludem extra Vrbem fortè concionem haberet, ſubitò in aëre mirabilem ac verbis ſuperiorem tempeſtatem, mutationeſque incredibiles extitiſſe: ſolis enim lumine obſcurato, noctem ingruiſſe nequaquam quietam aut placidam, ſed horrendis tonitribus, ventorumque undiquaque grandinem incutientium flatibus frementem: tum multitudine ad fugam diſperſa, potentiores in unum globum cojiſſe: poſt tumultu ſedato cùm dies iterum emicuiſſet, collectoque rurſus in unum populo rex quæreretur ac deſideraretur; non permiſſum à primoribus plebi ut inquirerent: ſed mandatum omnibus, ut Romulum ad Superos raptum, Deumq; ipſis propicium ex bono rege factum, veneratione ac honore proſequerentur. Hæc pleroſque credidiſſe, eoſque cum gaudio & bona ſpe adorato Romulo diſceſſiſſe. Fuiſſe tamen nonnullos, qui rem acerbo infeſtoq; animo perpendentes, patriciis obturbarent, ac cõviciarentur, quod

*Romuli obitus.*

*Scipionis Africani mors obſcura.*

*De Romuli morte opiniones.*

*Capræ palus.*

LI

LII

LIII

quod cùm regem suis ipsi manibus trucidassent, inepta populum persuadendo deciperent. Ibi tum Iulium Proculum, unum ex iis qui Alba Romam migraverant, virum inter patricios primæ nobilitatis, moribus probatissimis, Romuloque ipsi fide & familiaritate conjunctum in concionem prodisse, & ad religiosissima sacra jurejurando concepto dixisse: sibi in via Romulum oblatum, aspectu pulchro majorique quam ante unquam, armisque splendidis ac ardentibus ornatum. se hoc viso perterritum, his eum verbis compellasse: Quidnam tibi, ô rex evenit, aut quo consilio adductus, nos injustis malicioſisque criminationibus objectos, totam autem urbem orbam immemo in lucto deseruisti? Romulum verò in hanc sententiam respondisse: *Dis, Iuli, à quibus veni, ita visum est, ut tantus per cum hominibus essem, urbemq; cujus imperium ac gloria forent maxima, conderem: unde rursus cœlum inhabitarem. Vale, ac Romanis dic fore, ut si temperantiam fortitudinemq; colant, omnes mortales potentiâ excellant. Ego autem Deus vobis propitius ero Quirinus.* Visa hæc Romanis fidem mereri, propter mores dicentis, jusque jurandum memorant: nec non divinitus quoque ad id credendum quasi afflatu quodam numinis permotos, ita ut contra diceret nemo, sed universi suspicionibus ac calumniis omissis vota Quirino nuncuparent, eumque ut Deum invocarent. Hæc sane narratio Græcorum de Aristea Proconnesio, & Cleomede Astypalæo commentis haud absimilis est. Aristeam ii in fullonia quadam officina diem clausisse tradunt, corpusque quærentibus ejus amicis nusquam apparuisse: quosdam vero ex ipso itinere venientes dixisse, visum à se Aristeam in via, Crotonem versus ambulantem. Cleomedem porrò corporis robore ac magnitudine nimium, ingenio præferoci, ac furibundum, multa edidisse violenta facinora: demumque cujusdam ludi literarii columnam, quæ culmen sustulciebatur, manu concussisse, mediamque confregisse: itaque domicilio eo prostrato, oppressisque pueris cùm insecutores eum urgerent, in arcam ipsum magnam confugisse, operculumque ei obditum sic intus tenuisse, ut multi simul conati id vi avellere non potuerint. cæterum cùm ii arcam ferro discidissent, neque vivum intus, neque mortuum Cleomedem inventum: sicque eos terrore percussos misisse Delphos, qui oraculum peterent, iisque ita Pythiam cecinisse.

*Iulij Proculi de Romuli ad superos abitu testimonium.*

*Aristeæ Proconnesii fabula.*

*Cleomedis Astypalæi fabula.*

*Vltimus heroum Cleomedes Astypalæus.*

Ferunt etiam Alemenæ funus cùm efferretur, cadaver ejus evanuisse, lapidem in feretro inventum: omninoque multas hujusmodi fabulas præter fidem adferunt, juxta diis divinitatem ac mortali hominum generi adscribentes. Equidem ut impium sit, parumque ingenuum, omnem virtutis divinitatem inficiari: ita stultum est, terram cœlo velle miscere. Id igitur potentius tenendum, quod est tutius, sentiendumque cum Pindaro, qui ita scribit:

*Alemene.*

*Immortalitas.*

*Corpus omnium rapitur mortis violentiâ,*
*Viget adhuc imago sæculi, unica à Dijs*

Orta

*Orta quod est, & inde venit, atq; illuc redit.*

non id profectò cum corpore, sed cùm maximè à corpore fuerit liberata, secretaq;, totaq; pura, carnis expersq;, & casta reddita. Is enim est animus (ut Heraclitus censebat) sicut, eoque optimus, qui

*Heracliti dictum.*

*Per corpus, ut per nubes fulmen, evolat.*

Contra animus cum corpore commixtus, eoque oppletus, tanquam gravis & caliginosa quædam exhalatio, difficulter accendi, in sublimeque efferri potest. Quare nihil attinet. corpora præstantium mortalium, contra quàm eorum natura ferat, unà cum animo in cœlum attollere. Sed ita statuendum est virtutes & animos eorum utique suapte natura, divinaque conditione id habere, ut ex hominibus in Heroes, ex his in Genios, atque ex iis tandem, cùm quasi in mysteriorum initiatione protinus lustrati ac consecrati, omne quod morti erat atque affectionibus aliis obnoxium effugerint, in Deos transire, præstantissimum atque beatissimum finem consecutos. neque id decreto urbis alicuius, sed revera ac consentanea ratione fieri. Cæterùm Romuli cognomentum quod fuit Quirinus, alii quasi bellicosum & Martem interpretantur: alii indè tractum censent, unde Romani quoque sint Quirites dicti. Sunt qui hastam antiquitus, aut cuspidem *quirini* nomine appellatam tradãt: vocatumq; ab iis simulacrum Iunonis Quiritidis, quod fuerit cum hasta positum. Sic & in Regia dedicatam hastam, *Martem* vocatam: lanceaq; honorari solitos, qui in bello virtutem suam ostendissent. Ita Romulum etiam tanquam Martium & bello clarum Quirinum cognominatum fuisse. Porrò ejus templum locatum est in colle, qui ab eo Quirinalis fuit nuncupatus. Dies, qua fato concessit, Fuga plebis appellatur, ac Nonæ Capratinæ: quia tum ex urbe ad Capræ paludem exeuntes sacrificant. Ad quod sacrum dum exitur, multa usitatorum nominum inclamant, veluti Marci aç Caij, imitantes eam, quæ tum acciderat, fugam ac mutuam invocationem cum timore, ac tumultu factam. Quanquam invenio, qui id non ad fugam, sed ad festinationem exprimendã fieri tradant, idque hac de causa. Gallis (inquiunt) postquam cepissent Romam, à Camillo expulsis, cùm urbs propter imbecillitatem haud facilè pristinas vires recolligeret: Latini, duce Lillio Postumio, magnis copiis expeditionem contra eam fecerunt. Is cum exercitu haud procul urbe consedit, misso Romam legato, qui indicaret, statuisse Latinos antiquam cum Romanis necessitatem atque affinitatem jam deficientem resuscitare, novisque denuo conjugiis nationes has commiscere: proinde pacem Romanis ita demum Latinos, amicitiamque offerre, si magnum virginum numerum his, mulieresq; maritis viduas darẽt, quo modo ante fuisset ipsis cũ Sabinis inita necessitas. Eo audito Romani & bellum metuebant, & hanc mulierum traditionem nihil captivitate mitius habere judicabant. Anxiis serva Philotis (alii Tutolam nominant) consilium dedit, ut neutrum facerent, sed dolo usi, simul & bellum, & obsidum hanc deditionem evitarent. Doli hæc erat ratio, ut Philotidem

*Quirini cognomentum unde.* LVI

*Collis Quirinalis.*

*Nonæ Capratinæ.*

*Fuga plebis.* LVII

*Latinorum bellum.*

*Philotidis astus.* LV

*Tutola.* III

lotidem cum aliis ancillis pulcrè ornatas ingenuarum instar ad hostes emitterent: Philotis autem noctu igne sublevato signum daret: tum Romani armati Latinos somno deditos invaderent. Estque ea res eo modo confecta. Latinis pactum probantibus, ignem noctu de caprifico suis ostendit Philotis, retrò eum velo, ac pannis prætensis operiens, ne ab hostibus conspici posset lumen, solisque Romanis esset conspicuum. Qui ubi signum dari vidêre, properatò exierunt, festinationisque gratia apud portas sæpius se invicem acclamando hortati sunt, facto autem in hostes inopinantes impetu, victoria potiti, diem eum in rei memoriam festum celebrant: & à caprifico Nonæ Capratinæ vocantur. epulum autem præbent mulieribus extra urbem, sub umbraculis ex ficuum frondibus contextis: servæque circumeuntes ludunt, deinde invicem se plagis ac lapidum jactibus impetunt, quasi tum quoque Romanis in prœlio ad-
LIX fuerint, pugnantibusq; opem tulerint. Verùm hanc narrationem pauci scriptores probant: quinimò quod ea die nominum invocatione utuntur, adque Capræ paludem tanquam ad sacrificium egrediuntur, videtur magis ad priorem sermonem pertinere. nisi fortassis diversis temporibus eadem die utrunque contigerit. Enimvero Romulus desit inter mortales esse, natus (ut traditur) annos quinquaginta quatuor, regni sui anno supra trigesimum octavo.

*Ætas Romuli.*
*Anni regni*

## THESEI ET ROMULI COMPARATIO.

LX Hæc ferè sunt, quæ de Romulo ac Theseo digna commemoratu accepimus. Primùm liquet, Theseum sponte sua, nulla incumbente necessitate, cùm posset tuto Trœzene regnare, idq; regnum haud inglorium suscipere, ultrò ad magnas res animum appulisse: Romulum verò proposita servitutis evitatione, impendenteque supplicio, ipso nimirum (sicut est apud Platonem) metu ad fortitudinem, timoreque extremorum malorum ad arduas res obeundas necessario adactum fuisse. Deinde hujus præcipuum inter omnia factum est, quod unum Albæ tyrannum sustulit: atqui Theseus aliud quidem agens, in Scirone, Sinnide, Procrusta, Clavigero, præludia quasi majorum certaminum exhibuit: quibus interfectis punitisque, gravibus Græciam tyrannis exoneravit, ante etiam quàm hi, quibus salutem attulerat, eum nossent. Præterea huic licebat absque ullo negocio mari Athenas petere, nulla à latronibus affecta injuria: sed Romulo, dum viveret Amulius, securo esse non licebat. Cujus rei evidens est ac certissimum indicium, quod alter nihil à quoquam læsus propter aliorum commodum improbos homines aggressus est: alter quandiu nihil à tyranno mali accepisset, ab eo vim fieri omnibus aliis passus est. Iam si magnum judicatur, in pugna contra Sabinos vulneratum fuisse, Acronem occidisse, multos hostes vicisse: poterit sanè his opponi prælium adversus Centauros, &
LXI Amazonicum bellum. Verùm id quod ausus fuit Theseus propter tributum Cretensibus pendendum, cùm seipsum obtulit navi cũ pueris &

*Fortes ex metu.*

ris & virginibus in Cretam abducenduṁ, sive ut belluæ alicui objiceretur sive ad Androgei tumulum iugularetur, sive (quod leviſſimum ea de re fertur) ut hominibus contumelioſis ac inhumanis in turpem ignominioſamque ſervitutem dederetur: id quantæ fuerit audaciæ, magnanimitatis, juſtitiæque erga rempub. ac quanti gloriæ virtutiſque ſtudii, dici non poteſt. Itaque haud male (ut mea fert ſententia) à Philoſophis amor definitus eſt miniſter deorum ad curandos ſervandoſque juvenes. Nam Ariadnæ amor magis quàm ulla alia res, actio & conſilium Dei videtur fuiſſe, quo Theſeum ſervaret. neque par eſt culpari eam, quæ ejus amore capta fuit: ſed miraculo ducendum, ſi non omnes viri mulieresque eodem erga eum modo affecti fuiſſent. Sin hoc ſoli Ariadnæ accidit: haud abſurdè, opinor, dixerim, eam, quæ ita honeſtatis, ac virtutis, optimorumque amans fuerit, quæ à Deo aliquo diligeretur, dignam fuiſſe. Porrò cum natura uterque ad gerendam rempub. fuerit idoneus, LXII neuter regnum tenere perrexit, ſed alter in tyrannidem, alter in popularem formam Reipublicæ ſtatum commutavit: Diverſis autem ab animi motibus in conſimilem errorem abducti ſunt. Principis enim partes ſunt, ut præſertim ipſam reipublicæ formam conſervet: quod non minus in eo poſitum eſt, ut ea ab omnibus ei non convenientibus rebus abſtineatur, quàm ut omnia ad eum ſpectantia, ei affatim adſint. ſed princeps, qui vel remittit, vel intendit ſuam poteſtatem, non jam regis aut principis dignitatem tuetur, ſed vel populo ſervit, vel Dominus fit, eoque aut contemptum ſui, aut odium in ſubditis creat, quorum tamen peccatorum alterum ab æquitatis ſtudio, humanitateque, alterum à ſui amore, faſtuque profectum judicatur. Quod ſi ea, quæ infelicius acta ſunt, non proti- LXIII nus fortunæ imputari, ſed differentiæ ex moribus affectibuſque animi in iis conſtitui debent: neque Romulum de cæde fratris, neque Theſeum de nece filii cauſam dicentem, ab excandeſcentiæ inconſideratæ, imprudenterque præcipitis iræ crimine quiſpiam abſolvet. Initium autem unde ea commotio animi profecta eſt, magis valet in eo excuſando, qui majori à cauſa aliqua, veluti à graviore ictu, ſubverſus eſt. Quare Romulo à conſultatione & deliberatione de bono publico in contentionem prolapſo, fortaſſis nemo tam ſubitam animi impotentiam ignoverit. At Theſeus ab iis affectibus, quos pauciſſimi mortalium effugerunt, amore, ſuſpicione de tentata uxoris fide, calumniiſque mulieribus circumventus, in filium exarſit. ac quod majus eſt, Romuli iram facinus infelix conſecutum eſt, Theſei non ultra jurgium, convicia, ſeuileſque execrationes proceſſit. quæ præterea acciderunt Hippolyto, fortunæ ſunt imputanda. His igitur in rebus ſecundum Theſeum judicandum videtur. Contra in Romulo primùm magnum eſt, quod à minimis LXIV principiis ad tantas res progreſſus eſt. ipſe enim fraterque ejus ſervi, ſubulcorumque filii cùm appellarentur, antequam liberi fierent, omnes ferè Latinos in libertatem vindicaverunt; unoque & eodem tempore

*Amor miniſter deorum ad ſervandos juvenes.*

*Quomodo principi reſpondeat ſervanda.*

*Peccata Romuli & Theſei.*

*Romulus quibus in rebus Theſeo prior.*

tempore pulcerrima nomina meruerunt, ut inimicorum occisores, suorum servatores, gentium reges, urbium conditores dicerentur. Atqui Theseus non condidit urbem, sed ex multis unicam composuit, migrare in eam aliis jussis, multasq; urbes antiquorum regum heroumque cognomines, destruxit. Quod Romulus posterioribus demum temporibus fecit, cùm victos hostes cogeret suis oppidis deletis apud victores habitare: initio autem non mutavit, neque auxit aliquam jam ante conditam urbem, sed novam condidit, sibique simul & terram, & patriam, & regnum, & genus, & nuptias, & affinitates paravit. Neque interfecit quenquam: sed eis qui cum domibus ac sedibus carerent, in populum ac civitatem coire volebant, beneficium exhibuit, Latrones quidem & maleficos homines non occidit, sed populos bello subegit, urbes evertit, de regibus & ducibus triumphavit. LXV

*Romulivictus in parentes.*

Quinetiam cujus manu Remus trucidatus sit, disputatur. ac plerique in alios eam culpam referunt: matrem quidem suam exitio proximam quod servaverit Romulus avumque turpi indignaque servitute pressum in Æneæ solio collocaverit, palam est: quodque de hoc data opera optimè meritus, nulla eum ne involuntaria quidem injuria affecerit. At verò Thesei oblivionem ac neglectum præcepti de velo dati, vix puto longa aliquem excusatione, idque apud socordes judices, crimine parricidii purgaturum. Quod intelligens sanè quidam Atticus homo quàm difficulter defendi posset, finxit Ægeum navi appellente, celeriter in arcem accurrisse, ut eam conspiceret, lapsumque decidisse. quasi, verò ei comites defuerint, aut properanti ad mare non fuerint præstò famuli. LXVI

*Thesei raptus mulierum.*

Iam raptu quoque mulierum quod peccatum est, in Theseo præ- XIII textum habet nullum. Primum quod sæpius hoc admisit: rapuit enim multas, ut Ariadnam, ut Antiopam, ut Anaxonem Trœzeniam, ac post has omnes Helenam puellam adhuc viro immaturam, ipse decrepita ætate: eoque natu, ut etiam legitima conjugia ei essent omittenda. Deinde ratione causæ: neque enim ad procreandos liberos ut deligerentur Trœzeniorum, Spartanorum, Amazonumque filiæ æque non desponsatæ ipsi, digniores erant, quam Erechtidarum, & Cecropidarum, qui erant Athenis, filiæ. Sed suspicio est, libidini eum hoc loco, voluptatique indulsisse. Romulus autem, primò cum rapuisset octingentas ferè virgines, non omnes eas, sed unam Hersiliam sibi servavit, reliquas inter suos bonos cives distribuit: deinde honore, dilectione, justitiaque mulieribus iis postea temporis præstita, ostendit vim etiam injuriamque, pulcherrimum fuisse ac prudentissimum factum: ad societatem constituendam, tam firma inter se nationes duas commiscuit, compegitque communitate, tantumque benevolentiæ in posterum, potentiæque fontem aperuit. XV Verecundiæ, amoris, constantiæque, quæ in conjugiis ut ser- XVII varentur effecit, testimonio sunt subsecuta tempora: nam anni propemodum ducenti ac triginta elapsi sunt, antequam vel vir uxoris, vel fœmina mariti consuetudinem auderet relinquere. Sed quem-

*Romuli raptus.*

admodum apud Græcos ii qui nimium sunt curiosi, eum qui primus omnium patrem suum, matremve necaverit, nominare possunt: ita Romanis omnibus notum est à Sp. Carvilio primùm uxori nuncium remissum, quod eam sterilem esse causaretur. Temporis testimonio etiam acta adstipulantur nam societas imperii inter Reges & civitatis inter populos istos, propter Romuleam affinitatem inita est. Verùm Thesei nuptiis nullum Atheniensibus erga quenquam amicitiæ jus aut communionis extitit, sed contra inimicitiæ, bella, cædes civium, demumque ut Aphidnis amissis ægrè hostium, adorando eos, deosque appellando misericordiam impetrarent, ne eadem paterentur, quæ propter Alexandrum Troianis evenerunt: Sanè mater Thesei non timuit modò, sed subiit etiam sortem Hecubæ, deserta & projecta à filio: si quidem vera sunt, quæ de captivitate ejus traduntur. quæ quidem confecta esse præstiterit, sicut & pleraque alia. Quemadmodum & ea quæ de oraculo feruntur, commenta, longè Romulo inferiorem Theseum faciunt. Nam ille magna Deorum benignitate servatus est: oraculum autem Ægeo datum, ut extra patriam mulieris consuetudinem vitaret, videtur indicare, Theseum nolentibus Diis procreatum fuisse.

*Primum Romæ divortium.*

# IN ROMULUM PLUTARCHI
## Interpretis Annotationes.

Cap. 2. A Scanii Aeneæ F.) *Ασκανίῳ enim lego, ut cum γαμηθεῖσαν cohæreat. nam utrius uxor fuerit, patris an filii, controversum puto dicit fuisse. Mox,*

Servatos * Romam.) *Locus enim videtur mutilus, ideoq; scribo ἀπροσδοκήτως * ὀνομασθῆναι ῥώμην. Nam Lapi sententia non probatur mihi Amiotus ita habet:* Pueros salvos in eum locum delatos qui deinde sit appellatus Roma. *Ego plura intercidisse non dubito.*

Cap. 5 Cermanus.) *Apud Pompeium Festum, Cermalus legitur apud Varronem lib 4. Germalus in melioribus codicibus.*

Ruminantes pecudes eo loci.) *ἐνδιάζειν, non ἐνδιαζόντων scribe. Est autem ἐνδιάζειν proprie meridiari, seu interdiu dormire, aut quieti se dare. Sic & in Lucullo, μεσημβρίας οὔσης. καὶ τῶν στρατιωτῶν ἐνδιαζόντων καὶ ἀνπαυομένων. Eustath in 4. Vlyss. adversum de Proteo, ἔνδιος δ' ὁ γέρων: ἐνδία ait vocari ab Oppiano διατριβὰς ἐναερίους, nimirum moram sub dio.*

Cap 6. Mense Aprili.) *Heic dies apud Varronem lib. 5. (sextus dies dicitur) mensis nomen deest, ut fortasse conjuncte utrobique sit legendum, sexta Aprilis die.*

Hic Laurentiam cognovit.) *οὗτος ἔγνω τὴν λαρεντίαν. Verbum γινώσκειν pro rem habere, seu corpus miscere sumitur, quemadmodum & in sacris literis. Sic Plutarchus sæpe loquitur, ut in Pompeio: παλλακίδας μιθριδάτου οὐκ ἔγνω. & in Bruto. τὴν σερβιλίαν ἐγνώκει καῖσαρ. & de mulierum virtutibus: γυναῖον ἐγνωσμένον ἀφ' ὥρας ζῶντι τῷ γαλά-*

*γινώσκειν cognoscere.*

γαλάτη. *& initio Eumenis, de Barsina ab Alexandro habita, & in Galba, de matre Nymphidii. Latini eodem modo usurparunt verbum Cognoscere. Ovid. de Cadmo:*

——Ille suæ lambebat conjugis ora,
Inque sinus caros, veluti cognosceret, ibat.

*Lib 4. Metamorph.*

*Et Iulius Cæsar simili modo locutus est de Germanis lib. 6 Comment. belli Gallici:* Intra annum vigesimum fœminæ notitiam habuisse, in turpissimis habent rebus *Cæterum Larentiæ eadem historia est apud Plutarchum, quæst Rom. 35. & apud Marcob. lib. 1. Saturnal.*

Lintres & iam velaturæ.) *Velaturam facere dicuntur, qui mercede vehunt: & velabrum, quod ibi vehantur lintribus. Ex Varronis eodem libro.*

Cap. 10. Se autem alveum ad Iliam ferre.) αὐτὸς δὲ τοῦτο πρὸς τὴν ἰλίαν. *Satis ex ipso sensu liquet, neutri generis demonstrativum pronomen absolute positum,* σκάφην *alveum indicare: ut cogitare non habeam, quid Lapo, cum hæc perverteret, in mentem venerit.*

Cap 13. Herodotus Ponticus.) *In Græco est* ἡρόδωτος *quod vitium secutus uterq; interpres, Herodotum extulit: cum sit Herodorus, cuius etiam in Theseo mentio facta est,* ἡρόδωρος. *Fuit autem ex Pontica Heraclea, unde apud Athenæum lib. 11. Heracleotes citatur. Quin & apud Plutarch. in Rom. quæst. 9. ubi iisdem hæc fere verbis referuntur,* ἡρόδωρος *recte legitur. Versus Aeschyli est in Supplicibus.*

Cap. 16. Paliliaque appellabant.) *Horum sicut & rituum condendæ urbis, est venustissima descriptio apud Ovid. 4. Fastorum & Propertium lib 4. elegia prima & quarta Certe Dionysius Halicarn.* παραντάλια *appellare videtur, sub finem primi libri. Atq; ex hoc loco intelligi potest, puto, quid sint Græcæ Kalendæ: non enim nullæ ferunt, sed diversa a Romanis, & quæ incertitudinem gignerent. Neque ratio evincit. quia Kalendis suis, non Græcis, Romani uterentur, ideo etiam Calendas scribi oportere, sed alibi de Orthographia cõmodius.*

Fuit Tarutius quidam.) *Cic. 2. de Divinatione, vid. ibi, L. quidem Tarutius Firmanus, familiaris noster, &c.*

Cap. 19. Testimonium ferre contra clientem.) *Vide hac de re judicium C. Marii in prætura ambitus rei, ab ipso Plutarcho in ejus vita descriptum.*

Cap. 24. De quibus in Quæstionum explicatione.) ἐν τοῖς αἰτίοις. *Librum Plutarchi intelligo, qui adhuc extat sub titulo* κεφαλαίων καταγραφὴ *quo explicatio problematum seu quæstionum continetur. ibi in Romanis quæst. & hæc, & alia id genus multa pertractantur. Faciunt hæc plurimum ad intelligendos cum alios tum Lucani locum libro secũdo de Catonis & Marciæ posteriorib. nuptiis. hoc initio:*

Turritaque premens frontem matrona corona,
Translata vetuit contigere limina planta.

Cap. 25. Acron Cæninensium rex.) κενινητῶν *Magna est varietas in plerisque propriis vocabulis Græcis & Latinis Infra in Marcello* κεινινητῶν *legitur. Et Stephanum novi* καινίνην *scribere, per ai*

*diphthongum: itemq; Plinium. Propertius quidem lib. 4. primam produxit; hanc ipsam historiam describens.*

Acron Herculeus Cenina ductor ab arce. *Liviani libri variant. Apud Dionysium lib. 2 perperam scribitur* καινιταὶ, *pro* καινινηταὶ.

Cap 27. Dionysius autem errat.) *Halicarnasseum notat Dionysium cujus hæc sunt verba lib.* ῥωμ. ἀρχαιολ. *secundo:* τελευταῖος δὲ τῆς πομπῆς αὐτὸς, *Romulus*, ἐπορεύετο, ἐσθῆτα μὲν ἠμφιεσμένος ἀκουργῆ, δάφνῃ δὲ κατεσεμμένος τὰς κόμας, καὶ ἵνα τὸ βασίλειον ἀξίωμα σώζῃ, τεθρίππῳ παρεμβεβηκώς.

Cap. 29. Neque Cæsaris tantum de Rhymitalca.) *Augusti intellige. Vide Plut. sub finem Apoph. Porro varié is Rhymitalces Græcis & Latinis scribitur: non summo tamen historiæ momento.*

Cap. 30. Non huic de Boiis.) τὴν δ' οὔτ' ἄρβοιοίτε. *Scribendum est* ἄρβοιοίτε. *Boios Gallos fuisse nemo fere ignorat. Arbæos Gallos invenio nullos: & ridiculi sunt, qui eos ex hoc creatos loco in Lexica infarcire non dubitarunt. Sed sic Scilicet ea collocupletantur.*

*Pro* χηραμένοι, *malim* χηραμένην.

Cap. 27. A Leontino.) *Sic est in Græco. Annotator in versione Lapi apposuit,* Puto ab Aventino, *hoc videtur secutus Amiotus. judicent periti. in Palatino quidem colle fuisse istam cornum est apud Ovidium 15. Metamorph.*

Cap. 38. Scutis autem Sabinorum.) θυρεοῖς: *& ubi verti clypeis,* ἀσπίδας. *Videtur autem* θυρεὸς *major esse, quam sit* ἀσπὶς. *hoc est, scuto clypeus minor Itaque scutum usurpabant postea temporis, qui loricam non ferebant. Argolicum sanè clypeum non fuisse magnum, ex Virgilio apparet, qui oculum Cyclopis ei comparat. 3. Aeneid.*

Argolici clypei, aut Phœbeæ lampadis instar. *quod posterius est ex opinione vulgi dictum, & eorum qui solem sesquipedalem putarunt. Cæterùm Livius lib. 1. de armatura secundæ classis loquens, scutum ait eis pro clypeo datum. Dionysius lib. 4. hoc ipsum describens,* αὐτὶ τῶν ἀσπίδων αὐτέδωκε θυρεοὺς. *His ex verbis, eorum, quæ dixi, ratio constat.*

Cap. 40. Percutere oblatos.) *Versus sunt Butæ: quod miror neutrum interpretum sensisse, eoque elegantiam loci ab iis interversam.*

Cap. 42. Aut alienam prolem pro sua subdidisset.) *In Græco est,* κλειδῶν ὑποβολῆ. *Id cùm suspectum esset Lapo, his verbis expressisse satis habuit:* clam, furtimque marito, *& hæc ad adulterium retulit. Amiotus* claveis adulterinas *intellexit. Ego cùm semper mendum esse in verbo* κλειδῶν *putarem, ea maximè ducebar conjectura, vel potius argumento, non esse simile vero, in legibus de matrimonio latis, de falsis aut occultis clavibus agi, præsertim ita, ut inter veneficium & adulterium id crimen medio loco referretur. Ergo* παίδων *legendum censeo, cùm ut veneficium prohiberetur, tum ne qua alienam sobolem pro sua supponeret, atque ita decepto marito genus stirpemque vitiaret. Rectène ita censeam, viderint docti, quorum judicium facio. mihi quidem, ne causa cadam, haud valde metuo. Certè*

βρέφη

βρίφη ἐκβολιμαῖα vocari subditicios liberos, satis est notum.

Cap. 48. Ter hominem.) Admotatum est ad septem sapientum consilium aliquid a me ex Fulgentio hac de re, sed tamen in Symposiacis Plutarcha relicta Versio nostra 4. 1. oblivione nostra aut præcipitatione, quod obiter annotare volui, propter eos qui iniquè hujusmodi allucinationibus suas varias lectiones collocupletant. Mox,

Quæ Septemagium à septima portione.) διὸ σεπτεμάγιον καλοῦσιν, ὅπερ ἐστὶν ἑπτὰ μοῖραι. Dionysius rectius videtur τὰς ἑπτὰ κώμας ἐκ τῶν πέριξ dicere, septem pagos (vel septempagium) quos & Porsenæ Etruscas reposcebat, ut lib. 2. & 5. Dionysius persæpe docet. Caterum quod apud Dionysium sequitur, καὶ τῶν ἄλλων ἀποδείξεων τῶν παρὰ τοῖς ἐμβολαίοις & πατρικοῦ, (libet enim obiter hoc monere) ex hoc loco Plutarchi, vitiosum esse intellexi emaculariq; locum posse, si legatur καὶ τῶν ἀλλῶν, &c. Plutarchus ἀλοπηγιῶν expressius habet. Error librarii is fuit, ut facilè admitti potuerit. Dionysii locus castigatur.

Cap. 50. Singulisque annis unum præfectum Albanis dedit.) In Græco est σαβίνοις, quod non video quomodo locum possit habere, ἀλβάνοις lege.

Cap. 53. In via.) ἱερὰν, fortè ἱερὰν, sacra via: videtur enim via nomen deesse.

Aristea Proconnensio.) πρωικονησίου. Legend. πρόκ. Insula est Propontidis Proconnesus. Lapus, Aristeum protulit, secutus (ut opinor) mendosam Plinii lectionem, qui hujus similem rem de eo narrat, lib. 7. histor. nat. cap. 52. Vide Herodotum in Thalia, ex quo Plutarchus historiam hanc videtur decerpsisse (ibi quoq; δρῖσις πρωικονησίου dicitur) & Suidam. Meminit Gellius 9. 4. De Cleomede lege Eliacorum posteriorem apud Pausaniam. Fabula ejus de Samsone sacro videtur, ut multæ aliæ alibunde, imitata. Post:

Cap. 55. Corpus omnium rapitur.) Locus hic Pindari non extat in iis, quas hodie ejus habemus, reliquiis. Ipse trochaicis versibus trimetris hypercatalectis expressit illos versus. Non sum adeo inscius eorum quæ ad considerandos Græcos Versus attinent: scio quæ ab Hephæstione & Triclinio, aliisq; ad eam rem tractandam sint subministrata adjumenta. Sed quod versus in Græco textu non sunt distincti & variè possint cũ distinguitum scandi, ut aliud subinde atque aliud genus carminis præseferant: curioso, & (ferè dixerim) inutile labori supersedere volui cùm hic, tũ alibi, & meæ uti libertate. Lectoris est gratiã nobis hujus vellicentia, vel (si ita vult vocare) ignaviæ facere, alioquin satis magno laboris pondere gravatis. De sicca Heraclets anima alibi annotavimus, & extat ejus versus quoque in hanc sententiã, ψυχὴν ξηρὰν ἀνδρὶ σοφῷ ἀκρηγενίδῃ. Caterũ ex versione meæ facilè vides, me προῖσθαι legisse οἴκοθι. ita sententia dictitãte. Nisi malè memini.

Cap. 56. Veluti Marci ac Caii.) Marcelli est in Græco, apud Lapum & Amiotum. Sed mihi nequaquam placuit: qui intelligerem hic Prænomina intelligi, quæ omnium sunt apud vulgus, & in hujusmodi præsertim concursu, usitatissima, neque verò tam multi erant

*Marcelli, quam Marci, nedum isto tempore, sed ne alias quidem. Verum in re aperta quid verba facio? Si cui tamen Marcelli pertinaciter placebunt, (nam incuria, non consilio retentos ab interpretibus judico) non impedio, quin suum sequatur ingenium: modò meminerit, in vita Camilli ubi ea quæ de Tutola sequitur fabula reperitur. Marcos rectissimè legi cum Casis & Lucius. Historia hæc refertur etiam in Saturnal. Macrob lib. 1. cap 11.*

Cap 19. Atq; Capræ paludem tanquam ad sacrificium.) ὡς ἐπὶ θυσίαν. *Quid ho sibi velit, sane (ut fatear verum) excogitare nondum potui. ὡς ἐπὶ θυσίαν si fuisset, habuissem quæ dicerem. Judicent hoc acutiores. Amiotus hæc verba accepit, quasi Capra palus versus mare sita intelligatur: quod an sensum dignum auctore exprimat nescio.*

Cap. 60. Sicut est apud Platonem, metu ad fortitudinem.) *Locus est in Phædonis secundæ paginæ fine, ubi Socrates Simmiæ ostendit, metu malorum omnes homines, exceptis philosophis fortes esse.*

Cap. 61. A Philosophis amor definitus.) *Est & hoc apud Platonem in Sympostio.*

Cap. 63. Nemo tam subitam.) *Hunc locum Lapus pervertit plane, neque sensum & verba sequentia consideravit, & sane est alioqui obscurus.*

Cap. 67. Anni propemodum CCXXX.) *Quid de hoc numero statuam, ambigo, nisi forte dissentisse ab aliis plerisque auctoribus Plutarchus est putandus, in re tam illustri, atq; insigni: quomodo etiam de ætate qua vixerit Theseus ut supra retuli. Ne ausim mendum dicere, facit quod eisdem fere literis in comparatione Numæ cum Lycurgo reperitur: & tamen mendum suspicor. Nam Dionysius Halicarn. gravis & diligentissimus auctor, lib. 2. ait hoc factum Olympiade* CXXXVII. *M. Pomponio, C Papirio, Coss. id est. v. c. anno* DXXIII. *ut nos & alii fere numerant. quem annum Gellius numerans, alios nominat Coss. lib. 4. cap. 3. & lib. 19. cap ult. alium annum si non fallit codex. Maxima auctoritatis scriptor Tertullianus περὶ μονογαμίας, & in Apologetico affirmat, sexcentis propè post Romam conditam annis Sp. Carvilium cum uxore divortium fecisse. Certè trecentis prope annis ab aliis Plutarchi numerus distat. Hoc monere volui ante τυθεῖς, ἀ ἀρχὰς postea, deest ἀ vel μι.*

## PLVTARCHI LYCVRGVS, GVILIELMO Xylandro, Augustano, interprete.

NIHIL omnino, quod non in dubium vocetur, de Lycurgi legislatoris vita dici potest. Nam cùm de genere, peregrinatione, obituque ejus: præterea de legum ejus ac reipublicæ institutione diversæ narrationes extant: tum verò quo tempore vixerit, minimè omnium in confesso est. Quidam enim Iphiti temporibus claruisse eumque in Olympiacis feriis instituendis adjuvisse tradunt: estque hujus sententiæ etiam Aristoteles philosophus, indicii

dicii loco discum Olympicum adducens, in quo nomen Lycurgi incisum adhuc exstet. Alii, ut Eratosthenes & Apollodorus, successione regum Spartanorum tempus supputantes, haud paucis annis prima Olympiade superiorem fuisse Lycurgum pronunciant. Timæus duos diversis temporibus Lycurgos Spartæ fuisse suspicatur, alterique eorum propter gloriam suam, alterius quoque acta imputata: priorem ajunt non diu post Homerum vixisse, alii sanè visum ab eo Homerum dicunt. Ac Xenophon etiam antiquitatis significationem aliquam dat, cùm Lycurgum Heraclidarum (id est posterorum Herculis) ætate fuisse tradit. Nam quamvis etiam novissimi Spartanorum reges genus ab Hercule repeterent: tamen
II videtur, primos illos Heraclidas ille innuisse, qui non multum ab Herculis ævo abfuerunt. Enimvero etsi ad hunc modum incerta sit historia, non tamen ea in quibus minimum est controversiarum, aut quæ clarissimis tradita sunt auctoribus, recensere conabimur. Simonides poeta, Lycurgi patrem non (ut alii) Eunomum, sed Prytanidem perhibet. Alii genus Eunomi ac Lycurgi alio modo referunt. Aristodemo nimirum Patrocliem natum, huic filium fuisse Soum, hujus Eurytionem, hoc natum Prytanim, cujus filius Polydectes fuerit ex priore uxore: ex posteriore, cui Dianassæ nomen, Lycurgus. Eutychidas Lycurgum à Patrocle sextum, ab Hercule undecimum numerat. Inter majores ejus præcipuè admirationi fuit Sous, sub quo Lacedæmonii & eos, quos manu cepissent, Heilotas inde dictos, in servitutem egerunt, & Arcadi-
III bus multum agri ademerunt. Fertur Soum à Clitoriis loco difficili, & aqua carente obsessum, pactum esse, redditurum se iis terram, quam bello ceperat, si ipse suique omnes è proximo fonte bibissent: tum pactione jurejurando confirmata, conductis in unum locum suis, ei qui potu abstinuisset, regnum promisisse: cæterùm nemine se continente omnibusque bibentibus, ipsum postremum ad fontem descendisse, & aqua se conspersisse, hostibusque adhuc præsentibus digressum, terram, eo quod non omnes bibissent, retinuisse. Quarum rerum causa etsi magni fecère Soum, non tamen ab ipso, sed filio ejus familiæ nomen inditum est, ut Eurytionidæ vocarentur. Is enim Eurytion primus populi gratiam captans, regiam potestatem mitigasse, ac remissiorem effecisse creditus est. Qua ex remissione & populus ferocire cœpit, & posteriores reges cùm vel vim exercentes in odium subditorum incurrerent, vel iis gratificantes, aut metu adducti se submitterent; diu Spartæ contra leges Lycurgi & ordinem pleraque acta sunt. In ea confusione etiam Lycurgi pater cùm contentionem quandam dirimeret cultro lanii ictus, relicto majori suo filio Polydectæ regno, mortuus est.
IV Is quoque non multo post tempore diem suum obiit ejusque morte ad Lycurgum omnium sententia regnum redierat: idq; gessit Lycurgus tantisper dum fratris sui uxorem relictam in utero habere cognitum est. quod ubi primum comperit Lycurgus, ad fœtum

*Lycurgi majores.*

*Lycurgus fratris filij postumi tutor.*

conceptum pertinere regnum, si quidem masculus existeret, affirmans, ipse tutoris loco (quales orborum parentę regum procuratores Prodici Spartanis appellantur,) regnum administravit. Submisit autem ea mulier clam, qui suis verbis Lycurgo indicarent, paratam se ad abolendum fœtum, ut ipsi Spartæ regnum tenenti nuberet. Ibi Lycurgus, etsi ingenium mulieris odio habebat, simulavit tamen accipere se & probare consilium, neque contradixit quicquam, nisi hoc; non esse ei abortu aut veneficio corpus lædendum, inque periculum vitæ adducendum: sibi curæ fore, ut infans, quem peperisset, statim è medio tolleretur. Hac ratione fœminam usque ad partus diem ducens, cùm is appetisset, misit qui enitenti adessent observarentque eam: & si puellam peperisset, mulieribus traderent: sin puerum, ad se statim, quidquid ipse ageret, adferrent. Cœnante ipso cum principibus, puer natus, & à ministris allatus ad eum est: quem, ut fertur, cùm accepisset, iis qui aderant, dixit: *Rex vobis ô Spartani, natus est*: inde puerum in loco regio deposuit, Charilaoque nomen fecit: quod omnes magnopere gauderent, animique magnitudinem & justitiam ipsius admirarentur. Cæterùm V Lycurgus regno præfuit spatio mensium octo: eratque in oculis civium, ita ut plures propter virtutem ei intenti essent, paratique omne quod jussisset exequi: quàm qui ei propter tutelam, quam gerebat, & regiam potestatem obtemperandum putarent. Neque verò deerant invidi, ac qui juvenis incrementis obsistendum putarent, præcipuè cognati & familiares matri regis, quæ contumelia affecta sibi videbatur. frater quidem hujus Leonidas cùm aliquando vehementius Lycurgo esset conviciatus, quo suspicionem injiceret hominibus, calumniaque eum factarum regi insidiarum jam ante circumveniret, si quid ei humanitus accidisset, in hæc verba prorupit: *Te quidem regno potiturum, certo novi.* id genus sermones etiam à muliere illa proficiscebantur. Hæc graviter ferens Lycur- VI gus, incertaque casuum metuens, peregrinatione suspicionem effugere statuit, ac tandiu vagari, dum fratris filius ad ætatem adultam perveniret, regnique hæredem progeneraret. Eo consilio profectus, primum in Cretam pervenit: ibi reipublicæ varias constitutiones inspexit, congressusque cum iis, qui gloria maximè alios anteirent viris, quasdam leges probavit, accepitque domum allaturus, usurusque iis, quasdam sprevit. Thaletæ, qui inter ejus insulæ homines sapientes ac ordinandæ reipublicæ idoneos habebatur, gratia & amicitia persuasit, ut Spartam iret. poeta is Lyricus existimabatur; hocque prætextu utens, omnia ea, quæ præstantissimi legum conditores possent, efficiebat. Carmina enim ejus erant ad obedientiam & concordiam adhortationes, modis ac numeris constantes, in quibus multum elegantiæ, quodque ad animos sedandos faceret, inerat: quæ qui audiebant, simul & placabantur eorum sensim ingenia, & à malevolentia, qua nunc mutuò laborabant, ad studium honestatis adducebantur. ita, ut quodammodo ad institutionem Spartano-

*Lycurgi peregrinatio.*

VII tanorum viam Lycurgo Thaletas straverit. Ex Creta in Asiam abiit Lycurgus, ut (quod fertur) cum Cretensium frugalitate & severitate Ionicum luxum ac delicias contendens (medicos imitatus qui corporibus sanis morbosa comparant) vitæ ac reipublicæ differentias in eo contemplaretur. Ibi cùm in Homeri carmina incidisset, primò (ut videtur) a posteris Creophyli asservata: conspiciens in illis ea, quæ ad reipublicæ & morum disciplinam conducerent, non minori studio, quàm quæ ad voluptatem, ac luxuriam pertinerent, admixta: cupidè ea exscripsit, colligitque, ut in Græciam adportaret. nam obscurum quoddam Homericæ poesis nomen tum ad Græcos pervenerat, habebantque ejus partes pauci quidam aliquas, temerè dispersas: primus Lycurgus præsertim notam reddidit. Ægyptii ad se quoque Lycurgum venisse adserunt, secretionemque militarium hominum a reliquis ordinibus magnopere admiratum Spartam transtulisse, & disjunctis à militari genere sedentarias artes exercentibus, & opificibus, verè civilem & puram civitatem reddidisse. Testimonium Ægyptiis de hac re etiam nonnulli Græci ac historici ferunt. Africam & Hispaniam à Lycurgo aditas, vagatumque eum per Indiam, cum Gymnosophistis collocutum fuisse, præter Aristocratem Hipparchi filium Spartanum qui tradiderit, nemi-

VIII nem inveni. Porrò absentem eum Lacedæmonii desideraverunt, ac sæpenumero vocaverunt existimabant enim regibus præter nomen & honorem nihil adesse, quo vulgus præstarent, in Lycurgo esse naturam principatui gerendo, & ad conciliandos sibi homines aptam. Ne regibus quidem adventus ejus, non erat acceptus: sperantibus, se, si Lycurgus ipsis adesset, minus contumeliis plebis impetitum iri. Rediit igitur ad suos eo modo affectos Lycurgus, ac statim aggressus est præsentem reipublicæ statum convellere, & mutare: ratus, leges de singulis rebus latas nihil effecturas, neque profuturas: nisi tanquã vitiosi, ac omnis generis morborum pleni corporis totum temperamentum medicando & purgando evacuasset primùm, deinde novam diætam instituisset. Hæc secum cogitans, initio Delphos profectus est, consuluitque oraculum, & sacra peregit: celebre id responsum reportans, quo eum Pythia Diis charum, magisque Deum quàm hominem appellavit: quærentique de bona legumlatione, dixit dari ac sponderi à Deo eum Reip. statum, qui o-

*Lycurgi domum reditus.*

IX mnium esset longè præstantissimus. His fretus, optimates sibi conciliavit, clandestinoque colloquio primùm amicos, deinde plures paulatim aggressus, ad rem suscipiendam, auxiliumque ferendum sibi conciliavit. Cùm dies negotio destinata venisset, summo manè triginta è primoribus jussit armatos in forum prodire, qui adversariis terrorem incuterent, horum maximè illustres viginti Hermippus recenset: qui verò præ reliquis omnibus Lycurgo in omnibus negotiis socius & in ferendis legibus adjutor fuerit, Arithmiadam nominans. Orto tumultu, Charilaus rex metuens contra se id omne incœptum, ad Chalciœcum confugit: inde verbis fidem ha-

*Vt mutationem Reipublicæ incœperit.*

bens, accepto iurejurando concessit, & socium se iis, quæ agebantur, præbuit. Erat enim natura placidus, ferturque Archelaus collega ad eos, qui juvenem istum laudarent, dixisse: *Quinam sit bonus homo Charilaus? quin ne malis quidem novit gravis esse.* Inter mul- X ta, quæ nova Lycurgus fecit, prima & potissima est senatus constitutio. Hunc Plato regum imperio ferventi, turgescentique commixtum, jusque æquale in sententia dicenda adeptum, mirificè ad salutem urbis & modestiam conduxisse ait. Nam Respublica fluctuans, ac nunc apud reges ad tyrannidem, modò apud multitudinem ad populare imperium vergēs, senatu quasi munitione quadam interjecto, æquo momento utrinq; divisa rutissimam adepta est ordinationem: cùm seniores isti semper in eo regibus auxilio sint, ne ad populum summa rerum deferatur: rursusq; populum corroborent, ne ad tyrannidem res deveniat. Numeri autem (nam viginti octo senatores facti fuerant) eam rationem Aristoteles adfert, quod cùm Lycurgus triginta instituisset, duo ex his præmetu ordinem deseruerint. At Sphærus initio tantum XXVIII. fuisse ait qui sententiam dicerent: ea fortassis ratione, quod is numerus ex ductu quaternarii in septenarium producitur: aut quod post senarium primus est eorum, qui suis omnibus partibus simul sumptis æquales perfecti dicuntur. Mihi videtur eo potius Lycurgus hunc senatorū numerum statuisse, ut si duo reges his addātur, in universum triginta sint. Tanto autem studio in ordine hoc sanciendo usus est, ut sortem XI quoque de eo Delphis attulerit, quam Rhetram à dicendo nominant: cujus hic est tenor: *Iovis Syllanij & Minervæ Syllaniæ templum ædificet: populum in phylas & obas dividat, triginta senatores cum archagetis constituat: subinde inter Babycem & Cnacionem concionem populi convocet, ita de rebus referat, aut antiquet: Gamodan gorian certe & potentiam.* In his oraculi verbis *obæ & phylæ* (hoc est tribus) certas partes significant, in quas erat populus dividendus: reges autem *archagetæ* dicuntur: quasi duces: & concionem habere Græce hic *appellazein* exprimitur, propterea quod ad Apollinem Pythium Reipublicæ initium & causam referebat. *Babycam* & *Cnacionem*, Oenuntem hodie nominant. Aristoteles Cnacionem fluvii, Babycam pontis nomen esse auctor est Horum in medio conciones agebant, cùm neque porticus, neque alius ullus apparatus esset, quippe hæc nihil ad consilium capiendum conducere existimabat: sed obesse verius, quæ eos, qui convenirent, statuis, picturis, prosceniisque theatrorum aut conclavibus curiæ, nimio opere adornatis intentos spectandis, futiles efficerent, nugisque & vanis cogitationibus destinerent. Conducta in unum locum multi- XII tudine referendi quapiam de re facultas nemini de populo concedebatur: tantum ejus erat ea, quæ seniores regesque proposuissent, jubere. Posterioribus autem temporibus, cùm plebs addendo detrahendoque suffragia perverteret atque alio detorqueret: Polydorus & Theopompus reges, hæc Rhetræ adjecerunt: *Sin pravum populus*

*Senatus Lycurgi.*

*lus quid statuerit, seniorum, regumque esto discessionem facere*, hoc est, ut ne ratum id faciant, sed protinus concionem dimittant: nimirum populo sententiam depravante, atque id, quod esset optimum, immutante. Atque ita à Deo præceptum esse, illi populo persuaserunt: quemadmodum Tyrtæus meminit hujus rei, ita scribens:

*Pythius ista canit Iobis oracula Phœbus:*
*Accipite, haud ullo vana futura die:*
*Consilij auctores agnoscat concio reges,*
*Qui clara Spartæ sceptra sacrata tenent.*
*Sanctos inde senes: tum qui de plebe, sequantur,*
*Auctores illis quæ statuere viri.*

XIII Enimverò cum ad hunc modum civitatem Lycurgus temperasset, tamen posteri ut animadverterunt paucorum in republica potentiam adhuc turgidiorem ferocire (ita enim Plato tradit) Ephororum imperium fræni loco ei adjecerunt, primique sunt ephori constituti annis circiter post Lycurgum CXXX. in quibus Elatus fuit, quo tempore Theopompus regnavit. Hunc ferunt uxori exprobranti, quod filiis suis regnum minus quàm à majoribus accepisset, relicturus esset, Imò autem tanto majus, respondisse, quanto diuturnius. Ac profectò cum nimia potentia, invidia quoque à regibus remota, effectum est, ne timendum iis esset id, quod Messeniorum & Argivorum regibus à suis subditis evenit, cùm nihil concedere de sua potentia, neque eam ad popularem rationem inclinare vellent. Equidem in Messeniorum, Argivorumque, qui & cognati & vicini populi regesque erant, seditiones, remq; publicam male administratam intuentibus, (qui populi æquata principia cum Spartanis, sortem etiam ampliorem cùm habuissent, haud diuturna tamen sunt usi fœlicitate, sed regum injuriis, contumaciaque multitudinis status reipublicæ concussus est,) sapientia præsertim providentiaq; Lycurgi fit conspicua, ostenditq; illorum casus, eum virum, qui rempublicam ita concinnavit ac temperavit, Lacedæmoniis verè Deorum munere oblatum fuisse. Sed hæc postea. Alterum in republica institutum Lycurgi, idq; audacissimum quidem, est agrorum divisio. Cùm enim esset permagna inæqualitas, multiq; in urbem inopes egenique confluxissent, divitiæ autem omnes ad perpaucos homines rediissent: superbiam, invidiam, maleficia, ac luxuriam, hisq; ipsis antiquiores ac majores reipublicæ morbos; divitias & paupertatem urbe ut expelleret: persuasit suis, ut omnes agros in commune propositos denuò dividerent, viverentq; inter se universi æquales, & quod ad victum attineret, ejusdem sortis: primas autem partes virtute sibi quærerent neque enim esse aliud discrimen inæqualitatemve inter homines, nisi quam turpitudinis vituperatio, & honestatis laus definiret. Tum rem ipsam aggressus, agrum Lacedæmonium iis qui circum urbem habitabant, per tricies mille sortes divisit: agrũ verò, qui ad ipsam urbẽ Spartã pertinebat, per sortium millia novem, tot enim fuêre sortes Spartanorum. quanquam alii sex

*Ephori quando, & cur constituti.*

*Agrorum divisio à Lycurgo facta.*

sex millia à Lycurgo divisa, reliqua tria à Polydoro addita perhibeant: alii dimidium huic, reliquum Lycurgo adscribant. Tantum verò agri unicuique sorte obtigit, ut vir in reditibus haberet septuaginta medimnos hordei, mulier duodecim, eique rationi & liquidorum fructuum proventus responderet: tantum autem suffecturum sibi ad victum existimabant, qui sanitati & robori corporis sustentando esset, cùm præter hæc nihil essent desideraturi. Traditum est, cum postea temporis peregrè redeuntem, cùm per agros recens demessos iter faceret, acervos paribus intervallis dispositos, & æquales conspicatum subrisisse, ac iis, qui unà aderant, dixisse; Totum agrum Lacedæmonium videri fratrum esse multorum, qui XV
cum nuper inter se divisserint. Deinde instituens etiam supellectilis, seu (ut vocant) rerum mobilium divisionem, quo omnem prorsus inæqualitatem tolleret: cùm eas sibi adimi palam cives suos gra-
*Nummi mutatio.* vatim passuros intelligeret, alia via negocium confecit. Primùm omnem aureum argenteumque nummum abrogavit, soloque uti ferreo jussit: atque huic ipsi pondus & molem magnam, valorem parvum tribuit: ita ut numini, quibus decem minarum precium æquaretur, magna domi penu, & ad ferendum bigis opus haberent. Nummo ad eum modum redacto, multa Lacedæmone flagitiorum genera exciderunt. Quis enim vel furto, vel munerum captione, vel fraude, vel rapina eam rem sibi parare cuperet, quam neque occultare posset, neque possessio ejus magnopere expetenda esset, præterea verò ad nullos alios usus concidi quiret? Fertur enim ferrum candens aceto restinxisse, itaque ejus rigore perdito, ut invalidum jam
*Artes inutiles sublatæ.* ac intractabile esset, usum ejus ad alias res sustulisse. Secundùm LVI
hoc, artes inutiles & supervacaneas urbe expulit: quanquam erat futurum, ut pleræque una cum nomismate, quod commune esset, cum aliis civitatibus, exciderent, quippe cum divendi opera nequitent. nam ferreus nummus apud alios Græcos risui, neque ullo in precio erat. Itaque non licebat, peregrinum, aut quod magno constaret nullius utilitatis opus emere: neque onera mercium navigiis advehebantur in portus Spartæ, neque eo rhetor, neque circumforaneus ariolus, neque leno, neque aureorum, argenteorumve ornamentorum opifex quisquam commeabat, non extante nomismate. Quo efficiebatur, ut luxus sua sponte elanguesceret, sensim destitutus illis, quæ eum suscitarent, atque alerent: neque ulla re locupletes aliis præstabant, cùm divitiis intra domos conclusis, atque ociosè detentis, in publicum aditus non esset. Itaque ea instrumenta domus, quæ crebro in usu, atque necessaria sunt; ut lectuli, ut sellæ, ut mensæ, optimè eos parabantur: ac Lacedæmonius cothon
*Cothon.* (poculi id est genus) militiæ summam laudem obtinebat; ut auctor est Critias. nam cum aqua bibenda esset, à qua visus abhorreret, color poculi eam speciem occultabat, eoque quod turbidum erat intus ad anfractus ejus sive sinus allisо, atque adhærescente, potus ipse tanto purior ori accedebat. Harum rerum causa penes legumlatorem

latorem fuit: nam opifices ab inutilibus rebus prohibiti, artis præ-
XVII stantiam in necessariis operibus ostendebant. Porrò Lycurgus ul- *Contubernia.*
terius aggredi luxum, studiumque divitiarum penitus exscindere
animo cogitans, tertium atque pulcherrimum institutum introdu-
xit: nempe ut uno in loco cives simul cibum caperent, constitutis ad
ea convivia (*Syßitia* ipsis vocabantur) certis ac communibus obso-
niis. Ita domi cœnare, aut veste stragula, mensisque preciosis ap-
positis, opificum & coquorum ministerio in tenebris more vora-
cium belluarum corpus cibo distendere, non licebat: quæ res simul
cum moribus corpora etiam corrumpit, atque ad omnem voluptа-
tem repletionemque laxat, utque longum somnum, calida lavacra,
multam quietem, ac quotidianum quodammodo languorem requi-
rant, efficit. Magnum sane hoc fuit: majus, quod convictu, ejusque
frugalitate divitias, non modò ne furto aut rapina petendæ, sed o-
mnino ut ne expetendæ quidem (ut ait Theophrastus) eæ viderен-
tur, neque jam divitiæ putarentur, redegit. Vsus enim earum, frui- *Divitiæ in contemtum adductæ.*
tioque erat nulla: imò ne conspectus quidem, aut magni alicujus
apparatus ostentatio, euntibus ad eundem cœnam paupere ac divi-
te. Itaque illud tritum, ex omnibus orbis terrarum urbibus Spartæ
solùm verum fuit, Divitias esse cæcas, jacere tanquam picturam a-
nima motuque vacuam. Neque verò domi prius cibo impletum
licebat ad convivium venire: sed reliqui accuratè animadverso, si
quis secum non biberet, ederetve, objurgabant ut intemperantem,
quique præ mollicie communem victus rationem non ferret. Pro-
XVIII pterea hujus instituti causa potissimum infensi Lycurgo opulenti
(ut aiunt) frequentesq; coitione facta, clamore & indignatione eum
exagitarunt: tandem multorum ictibus impetitus, è foro se prori-
puit, cursuque ad templum contendit: ibi cùm reliquos antevertis-
set, juvenis quidam, Alcander nomine, non mali alioquin ingenii,
sed præcipitis tamen atque iracundi, insequens eum, urgensque re-
spicientis oculum baculo excussit. Lycurgus nihil eo casu fractus, *Lycurgus oculum amittit.*
contrasterit, civibusque faciem cruentatam, & oculum erutum o-
stendit. Movit is conspectus verecundiam ac mœsticiam, ita ut Al-
candrum ei dederent, ipsumque communi cum indignatione do-
mum deducerent. Quos Lycurgus collaudatos dimisit: Alcandrum
intro abductum, neque re neque verbo læsit, sed remotis suis dome-
sticis famulis, eum sibi administrum esse jussit. Alcander ut erat in-
genio minimè pravo, silentio mandata exsequens, & cum Lycurgo
manens, vitamque degens, viri mansuetudinem, animique bonita-
tem, rationem vitæ severam, summamque laborum tolerantiam ita
perspexit: ut & maxima ejus observantia devinciretur, & familiari-
bus amicisque suis diceret, non esse durum, neque præfractum ho-
minem Lycurgum, sed solum adeo placidum, mansuetumque erga
alios: easque dedit Alcander pœnas, ut ex pravo & contumace ju-
vene, civilissimus vir, mansuetissimusque extiterit. Lycurgus ad
memoriam ejus rei sanciendam, Minervæ templum posuit nomine

Optile-

Optiletidis: Nam oculos Dores illius regionis *optilos* vocant. Auctores habeo, interque eos Dioscoridem, qui de Repub. Spartana scripsit, qui ictum quidem oculum, nō tamen eo captum Lycurgum asseruant: quinimo gratiarum actionis nomine pro medela Divæ fanum id ab eo exstructum. Enimverò ab eo tatu Spartani baculos in concionem adferre cessaverunt. Cæterùm Syssitia à Cretensibus *Andria* quasi virilia dicas, Lacedæmonius ipsis appellātur *Phiditia*: sive quod amicitiæ sint sive benevolentiæ, hoc est *philitia* (nam Græcis amicus *philos* dicitur, litera D in L mutata: sive quia parsimoniæ (quæ ipsis est *pheido*) causa & frugalitatis discendæ usurpentur: neque obstat quicquam, quo minus *caitia* (à cibo videlicet) nominata putemus, prima litera aliunde adjecta, quæ est quorundam sententia. Conveniebant autem quindeni, aut eo paulo amplius, minusve: quorum unus singulis mensibus afferebat in commune farinæ medimnum, vini choas octo, caseī minas quinque, ficuum minas duas & dimidiam: & præterea perparum pecuniæ, ad coemendum obsonium. At hæc si quis primitias Divis offerret, aut venationem secundam fecisset, partē ejus ad Syssitium mittebat: nam cui quid tale incidisset, ei domi cibum sumere licebat, reliquos interesse syssitio oportebat. Diu sanè hæc conviviorum lex observata accuratè fuit. nam Agidi debellatis Athenienſibus à militia domum redeunti parteſq; suas sibi mitti petenti, ut cum uxore cœnaret: Polemarchi (qui est eorum magistratus) eas non miserunt. cùmque is ira permotus, postridie sacrificium, quod facere debebat, intermitteret est ab iis multatus. Ad ea, quæ demonstravimus, convivia pueri etiam tanquam ad ludum, in quo discerētur temperantia, adducebantur: audiebant sermones de republica, præceptores liberales videbant, ipsisque adsuescebant ludere, & iocari citra scurrilitatem, iocisque petiti non ægrè ferre. Videbatur enim admodum consentaneum esse Spartanis moribus, posse falsè dicta aliorum tolerare. si quis nō ferret cavillum, licebat deprecari: ita enim alter à iocando desistebat. Intrantium unicuique maximus natu ostendens januam: *Per hanc*, inquit, *sermo nullus exit*. Eum, qui convictus particeps esse velit, ad hunc modum probari tradunt. Convivarum unusquisque massam furfuris quo pinguedinem à manibus cœna peracta detergent (*apomagdaliam* ipsi vocant) accipit: eamque calculi instar in vas, quod minister capiti impositum circumfert, tacitus immittit id quidem simpliciter, si eum de quo quæstio est, recipiendum putet, sin reprobet, manu admodum compressam: hæc autem vicem calculi perforati habet: ac si una hujusmodi fuerit reperta, ille non recipitur in convictum. volunt enim omnes invicem omnium voluntate convivas esse. Qui ad hunc modum rejicitur, à convictu, cado damnatus dicitur, sic enim vocant vas illud, in quod apomagdaliæ conjiciuntur. In eduliorum genere primas apud eos obtinuit jus nigrum: ita ut carnem omnino seniores non desiderarint, sed juvenibus eam concesserint, ipsi jus nigrum comederint. Memoriæ proditum est,

*Andria.*
*Phiditia.*

XIX

XX

XXI

emptum

emptum à quodam Ponti rege juris atri causa: coquum Lacedæmonium: cæterùm regem, gustato jure isto, aspernatum: ibi ei coquum dixisse, *Hoc jure, ô rex, vescendũ est, ubi te Eurota prius ablueris.* Porro postquam modice biberunt Spartani, absque facibus domum abeunt: neque enim vel in hac, vel in alia via lumine eis uti licet, quo consuescant noctu & in tenebris intrepide iter facere. Ac de syssitiis
XXII quidem hactenus. Leges autem scriptas Lycurgus non posuit: atque hoc ipsum in Rhetris ejus cautum est. Ita enim judicabat, ea quæ ad felicitatem civitatis, & virtutem omnium maximum adferrent momentum, ita demum permanere immobilia si moribus & educationi civium implantarentur: nam firmam voluntatem ex his elementis oriri, quæ necessitatis est validissimum vinculum: eam porro disciplina (quæ legum conditoris vicem gerit) apud juniores effici. Atqui exiguos illos & pecuniarios contractus, quippe propter usum vitæ subinde immutantur, præstare censebat scriptis legibus non comprehendi, neque immobilibus consuetudinibus illigari: sed permittendum ut pro ratione temporis augerentur, diminuerenturve, secundum probè institutorum hominum arbitrium. totum enim legumlationis negocium ad disciplinam referebat Itaque, sicuti demonstravimus ex Rhetris hæc una erat, legibus scriptis non uten-
XXIII dum. Alia fuit de sumptibus, qua præcipiebatur, ut omnis domus fastigium securi tantum, fores sola serra, nullo alio instrumento adornarentur. Quod enim postea tẽporis Epaminondam de sua mensa dixisse ferunt, *Hujusmodi prandium proditionis non esse capax:* id Lycurgus jam ante intellexit, hujusmodi domum luxui, & sumtuoso apparatui locum non dare. neque enim quenquam ita esse ineptum & stolidum, ut in domum rudem ac plebeiam, lectos argenteis pedibus fultos, stragula purpurea, aureos calices, luxumq; horum comitem importandum ducat: sed necesse esse, ut domui culcitra, ei vestis, huicq; reliqua supellex & apparatus æqualis comparetur. Ex hac consuetudine dictum est id, quod de Leotychida majore traditur: Corinthi eum cœnantẽ, cùm videret tabulata domus sumtuosa, & laqueata, quæsivisse ex hospite, ecquid apud ipsos ligna
XXIV quadrata nascerentur. Tertia Rhetra Lycurgus (ut perhibent) vetuit sępius bellũ iisdẽ hostibus inferre: ne scilicet ii subinde se defendere discentes, bellicosi fierẽt. Idq; posterioribus tẽporibus regi Agesilao cumprimis est vitio datũ, quod crebris & continentibus in Bœotiam impressionib. atq; expeditionib. Thebanos bello Lacedæmoniis æquales effecisset. Idcirco Antalcidas cùm eũ vulneratũ videret: Egregiã, inquit, doctrinæ mercedẽ à Thebanis recipis, quos nolẽtes ignarosq; pugnare docuisti. Has aũt leges Rhetras nominavit Lycurgus:
XXV tanquã à Deo statutę, & oracula essẽt. Disciplinam (ꝙ præcipuum ac pulcerrimũ legislatoris opus esse cẽsebat) ut bonã institueret, longè repetito ejus rei principio, ea primo loco cõsideravit, quæ ad conjugia, & liberûm procreationẽ attinẽt. Neq; enim audiendus Aristoteles, qui eum memorat conatum etiam mulieres modestiam docere,

*Leges non scripta.*

*Rhetra de luxu.*

*Rhetra de bello.*

desti-

deſtitiſſe ab incepto, victum licentia nimia earum, inque viros imperio, ex crebris virorum expeditionibus orto: ob quas coacti omnia in earum poteſtate relinquere, magis quàm conveniret, eis obſecuti ſint, dominaſque appellaverint. ſed quantum fieri potuit etiam his diligentiæ adhibuit. Corpora virginum curſu, luctâ, diſciq; & miſſilium jaculationibus exercuit, ut & naſcentium exinde in robuſto corpore quaſi radix firma jacta, germinaret eò melius: & ipſæ robore corporis fretæ in patiendo dolores facilius ſuſtinerent. Itaque omni delicata & umbratili educatione, mollicieque muliebri ſublata: puellas, non minus quàm pueros, nudas in publico verſari, ac certis quibuſdam ſacrificiis ſaltare & canere adſuefecit, adoleſcentibus præſentibus & ſpectantibus. Nonnunquam eos, qui aliquid deliquiſſent, dicteriis eæ inceſſentes commodè adhibitis corrigebant, itemque dignorum præconia cantabant. Qua re in adoleſcentibus magnam contentionem virtutis, æmulationemque excitabant: qui enim virtutis cauſa laudatus, gloriam apud virgines inveniſſet, animo elatus diſcedebat: & reprehenſiones per ludum & iocum factæ, ſeriis admonitionibus non minus valebant. nimirum cùm ad ſpectacula, præter reliquos cives, etiam reges, ſenioreſque convenirent. Iam virginum denudatio nihil in ſe turpe habebat, XXVI ubi petulantia remota, aderat verecundia: præſtabatque iis exercitationem innocuam, & contentionem de firma corporis affectione: delibandamque præbebat mulieribus ingenuam quandam animi elationem, ut à virtutis & gloriæ ſtudio ſe non omnino excluſas intelligerent. Quare dicere illis ſubibat, & cogitare id, quod ferunt Gorgonem Leonidæ uxorem reſpondiſſe hoſpitæ cuidam dicenti, *Solæ vos Spartanæ viris veſtris imperatis: Quia*, inquit, *ſolæ etiam viros parimus.* Prætereà illa virginum ſpectacula, nudationes, certaminaque in conſpectu juvenum edita, eos ad matrimonia ſtimulabant, adigebantque (ut ait Plato) non Geometrica, ſed amatoria neceſſitate. Pœnam quoque iis, qui uxores ducere noluiſſent, Lycurgus conſtituit, ut à ſpectandis iis, quæ nudæ virgines agebant, certaminibus arcerentur: ac hyeme jubebantur à magiſtratibus nudi in orbem circumire forum, atque inter circumeundum cantare carmen quoddam in ſe compoſitum: quo indicabant meritò ſe hæc pati, quod legibus obtemperare nollent. Privabantur etiam eo honore, quem juniores ſenibus exhibent. Unde & illud in Dercyllidam, quantumvis præclarum ducem, dictum à nemine eſt reprehenſum: cui accedenti juvenis quidam loco non ceſſit, *Quia*, inquit, *tu quoque nullum genuiſti, qui mihi aſſurgere aliquando poſſit.* Rapiebant autem eas, quas ducerent, non parvas, neque viro immaturas, ſed adultas & viro tempeſtivas. Raptæ ſibique traditæ caput pronuba radit, veſteque virili & calceis adornatam rechnat in torum è foliis congeſtum, ſolam abſque lumine. Sponſus non ebrius, neque ad laſciviam compoſitus, ſed ſobrius, & pro more coenatus in phiditius, ingreſſus ad eam, zonam ſolvit, ipſamque ſublatam

*Virginum exercitationes.*

*De matrimoniis inſtituta.*

tam in lectum transfert: paululumq; cum ea moratus, modestè abit, ut sicut consueverat, cum reliquis juvenibus dormiat. Idemque postea agit, ut cum æqualibus interdiu degens, noctuque cubans, ad sponsam cautè commeet, verecundè metuens, ne quis eorum, qui in domo ea sunt, ipsum animadvertat: nec non etiam sponsa id machinatur, ut commodè & furtim congredi possint, idque agunt non parvo tempore: sed eousque, ut nonnullis liberi sint nati, priusquàm interdiu suas uxores viderent. Hæc autem ratio coeundi, non modò continentiæ fuit, & modestiæ exercitatio: sed corpora etiam ad generandum apta reddidit, utque recenti semper novoque amore convenirent: qui non satietate obrueretur, neque nimia consuetudine evanesceret: cùm nunquam non aliquem desiderii fomitem alter in alterius animo relinqueret. Hujusmodi verecundiam, ordi-
XXV nemque nuptiis cùm præstituisset Lycurgus: nihilo secius vanam
[illegible] illam ac muliebrem de pudicitia uxorum suspicionem profligavit: egregieque instituit, ut omni libidine à conjugio remota, tamen inter dignos societas liberorum, procreationisque eorum esset: ridens eos, qui hæc tanquam nullius consortii ac communionis participia, cædibus & bellis ulciscuntur. Permisit ergo seni, qui uxorem ætate integra habebat, si quem honestorum ac virtute præditorum juvenum probaret, eam ad suam conjugem introducere, cumque is tam eam generoso semine implevisset, prolem inde prognatam suam facere. Vicissim facultas dabatur viro bono, si quam fœcundam atque castam mulierem alii matrimonio junctam in admiratione haberet, ut eam à viro impetraret, congressusque cum ea tanquam in solo fertili bonos liberos sereret, germanos bonorum, co-
XXIX gnatosque futuros. Primùm enim existimabat liberos non esse parentum proprios, sed communes civitatis: itaque non ex quibuscunque hominibus, sed ex optimis nasci cives volebat. Deinde in aliorum de hac re legibus videbat magnam stoliditatem arrogantiamque inesse. qui cùm canes & equas præstantissimis id genus animantibus submittant, eorum dominis gratia aut precio id ut concedant permotis: mulieres contrà inclusas in custodia habent, voluntque ut ex ipsis tantùm pariant, sive jam ipsi desipiant, sive decrepiti, sive sint valetudinarii, quasi verò non iis, qui primo eos nacti sunt, aluntque, mali liberi nascantur, si ex malis nascantur, contraque boni, si ex bonis. Hæc secundum naturam, atque ex civili prudentia à Lycurgo ita tum instituta tantum abfuere ab ea, quæ posterioribus temporibus fertur extitisse mulierum levitate, ut adulterium apud ipsos ne esse quidem creditum sit. Memoraturque sermo Geradæ unius ex antiquissimis Spartanorum, qui interrogatus à quodam hospite, quonam apud ipsos supplicio adulteri afficerentur: respondit, nullum apud ipsos fieri adulterum. tum illo subjiciente, Quid autem, si quis fieret? Tauruni, inquit Geradas, persolvet ejus magnitudinis, ut capite supra Taygetum inclinato Eurotam bibat. Rursus miranti hospiti, percunctantique quonam modo tantus bos

*Vere brutum argumentum.*

nasci posset, respondisse Geradam ridentem, Eodem, quo Spartæ
*Educatio infantum.* adulter existere poterat. Et hæc quidem de matrimonio traduntur.
Infantem sibi natum nutrire non erat in patris potestate: sed eum xxx
portabat in locum, cui Lesche nomen est: ibi sedentes tribulium
ætate provectissimi, infantem explorabant. qui si bene compacto &
firmo esset corpore, ali jubebant, sortem illi ex novem milibus u-
nam destinantes: sin autem degener atque deformis videretur, mit-
tebant eum ad Apothetas, qui locus est præcipitiis circumcisis ju-
xta Taygetum, ab expositione infantium ita nuncupatus. nimirum
quod neque ipsi, neque urbi concederet, id vita frui, cui initio cor-
poris bonam habitudinem roburque natura negasset. Atque ob
eam causam non aqua abluebant infantes, sed vino mulieres, quo
periculum temperamēti eorum facerent. Ajunt enim infantes mor-
bo comitiali, aliisque ægritudinibus obnoxios, vino adhibito, con-
vulsione nervorum affici: sanorum autem magis adhuc intendi at-
que firmari bonam corporis affectionem. Citra nutrices utebantur
cura cum arte commixta, ut ab iis infantes absque fasciis enutriti,
membra atque formam liberalem nanciscerentur, facilique victui
& inediæ adsuescerent, neque tenebris aut solitudine perterrerentur, mollisque impatientiæ, fletusque essent expertes. Quamobrem
quidam filiis suis Laconicas nutrices emerunt: atque Amyclam, Al-
cibiadis Athenienſis nutricem, ferunt Spartanam fuisse. quanquam,
*Institutio puerorum.* ut est apud Platonem, Pericles huic Zopyrum pædagogum præfe- xxxi
cit, servis reliquis nulla re præstantiorem. At Spartanorum filios
Lycurgus non emptis aut mercede conductis pædagogis subdidit
neque permissum erat, ut quivis suos liberos suo pro arbitrio enu-
triret, institueretque, sed simul atque septimum annum attigissent,
Lycurgus eos acceptos in greges distribuebat, contubernalesque in-
ter se & convictores faciens, adsuefaciebat ut unà colluderent, & o-
cium exigerent. Gregi eum præficiebat, qui prudentia cæteris præ-
iret, inque concertando acerrimus ex ipsis esset. In hunc illi intue-
bantur, hujus dicto erant audientes, puniri sustinebant ab eo: ita ut
disciplina ista esset meditatio obedientiæ. Ludos ipsorum seniores
spectabant, injiciebantque frequenter pugnas & rixas, eos diligen-
ter animadvertebant singulorum ingenia ut essent ad audaciam,
non subterfugiendumque in certaminibus periculum apposita. Lit-
teras usus gratia discebant: reliqua disciplina eò omnis referebatur,
ut obtemperare imperiis, perferre labores, vincere in certamine sci-
rent. Itaque augescente ætate & exercitationes eorum intendebantur: radebantur enim tunc, ingrediebantur sine calceis, ac crebrò
nudi exercebantur. Cum annum duodecimum explevissent, dege-
bant absque tunica, deinceps quotannis unam togam accipientes:
squalidi corpora, lavacrorum, unctionisque exsortes, nisi quod pau-
cis aliquot anni diebus ea ipsis indulgebantur. Turmatim atque xxxii
gregatim somnum capiebant super toris, quos ex calamis, qui ad
Eurotam nascuntur, congerebant, effractis eorum summitatibus

opera

opera manuum, absque ferro: hyeme lycophonas subjiciebant, ac calamis admiscebant, quod vis calefaciendi inesse iis aliqua videretur. Iam exercentibus se ac certantibus, mutuoque se cavillis petentibus aderant juvenum egregiorum amatores senes, commeabantque ad eos; neque id inutiliter, nimirum cùm omnes omnium aliquo modo & parentes, & pædagogi, & magistratus esse viderentur, nusquam deerat, qui errantem admoneret atque castigaret. Enimverò, & ex probis & honestis viris puerorum magister constituebatur: & singulis gregibus singuli præficiebantur, atque id munus temperantissimus & bello optimus quisque Irenum deligebatur. Irenes autem nominabantur ii, qui alterum jam annum ducebant, ex quo ex ephebis excessissent: Mellirenes (hoc est *futuri Irenes*) *ii*, qui erant inter adolescentes maximi natu. Is ergo Iren, annos natus viginti iis qui ei subditi sunt, in concertationibus præest, eosque domi cœnæ administros habet: imperat autem robustioribus, ut ligna, debilioribus ut olera adportent. Adferunt autem ea furto, vel ex hortis subrepta, vel ex virorum Syssitiis, in quæ se clanculum, admodumque id cautè & astutè insinuant. qui enim deprehenditur, ei flagro multa verba ingeruntur, quod negligenter & imperitè sit furatus. Cibos etiam quoscunque possunt furtim auferunt, discuntque in hoc scite observare dormientes, aut sua negligentius custodientes: sed deprehensus, plagis & inedia pœnas solvit. Tenuis autem ipsis cœna est, ut defectum ipsi curent farcire, eoque cogantur audacter, & astutè rem gerere. Huic parci cibi instituto, appendicis quasi loco adhæret corporum incrementum. Nam proceritatem ea adipiscuntur, cùm spiritus non diu detentus, neque à multitudine cibi deorsum, aut ad latera compulsus, furtum evadit corpore propter levitatem ei meatus facile laxante. Videturque id bene institüisse: siquidem graciles & subinanes corporum constitutiones, ad artuum commodam positionem sunt aptiores plenis & tumentibus corporibus, quæ mole sua resistunt. Qua ratione & gravidæ mulieres cum purgantur, partus tener quidem, formosus tamen & elegans editur: quod materia pauca virtuti formatrici facilius obsequitur. Verum ejus quidem rei causam in medio aliis cogitandam relinquamus. Furantur autem pueri tam accuratè, ut fama sit, puerum quendam cùm catulum vulpis clepsisset, ac pallio operuisset, laniatum ab eo dentibus & unguibus ventrem, adeo sustinuisse latendi causa omnem dolorem, ut mortem obierit. Cui rei ne fides derogetur, efficiunt pueri, quos nostra etiam tempestate vidimus aliquoties ad aram Dianæ Orthiæ verberibus cæsos mori. Cæterùm Iren cœnans, puerorum alii canere jubet, alii quæstionem proponit, quæ circumspectam solutionem requirat: verbi causa, quis virorum optimus, qualis hujus (certum aliquem nominabat) actio esset. Inde fiebat ut statim initio adsuescerent de honestis civium actionibus inquirere, & sententiam ferre. si quis enim interrogatus, quis civis esset bonus, quis illaudatus,

XXX III

*Furta Lacænum.*

*Corpora ut procera fiant.*

XXX IV

non haberet quod responderet: signum id animi ignavi, virtutisque parum studiosi existimabant. Responsum autem dari oportebat adjecta ejus causa, atque demonstratione, paucis inclusa verbis Qui ea in re peccasset, morsus pollicem ab Irene, pœnas dabat. Sæpenumerò ille coram senioribus & magistratibus pueros supplicio afficiebat, specimen exhibens, an ne, ut erat consentaneum, & oportebat eos plecteret. Neque is, quo minus id faceret, ab iis impediebatur: cæterùm digressis pueris, si quid justo durius, aut contra clementius in eo statuisset, non impunè ferebat. Particeps puerorum xxxv in utranque partem existimationis amatores erant: feruntque aliquando cùm puer inter pugnandum vocem parum ingenuam emisisset, amatorem ejus à magistratibus multatum fuisse. Et quanquam apud eos amori tantum loci tribuebatur, ut honestæ matronæ etiam virgines diligerent? tamen rivales nulli inveniebantur, quin immò amicitiæ hoc initium erat, si qui eundem amarent. communique exinde studio in id incumbebant, ut amasium suum quam optimum efficerent. Præterea docebant pueros uti oratione, quæ acrimoniam aliquam gratiæ admixtam contineret: paucisque verbis multam in auditoris animo cogitationem excitaret. Nam Lycurgus, uti demonstratum est, ferreum numisma maximi ponderis, minimi valoris fecit: contra numinum (ut sic dicam) orationis voluit sub tenui & exigua dictione multum adeoque abundè sententiæ complecti: multoque pueros silentio ita instruxit, ut dicta eorum scita responsionesque eruditæ essent. Quemadmodum enim semen eorum, qui rei Venereæ intemperantes sunt, ferè infœcundum, infrugiferumque est. ita loquacitas sermonem futilem & stultum efficit. Agis sanè rex Athenienſi cuidam Lacedæmonios gladios propter brevitatem cavillanti dicentique eos in theatris à circulatoribus nullo negotio deglutiri: Equidem, inquit, nobis non nullius res laboris est, his pugionibus hostes ferire. Verùm ipse oratio- xxx nem etiam Laconicam perspicio brevem quidem videri: maximè vi autem rem ipsam exprimere, cogitandique curam apud auditorem excitare. Lycurgum sanè ipsum & breviloquentem fuisse apparet, cujusque dicta essent sententiosa: quantum ejus ex his, quæ memoriæ prodita sunt, conjicere licet. Hujus enim generis est, quod cuidam postulanti, ut summam reipub. potestatem multitudini traderet, respondens: primum eum ita rem suam familiarem instituere jussit. & alterum, quod percontanti, cur ita parca & tenuia sacrificia instituisset: Ne unquam Deum apud nos cultus deficiat. itemque de certaminibus, quod iis solis non interdixit civibus suis, in quibus victoria non potest prodi Feruntur hujusmodi etiam per literas responsa ejus ad cives. percontantibus enim quanam ratione hostium ab impetu sese defendere possent, respondit: Si pauperes maneatis: neque alius alio plus appetat. Itemque, urben. nequaquam muris carere, quæ non latericiis mœnibus, sed viris munita sit. Quanquam his epistolis neque derogare fidem in procliyi est, neque adhibere.

*Oratio Laconica qualis.*

*Apophthegmata Laconica.*

Sed

xxx Sed vitio datam sermonis prolixitatem, hæc apopthegmata ostenvii dunt. Leonidas Rex cuidam de rebus non iis quidem inutilibus, intempestivè tamen loquenti: Re, inquit, hospes necessaria non in loco uteris. Charylaus fratris Lycurgi filius, interrogatus cur is tam paucas leges posuisset: Quia, inquit, non indigent legibus multis, qui non multo sermone utuntur. Archidamidas reprehendentibus quibusdam Hecatæum rhetorem, quod adhibitus Syssitio, nihil dixisset. Qui loqui, ait, novit, is & tempus loquendi novit. Quæ autem dicta acriter, & non sine gratia superius indicavi, horum hæc sunt, quæ sequuntur, exempla. Demaratus ab homine improbo importunis interrogationibus vexatus, sæpius percontanti, quis esset Spartanorum optimus: Tui, respondit, dissimilimus. Agis laudantibus Eleos non nullis, quod Olympia præclarè & justè administrarent: Quid, ait, magnum præstant, quod quinto quoque anno, per unicum diem justitiam exercent? Theopompus peregrino cuidam benevolentiam ostentanti, dicentique se à suis civibus amatorem Laconum nominari: Præstiterat, inquit, hospes, te civium tuorum amatorem appellari. Pliston ax Pausaniæ filius oratori Athenienſi, Lacedæmonios indoctos vocanti, Recte tu, ait: soli enim ex omnibus Græcis nos nihil à vobis mali didicimus. Archidamidas quærenti quot numero essent Spartani: Tot, inquit, ô hospes, ut malis xxx profligandis sufficiant. Licet etiam perpendere, quam consuetuvIII dinem in iocis tenuerint. Adsueverant enim nunquam abs re uti sermone, neque emittere vocem ullam, cui non utcunque sensus aliquis consideratione dignus inhæreret. Eo modo quidam invitatus ut audiret hominem, qui cantum luscinię imitabatur: Ipsas, inquit, luscinias audivi. Alius, cùm hoc epigramma legeret:

*Hos exstinguentes Mars fortè tyrannida sævam*
*Ante Selinuntis mœnia stravit atrox.*

Iure, ait, viri hi mortui sunt: debuerant enim permittere ut tota illa tyrannis incendio conflagraret. Adolescens promittenti daturum se ei gallos qui in pugna morerentur, Nolim, inquit, illos: sed eos da, qui pugnando necent. Alius videns in profectione quadam homines in curribus sedentes: Absit, inquit, ut ibi sedeam, unde assurgere seni, non licet. Hujusmodi igitur est forma apophthegmatum, quibus illi usi sunt: ita ut haud absurdè à quodam dictum sit, imitationem Lacedæmoniorum, non magis in exercitationum corporis, xxx quàm Philosophiæ studio consistere. Porrò autem non minus oIX peræ in disciplinam canendi quam argute & pure loquendi collocabatur. Itaque & modis stimulus inerat, qui animum excitaret, impetumque in eo, & quasi furorem quendam ad strenuitatem crearet: & dictio simplex erat, neque delicata, res honestas, & ad mores formandos aptas complexa. Erat enim ferè laudatio eorum felici- *Musica Laconica.*
tatis, qui pro Sparta vita defuncti essent, & vituperatio eorum, qui idem facere metu prohibiti, nunc vitam miseram infelices degerent: tum adhortatio ad virtutem, ejusque prædicatio singulis ætatibus

tibus accommodata. Neque ab re fuerit, uno id exemplo declarare. Diebus festis tres chori, secundum ætates distincti, constituebantur. Ibi senum chorus initio facto canebat:

*Iuvenes eramus olim nos perstrenui.*

Tum juvenum chorus respondebat:

*Is nos sumus: fac, si lubet periculum.*

Post tertius chorus puerorum canebat:

*Nos fortiores erimus olim plurimo.*

In summa, si quis Laconica carmina, quorum ad nostram ætatem xxx quædam pervenerunt, attentè legat, rhythmos embaterios in manus ix sumens, quibus utebantur ad tibiam in hostes impetum facientes: judicabit, neque Terpandrum, neque Pindarum ineptè fortitudinem Musicæ adjunxisse, quorum alterius hi sunt de Lacedæmoniis versus:

*Hîc juvenum viget hasta, hic dulcis carmina musa.*
*Iustitia hic, amplas tuto qua continet urbes.*

Pindari autem sunt hæc:

*Hîc consilia senum:*
*Iuvenumq; virtus bellica,*
*Hastæ, chori, Musæq;*
*Et latitia———*

Simul enim & Musica & bello præstantissimos eos pronunciant: quandoquidem, ut ait Spartanus quidam poeta:

*Citharæ sonus docta, Martipar est truci.*

Quin & rex, antequam iniret prœlium, Musis rem sacram faciebat, disciplinæ, ut videtur, & legum memoriam renovans, quòd promtiores ad periculum, ita pugnarent, ut res gestæ commemoratione essent dignæ. Adeoque nonnunquam austerissimam vitæ ratio- XL nem juvenibus remittentes, permiserunt illis, ut comam, arma, vestesque exornarent, gaudentes iis, tanquam equis ad certamina ferocientibus atque gestientibus. Quamobrem cùm statim ab incunte virili ætate comam nutrirent: maximà tamen si prœlium instaret, eam colebant, ut splendida & composita appareret: Lycurgi de coma dictum commemorantes, qui ea formosos pulcriores, deformes autem effici terribiliores dixerat. Vtebantur etiam tempore XLI belli exercitationibus levioribus, juvenibusque victus ratio largior atque liberior permittebatur: ita ut solis mortalium illis bellum finem sese ad bellum exercendi attulerit. Instructa jam acie, atque hostibus præsentibus rex, mactata capra, coronari universos jubet, Castoreumque carmen à tibicinibus incini. Simul ipse exorditur Pæanem embaterium Quo efficitur, ut adspectus hujus aciei simul & honestus sit, & formidabilis, cùm ipsi motu ad tibiam composito hostem aggrediantur, ac neque phalangem a sese divellant, neque animis perturbentur: sed carmine ad prœlium placidi, hilaresque adducantur. quippe ita compositis consentaneum est, neque metum,

*Vt cum hoste manum conferant.*

tum, neque iram nimiam adesse, sed tanquam Deo præsente, animi
XLII constantem magnitudinem spe & audacia fultam. Rex porrò cùm ad hostes accedit, secum habet unum ex suis, qui in certamine coronam meruerit. Traditumque est, quendam Laconem, cùm ei Olympica festivitate grandis pecunia offerretur, ne certaret, eam repudiasse, partaque magno labore victoria adversario lucta superato, cùm interrogaretur, quid lucri ea victoria feciisset, subridentem respondisse, Vt ante regem collocatus contra hostes dimicem. Fusos hostes insequebantur, eo usque, dum eorum fuga victoriam confirmarent: inde statim se recipiebant, neque generosum, neque Græcæ virtutis esse rati, cædere eos qui victoriam concessissent. Neque honestum modò erat hoc & magni animi, sed & utile, qui enim cum ipsis prælio contenderent, intelligentes resistendo se occisum iri, cedentibus parci: fugam quàm
XLIII dimicationem utiliorem censebant. Lycurgum Hippias sophista bellicosissimum fuisse, multasque expeditiones obiisse asserit. Philostephanus etiam in turmas (*ulamos* Græci vocant) distributionem equitum ei adsignat, ita institutas, ut singulæ quinquaginta equitibus quadrata figura collocatis conficerentur. Demetrius Phalereus nullam eum bellicam actionem attigisse, sed in pace Rempublicam constituisse autumat. Sanè Olympiacæ festivitatis excogitatio mansueti, & pacis perquam studiosi hominis videtur fuisse. Quanquam est apud Hermippum, esse quosdam, qui Lycurgum tradant initio nullam in ea re cum Iphito societatem habuisse, neque ejus monitu eò adveniisse, sed forte fortuna è peregrinatione ad id spectaculum divertisse: ibi eum audivisse vocem, quasi hominis cujusdam à tergo adsistentis, quæ increparet ipsum, mirarique diceret, quod civibus suis non esset auctor societatis harum feriarum ineundæ. ipsum, cùm se obvertisset ad vocem, neque usquam appareret qui erat locutus, ratum divinam eam vocem fuisse, ita demum se ad Iphitum adjunxisse, eique in exornanda, stabiliendaque ista solennitate socium præbuisse. Di-
XLIV sciplinæ autem subjecti erant Spartani tantisper dum ad virilem ætatem pervenirent. neque enim cuiquam liberum erat, ut suo pro arbitrio viveret: sed in urbe perinde atque in castris, præscriptam unusquisque vivendi rationem, versandique in publico habebat. Omninoq; existimantes, se non sui ipsorum, sed patriæ esse, nisi quid aliud esset negocii injunctum, semper vel ipsi pueros visebant, eosq; aliquid cõducibile docebant, vel ii si à senioribus discebant. Quippe ex iis, quæ pulcra & beata suis civib. Lycurgus paravit, unum etiam fuit ocii abundantia. Nam artes illiberales tractare nemini omnium licebat: neq; opus erat pecuniã colligere, quæ res magnã molestiam negociũq; requireret, cũ divitiẽ omni plane honore, admirationeq; carerent: at servi, (quos *heilotas* vocabant) agros colebant, constitu-
XLV tosq; dominis reditus pendebant. Ideo quidam Spartanus cùm Athenis ageret, quo tempore judicia fiebant, audiens quẽdam ocii causã

*An bellum gesserit Lycurgus.*

*Ocium Spartanorum.*

damnatum ægrò animo, comitantibus unaque graviter rem ferentibus amicis incedere: petisse fertur ab iis qui aderant, ut sibi ostenderent eum hominem, qui tam liberalis criminis reus esset peractus, adeo servilem ii judicabant exercendarum artium & rei pecuniariæ procurandæ curiositatem. Sublato nummo, sublatæ quoque sunt, ut erat consentaneum rationi, controversiæ forenses: cùm neque divitiæ, neque paupertas adessent, & æqualitatem, omniumque rerum copiam frugalitas, invexisset. Omni igitur eo tempore, quo à militia vacabatur, in choris, conviviis, festivitatibus, venationibus, confabulationibusque omnes erant. Qui annos minus quàm triginta nati erant, ii omnino in forum non veniebant, sed res necessarias ministerio cognatorum & amatorum expediebant. senioribus indecorum erat, continenter videri his rebus occupatos, ac non potissimam diei partem, apud gymnasia & leschas consumere. eò enim frequenter conveniebant, ociosique invicem non de paranda pecunia, aut coemendis rebus necessariis mentionem faciebant: sed maxima pars ejus consuetudinis consumebatur in laudem honestarum rerum, aut vituperationem turpium, cum ioco & risu, qui admonitionem admixtam habens, ad correctionem comiter perduceret. Neque enim usquequaque erat austerus Lycurgus: cùm auctor sit Solibius, dedicatum ab eo Risus simulacrum: ut qui iocum, quasi condimentum severæ vitæ rationis, opportunè conviviis, idque genus conventibus immiserit. In summa autem ad hoc cives suos condocefaciebat, ut neq; vellent, neq; nossent seorsim vivere: sed apum instar semper cœtui adhærerent, simulque circa principem suum versarentur, totique patriæ essent. propemodum sui ipsorum obliti, præ furore quodam & ardenti honoris studio. Quemadmodum eorum sententiam ex dictis quibusdam ipsorum perspicere licet. Pædaretus in numerum c c c. virorum non cooptatus, sereno vultu discessit tanquam gaudens, quod se præstantiores viros trecentos II patria haberet. Polystratidas cum aliis ad regis præfectos legatus missus, interrogantibus Reipublicæ ne an suo privatorum nomine adessent: Siquidem, inquit, impetraverimus, quod volumus, publico nomine; sin minus, privati venimus. Brasidæ mater Argileonis quosdam ab Amphipoli ad se Lacedæmonem venientes interrogavit, pulchrè ne, & ut patria dignum erat, Brasides occubuisset. ibi virum prædicantibus magnificè illis, dicentibusque Spartam ejus similem jam nullum habere: Nolite, inquit, hoc dicere hospites, fuit quidem egregius vir Brasidas, sed multos eo præstantiores Sparta habet. Cæterùm seniores Lycurgus sive senatores initio ex iis constituit, quos consilii socios habuit: quemadmodum supra III ostensum est, post autem in defuncti locum jussit eum subrogari, qui inter sexagenario majores virtute reliquis anteire judicatus fuisset. Non fuit apud mortales ullum excellentius certamen, aut cujus victoria magis esset expetenda. non enim inter celeres celerrimo, non inter robustos robustissimo, sed inter bonos ac temperantes

XLVI

XLV

LXV

*Amor Spartanorum societatis & patriæ.*

*Quomodo seniores in senatum lecti.*

tes optimo, temperantissimoque judicato præmium victoriæ virtute partæ dabatur, ut per omnem vitam in republica summam potentiam haberet, dominusque & vitæ & mortis civium, aliarumque
XLIX maximarum rerum esset. Iudicium id ita fiebat. Advocato in concionem populo, viri quidam ad hoc delecti in propinquum conclave concludebantur, ita ut neque viderent quenquam eorum qui convenerant, neque ab ullo viderentur, tantùm clamorem illorum exaudirent: nam ut cætera, ita certamen quoque de hac virtutis palma acclamatione dijudicabant Ibi non simul universi, sed unus post alium forte ductus in concionem veniebat, tacitusque per eam transibat. quos conclusos dixi, ii in tabulas inscribebant, quantus ad singulorum transitum clamor fuisset sublatus: neque ad quem is pertineret illis constabat, nisi quod ratione ordinis, quoto acclamaretur, intelligebant. cui maximè ac frequentissimè fuisset acclamatum, eum renunciabant. Isque circumibat Deum coronans simulacra: sequebantur multi adolescentes, virum observantes, ac laudibus extollentes: multæ etiam mulieres, virtutes ejus decantantes, vitamque ejus beatam prædicantes: necessariorum autem quivis cœnam ei apponens, hanc ei à civitate honoris ergo offerri mensam dicebat. At verò senator ita electus, in syssitium abibat, ibi cùm reliqua de more fierent, altera illi portio præterea apponebatur, quam illi servans, secumq; auferens, cœna peracta adstantium ad januam ejus loci mulierum uni, quam cæteris præferret, ad se vocatæ dono dabat, eam se, cùm virtutis præmium accepisset, ipsi dare dicens. Proinde hæc quoque admirationi erat reliquis mulieribus, ab iisq;
L domum deducebatur. Sepeliendi quoque ratio à Lycurgo optimè est ordinata. Primò omni superstitione sublata, mortuos intra urbem humari, monumentaque prope templa poni non prohibuit: hujusmodi spectaculis adolescentes adsuefaciens, ne mortis recordatione perturbarentur, eamque ne exhorrerent, quasi eos, qui cadaver tetigissent, aut per sepulcretum transiissent, polluentem. Deinde nihil cum mortuo terræ mandari permisit, sed ejus corpus tantùm puniceo amiculo, & foliis olæ involutum tumulo componi jussit. Mortui nomen, nisi vir in bello, aut mulier sacerdos mortem obiisset, monumento inscribi passus non est. Luctui tempus exiguum posuit, quippe dierum undecim: duodecima Cereri sacrificandum, luctusque finiendus erat. Non enim fuit in ejus institutis quicquam vanum aut dissolutum, sed semper rebus necessariis virtutis aliquod præconium, aut vitii vituperationem admiscebat: urbemque multitudine exemplorum implebat, in quæ qui incidissent subinde familiariaque ea haberent, necessariò ad honestatem deducebantur, iisq; sese conformabant. Quam etiam habuit
LI causam, ut peregrinari, atque hinc inde vagari suos vetaret: ne extraneos mores, imitationemque vitæ non probè institutæ, diversarumque in republica constitutionum in urbem inveherent. Quinetiam eos, qui Spartam nullius utilis negocii causa confluebant, urbe ex-

*De sepultura.*

*Peregrinationes & peregrinos cur prohibuerit.*

pulit, non (quod Thucydides scribit) veritus, ne reipublicæ formam imitarentur, aliquidque ad virtutem faciens discerent: sed verius, ne quid mali docerent. Homines enim peregrini peregrinos etiam secum adferunt sermones: unde rursus nova de rebus judicia oriuntur, ex quibus fieri non potest quin affectus multi, consiliaque nascantur, quæ ab instituta reipublicæ ratione (quæ consonantiæ vocum instar habet) discrepent. quamobrem majori cura providendum censuit, ne malis moribus urbs, quam ne extrinsecus irrepentibus corporibus morbosis repleretur. In his omnibus nullum est injustitiæ, aut injuriæ vestigium: quæ vitia nonnulli legibus Lycurgi objiciunt, quasi de fortitudine satis præcipientibus, de justitia non item. At Cryptia, quam ipsi ab insidiis ita nominant, siquidem ejus quoque, ut Aristoteles narrat, Lycurgus auctor fuit, Platonem fortassis etiam in eam de Lycurgo & ejus legibus adduxit sententiam. Ea hujusmodi fuit. Magistratus statis temporibus quos juvenum cordatissimos esse censuissent, cum pugionibus & cibo quantum necessitas postulabat, neque ulla alia re instructos, in agros emiserunt, tanquam ad aliud quoddam negocium. Hi interdiu dispersi in loca incognita se abdiderunt: ac quieti se dederunt: noctu in vias digressi omnes Heilotas, quos comprehendere potuissent, obtruncaverunt: sæpius etiam in agros profecti, robustissimos eorum, optimosq; interfecerunt. Ad hunc modum Thucydides quoq; in historia Peloponnesiaca scribit, servos Spartanorum fortitudinis causa reliquis prælatos, ab iis coronatos fuisse, perinde atque si libertate donati forent, Deorumq; templa circumisse: paulò post omnes è medio sublatos fuisse, cùm amplius duobus millibus essent, ita quidem, ut neq; tunc, neq; postea quisquam dicere potuerit, quonam ii modo perierint. Aristoteles autem inter alios auctores præcipuus est, eos qui tradunt ephoros, ut primum magistratum eum occipiant, bellum servis indicere, ut citra religionem ii occidi possint. Alioquin profectò etiam asperè servos, & inhumaniter Spartani tractabant, multum meri eos bibere coactos in Syssitia introducentes, eaque ratione adolescentibus ostendentes, ebrietas quid rei esset: jubentesque eos canere cantilenas, & saltare choreas illiberales & ridiculas, liberis autem abstinere. Hinc memorant à Thebanis, quo tempore bellum Lacedæmoniorum finibus intulerunt, captos heilotas, cum juberentur cantare Terpandri, Alcmanis & Spendontis Laconis carmina: recusasse, quod dicerent, dominos suos id nolle. Quare qui dixerunt Lacedæmone liberum maxime liberum, & servum maxime servum esse, non male discrimen id perpenderunt. Ergo hujusmodi in servos inhumanitatem posterioribus demum temporibus extitisse arbitror, post magnum illum terræmotum: in quo se vos cum Messeniis conspiratione facta ferùt plurimis agrum Laconicum maleficiis infestasse, urbemque in summum periculum conjecisse. Neque enim ego tam sceleratum illud Cryptiæ facinus Lycurgo adscripserim; de cujus moribus ex ejus viri reliqua man-

*Inhumanitas in servos.*

LII

LIII

suetu-

suetudine & justitia conjecturam capio, de quibus etiam Numen te-
LIV stimonium tulit. Lycurgus posteaquam præcipuæ omnes ipsius constitutiones usu jam confirmatæ, resque publica satis adulta seipsam tolerare atque conservare valuit, quemadmodum Plato scribit mundo creato, ac primùm moveri incipiente, Deum delectatum fuisse: ita ipse etiam legum suarum jam vigentium, ac progredientium pulcritudinem, amplitudinemque læto animo admiratus, id in animum suum induxit, ut eam formam reipublicæ, quantum ejus humana prudentia consequi posset, perpetuam atque immobilem in posterum relinqueret. Eam ob rem cõvocatis ad concionem universis suis civibus: Omnia dixit mediocriter jam, & quantum ad felicitatem virtutemque civitatis satis esset, composita: unum tamen adhuc esse, quod potissimum sit, atque maximum: neq; se id, nisi consulto prius oraculo, vulgaturum, petere igitur ab ipsis, ut fixis legibus starent, neq; ante suum Delphis reditum quicquam immutarent, aut moverent: reversum se id, quod Deus jussisset, perfecturum. Assentientibus omnibus, ireque ipsum jubentibus, jurejurando reges, senatores, reliquosque deinde cives sibi obstrinxit usuros constanter Reipublicæ forma jam constituta: ipse Delphos pro-
LV fectus est. Cùm ad oraculum accessisset, sacrisque pactis Deum rogasset, rectè ne leges, & ad salutem virtutemque urbis sufficienter positæ essent, ita ei responsum est: Leges bene conditas esse, mansuramque urbem eam clarissimam, si Lycurgi institutis insistat. Id oraculum perscriptum in patriam Lycurgus misit: ipse iterum Deo rem sacram cùm fecisset, salutatis amicis, filioque, statuit cives nunquam sacramenti dicti religione solvere, sed ultrò Delphis vitam claudere: cùm & felicitatis sibi partum satis esse arbitraretur, & eam ætatem ageret, qua vel vivere ulterius, vel finem vivendi facere opportunum est. Itaq; abstinentia cibi vitam finivit: quod existimaret hominis in Repub. versati mortem quoq; ipsam ad illius utilitatem debere pertinere, neq; ociosè eã, sed cum virtutis aliqua actione obeundam. sibi quidem quod res præclarissimas effecisset, mortẽ verè perfectionem felicitatis, civibus autem eã futuram custodem eorum bonorum, quæ ipsis vivens paravisset; justis nimirum, tantisper usuros se legibus ipsius, donec Spartam revertisset.

*Lycurgus legesua ut stabiliaret.*

*Lycurgi mors.*

LVI Neque eum suæ rationes deceperunt. nam per quingentos deinceps annos Lycurgi legib. usi Lacedæmonii, feliciter & gloriosè rempublicam administrarunt: quas cùm per id tẽpus quatuordecim reges usq; ad Agidem Archidami filium imperarint, nullus movit. Ephororũ enim creatio non remittebat, sed intendebat eã reipublicę constitutionem: cumq; videretur pro populo facere, vehementiorẽ adhuc potẽtiam optimatum efficiebat. Agide regnante demum nomisma Spartã irrepsit. cumque eo avaritia & studium divitiarum: Idq; culpa Alexandri, aut potius Lysandri: is enim, quanquam ipse pecuniæ cupiditate esset superior, tamen bello partum aurum argentumque patriæ inferens horum amore & luxuria Spartã implevit.

*Felicitas Spartæ Lycurgi legibus stantis.*

Lycur-

Lycurgique leges occultè infregit, quibus ante valentibus non civitatis bene institutæ, sed vitæ hominis sapientis exercitatique gerebat speciem. Imò quemadmodum Herculem poetæ fingunt pelle & clava lignea instructum, puniendis injustis immanibusque tyrannis orbem terrarum peragrasse: ita Lacedæmon scytala & palliolo usa, imperium in Græciam ultrò delatum obtinuit, injustas in civitatibus dominationes, & tyrannides destruxit, bellorum arbitra fuit, sæpenumeroque seditiones pacavit; idque ne scuto quidem ullo moto, sed uno tantum misso legato, ad quem confestim omnes, tanquam apes ad regem suum, concurrentes, & in ordinem se componentes, mandatis ejus obtemperabant: tantum ea urbs legum observantia justitiaque reliquis antecellebat. Vnde mihi subit mirari eorum judicia, qui Lacedæmoniis parendi, non item imperandi scientiam adfuisse affirmant, laudantque illud Theopompi dictum, qui Spartanos eo incolumes esse dicenti, *quod reges imperandi peritos haberent: Potius*, inquit, *propterea quod cives obedire norunt.* LVII

*Obedientiæ causa.*

Non enim dicto audientes homines esse volunt iis, qui præesse, ut par est, nesciant: quippe obedientiam à principe discant oportet. qui enim bene ducit, efficit ut rectè eum ii, quos ducit sequantur. Ac ut equestris artis opus est, reddere equum mansuetum, & fræno parentem: ita regiæ scientiæ est obedientiam subditorum efficere. At Lacedæmonii non obedientiam, sed cupiditatem obtemperandi sibi apud alios effecerunt: non enim hi naves, non pecuniam exigebant, non milites, sed unum Lacedæmonium legatum: acceptoque eo cum summo honore, & reverentia utebantur. Ita Gylippo Sicilienses, Brasida Chalcidenses usi sunt: Lysandro, Callicratida, & Agesilao Asiæ totius incolæ, viros eos ubique populorum, magistratuumque correctores nominantes: omnino autem in Spartanorum civitatem, tanquam modestæ viæ, reipublicæque bene ordinatæ præceptorem, intuentes. Quam ad rem videtur Stratonici facetum illud cavillum referri debere, qui Athenienses mysteria celebrare & pompas ducere jussit: Eleos certamina edere, nimirum harum rerum peritissimos: Lacedæmonios autem istis, si quid peccassent, plagas infligere. Hoc quidem ut ridiculum retuli. LVIII At verò Antisthenes Socraticæ philosophiæ sectator, videns Thebanos à Leuctrica victoria insolentius efferri, Nihil eos differre à pueris dixit, qui exultarent propterea quod pædagogum concidissent. Enimverò non hoc Lycurgus tum temporis agebat, ut urbem, quam plurimarum aliarum ducem relinqueret: sed cùm ita sentiret, sicuti unius hominis felicitas virtute & concordia paratur, eandem rationem quoque civitatis esse: eo ejus statum ordinavit, accommodavitque, ut cives liberi essent, totique ex seipsis apti, & temperantes atque ita quàm diutissimè civitas duraret. Ad hoc idem propositum Plato etiam, & Diogenes, & Zeno rempublicam instituerunt, aliique omnes, qui eo laudem invenerunt, quod de his rebus scribere aliquid conati essent. LIX Noster non libros de republica, sed re ipsa

ipsa civitatem nulla imitatione æquandam protulit in lucem: atq; iis qui opinantur, virum sapientem cogitatione tantum concipi, non re vera exstare posse, ob oculos posuit totam urbem sapientiæ studio occupatam. quare merito omnibus illis, qui unquā apud Græcos rempublicam attigerūt, gloria longe anteponitur. Ideoq; Aristoteles ait minores eum apud Spartanos, quàm quos par erat, honores adeptum: cùm sit quidem ornatus maximis. templum enim ei positum est. sacrificaturq; ipsi quotānis, tanquā Deo. Ferunt etiam, cum reliquiæ eius essent in patriam reportatæ, sepulcrum fulmine ictum fuisse. *Lycurgi sepulchrum.* Non temerè id alicui illustri viro eveniſse constat, præterquam Euripidi inferioribus temporibus mortuo, & in Macedonia apud Arethusam sepulto; ut qui hujus studio tenentur, magnam amoris sui causam, testimoniumq; hujus præstantiæ afferant, quod soli ei idem post mortem, quod ante sanctissimo & diis acceptissimo
LIX Lycurgo, contigit. Mortuum fuisse Lycurgum alii Cirrhæ tradunt: Apollothemis Elide quo tum se contulisset: Timæus & Aristoxenus in Creta vitam cum morte commutasse asserunt: ostendique hic à Cretensibus ait sepulcrum ejus apud Pergamiam, via, ut vocatur, peregrina. Filium quoque reliquisse traditur unicum, Antiorum nomine: eoque sine liberis defuncto genus defecisse. Socii autem ejus & familiares instituerunt conventum, qui posteris per manus traditus diu perduravit: diesque quibus coirent, Lycurgidæ appellati sunt. Aristocrates Hipparchi filius Lycurgo in Creta mortuo, ab hospitibus ejus corpus crematum, cineresque in mare dispersos perhibet. obtemperasse nimirum eos ipsius Lycurgi precibus, id caventis, ne suis reliquiis Spartam allatis, tanquam ipse si rediisset, cives soluta sacramenti religione rempublicam à se institutam mutarent. Atque hæc de Lycurgo.

## IN LYCURGUM PLUTARCHI Interpretis Annotationes.

Cap. 1. *Quo tempore vixerit Lycurgus si quis disputatum & explicatum accuratius legere desiderat, Clementis Alexandri primum Stromaton librum consulat. Huc enim nos transferre, quæ copiosè ab eo variis ex auctoribus sunt collecta, brevitatis studium non sinebat. Plerique eum ad Osiæ Azariæ, Iudæorum regis ultimos annos, & Manahemum Israeli regem tributarium collocant, circa annum mundi 3180. hoc est ante V. C. 33. Pausanias in Lacon. Agesilao, qui sextus Agidarum fuit, regnante Sparta Lycurgum leges condidisse ait. Ut incerta pleraque esse auctor noster haud injuria monuerit.*

Ac Xenophon etiam.) *Locus est in libello de Lacedæmoniorum republica: is libellus lectus multum lucis huic adferet.*

Heraclitas.) *De Heraclitis multa sunt passim apud Græcos apud Pausaniam in Laconicis, & alibi, atq; etiam apud Herodotum non*

ANE

*uno loco, inde peti malo, quam huc infarcire. Et Clemens multa atque docta habet eo quem indicavi, loco; breviter autem & luculentè res tota est à Diodoro Siculo perscripta atq; explicata lib. 4. Ad eum remitto. Plutarchus in Solone ab Hercule undecimum fuisse Lycurgum scribit: ut & hic ex Eutychida.*

Cap. 3. Fertur Soum à Clitoriis.) *Iisdem planè verbis hoc refertur in apophthematis Plutarchi Laconicis: sed interpres Raphael Regius, vir doctissimus alioquin, levi (ut crebrò ei accidit, non enim omnes interpretes ita soliciti fuerunt, itaque fideles, ut debuerunt) levi inquam admodum mendo deceptus, miserè eum locum corrupit, & ad Sœbidam quendam à se factum transtulit. In Græco, etiam Aldino, codice ita legitur:* στιβίδας περὶ τοῦ κινδύνου, τὸν ἀγαθὸν δεῖξαι σῶον λέγεται ἐν χωρίῳ χαλεπῷ. *Non esse Sœbidam, sed Phœbidam legendum, constat, sed id alias. Deinde ita fuit scriptum a Plutarcho:* δεῖξαι. Σῶον λέγεται ἐν χωρίῳ, &c. *Sed Raphael* σῶον *totum omisit, & (ut jamjam dixi) conturbavit sensum. Hujus generis erratorum, & quidem multo graviorum, aliquot sunt in Græco centuriæ, in Plutarchi opusculis quæ Moralia inscribuntur & vocantur: interpretum verò oscitantiæ & crassæ ignorantiæ myriades multæ ut nostræ lucubrationes demonstrant. hîc* ἀφύσειν *erat, pro* ἀφήσειν

*Locus ex apoph. Plutar. restituitur.*

Eurytionidæ.) *Pausanias, accuratus inprimis atq; fide dignus scriptor, libro tertio: qui de rebus Laconicis est, ubi utriusq; familiæ reges enumerat, Eurypontidas hos vocat* (εὐρυπωντίδας) *& filium Soi Euriponta* (εὐρυπῶντα σοῦ υἱὸν) *atq; ita constanter legitur. Herodotus quoq; in Urania, Leotychidæ genus recensens, eum de quo quærimus,* εὐρυφῶντα *vocat: sicq; etiam in Aldino est libro. Etiam infra in Lysandro* εὐρυπωντίδαι *dicuntur: sed vitio librarij, ut quidem existimo. Nam mihi Eurytion cùm alias magis probatur, in Plutarchi saltem loco hoc & aliis (ut paulò ante, in comparatione Pompeij cum Agesilao, initio Agidis, &c. Potest enim fieri, ut ab istis dissenserit, aliosque secutus sit auctores) tum ratione declinationis, & obliquorum casuum moveor. dixisset enim* εὐρυπῶντα: *sed legitur hic* εὐρυτίωνα, *& in Agide est* εὐρυτιωνίδης, *cùm fuisset scribendum* εὐρυπωντίδης. *alioquin* τοῦ τι *& π scriptio est admodum affinis, sed accentus & ultima syllaba vocabuli me movent. Porro idem (ut hoc lectoris gratia addam) Eunomum Prytanidis F. Eurypontis. N. facit.*

*Eurypontidæ, seu Eurytionidæ.*

Cap. 4. Charilaoque.) *Herodotus lib. 1. eadem indicans, vocat hunc* λεωβώτην. *Eumq; locum citans Pausanias quo dixi libro, ostendit Labotam Echestrati F* (λαβώτην τοῦ ἐχεστράτου) *aliis dictum: sed ipse dissentit haud dubie, & Charillum Polydectæ filium diserte post paulo nominat,* χάριλλον. *Dionysius Halic. lib. 2. ant. Rom. ex Sabinorum historiis Eunomon appellat.* καθ' ὃν (*inquit*) χρόνον ἐπιτροπεύων εὔνομον τὸν ἀδελφιδοῦν λυκοῦργος ἔθετο τῇ σπάρτῃ νόμους. *Aliquanto inferius.*

Cap. 6. Thaletæ.) *Legendum enim est* Θαλήταν *pro* θάλητα *hic & in libello, Quod philosopho sit cum principibus degendum,* Θαλήτας *pro* Θαλῆς. *ubi hujus ipsius rei fit mentio, ut & paulò aliter sub fi-*

*nem libri de Musica. ubi nomen hoc est recte scriptum: ut & apud Suidam, qui Cnossium eum facit, nota est autem urbs Cretæ Cnossus.*

Cap. 8. Celebre id responsum.) *Ab Herodoto ibidem refertur ad verbum.*

Cap. 9. Chalciœcum.) *Aedem Minervæ fuisse constat. Suidas ita dictam, vel quod ærea (aut verius ærata) esset, vel à Chalcidensibus Eubœensibus condita, scribit. Livius lib. 35. templum esse Minervæ æreum scribit: idemq; Pausanias Mentio ejus crebra, & nobilis passim.* Chalciœcus.

Ferturque Archelaus.) *Pausanias expresse hunc Agesilaum nominat. Lapus Archesilaum legit: & pro Arithmiada, Artemidam. In Libello de discrimine amici & adulatoris, contrario sensu hoc de Charilao judicium legitur: nimirum non dignum eum laude & boni viri titulo esse, qui ne malis quidem durum se præbeat. Atq; ita etiam in Laconicis Apoph. legitur, nisi quod ibi Archidamidæ adscribitur. sententia quidem hæc quàm illa est argutior, itaque ὀκ illud omittendum duxi.*

Cap. 9. Hunc Plato.) *Locus est lib. 3. de Legib.*

Ad Sphærus.) *Haud scio isne sit, quem in vita Cleomenis Sphærum Borysthenitem, Zenonis Citiensis discipulum, Cleomenisq; in Philosophia præceptorem fuisse, scribit. Quæ ad numeri proprietatem attinent, in Arithmeticis traduntur.*

Cap. 11. Iovis Syllanii.) *In has Rhetra vertenda quædam Græca reliqui, quæ quid sint, non intelligebam. ut est illud Gamodan & gorián.*

Cap. 13. Ita enim Plato tradit.) *Eo quem dixi, libro. Cæterum in Tyrthæi versibus paulò superius positis pro τάδε νικᾶν legendum vel sponsione certa verim τάδ' ἔνεικαν.*

Cap. 16. Lacedæmoniis Cothon.) *κώθων, poculum figlinum exiguum atq; sinuosum. Describitur venuste apud Athenæum lib 11. aliquando ponitur pro potu, & compotatione: quomodo & κωθωνίσαι verbum. Sic κώθωνος vocabulo usus est auctor noster in Pyrrho, ut ibi admonui. & in Timoleonte est, περὶ κάθωνα διατρίβειν, potare. & in Antonio. quid ἄμβων sit, ex Aeleo Dionysio Eustathius in 9. Odyss docet. Ego ita verti, ut congruere maxime huc putavi.*

Cap. 19. Nam cui quid tale incidisset.) *θύσας ἢ κωνηγῶν ἐψήσειε. Lapus & Amiotus retardatum intelligunt: quasi si ὑψήσειε legissent, quæ sane vox in Lexicis reperitur. alibi legisse non succurrit. ἐψήσειε quidem non quadrat.*

Cap. 21. Emtum à quodam rege Ponti.) *Id factum à Dionysio tyranno refert Cic. 5. Tusc. quæst. & in Apophth. Laconicis idem est. ut in voce ποντικῶν videatur esse mendum. Sed & κατατεταγμένους nihili vox est. Legerim καταγεγευμένους, aut καταγευσαμένους.*

Cap. 26. Vt ait Plato.) *lib. 5. de Rep. Geometrica autem necessitas est vis illa demonstrationum, quæ in Mathematicis ita ex primis, veris, necessariisq; propositionibus construuntur, ut ij recte non persuadere, sed cogere apud Ciceronem dicantur.*

Vt est

Vt est apud Plato.) Tibi verò, Alcibiade, Pericles servorum deterrimum Zopyrum Thracem pædagogum præfecit. *Socrates apud Platonem in Alcibiade priore. Nutricis nomen hic depravatè ἀμυλλᾶς, rectè in initio Alcibiadis ἀμύλλα legitur.*

Cap. 32. Hyeme lycophonas) λυκόφονας. *Apud Hesychium & Varinum* λυκόφανον *accusandi casu legitur. aut ἄλλε, lingua Messeniorum ita appellari* τὸν ἐχινόποδα. Echinopus *autem ab hoc exponitur genus spinæ, seu cardui.*

Cap. 32. Mellirenes.) μελλιρένης *enim duplici* λ *legi, παρὰ τὸ μέλλειν. tametsi Suidas quoq; uno* λ *videatur scribere: ut Dorice fortassis exaritum alterum* λ *suspicari possimus. Plutarchus in libello, An senex gerenda Resp. scribit, apud Ephesios moris fuisse, ut sacerdos Dianæ primo anno μελιέρων, secundo ἱερέων, tertio παιερίων diceretur. quod institutum ad hoc non valdè abludit, ut & Vestalium.*

Cap. 33. Ad aram Dianæ Orthiæ.) *Lupus*, ad aram augurii. *Est enim secutus mendum Græci libri, qui ὀρνιθείας habet: cum sit legendum haud dubiè ὀρθίας. De Diana enim Orthia loquitur ara, ad quam flagris concidi pueros instituto Lycurgi consuevisse, locuples testis est in Laconicis Pausan. simulq; causam ejus institutæ aliam, quam vel Cicero lib. 2. Tusculan. quæst. vel Lucianus ad finem Anacharsidis, vel ipse Plutarchus indicet, refert: quam, brevitati studens, ex eo te, si lubeat, petere jubeo. aliam etiam in Aristide vita noster refert. Supra quoque mentio facta est hujus Orthiæ Dianæ, in Theseo.*

Cap. 36. In quibus victoria non potest prodi.) χεὶρ ἂν ἀνάκτείνειν, *id est manus non intenditur. Obscurum est hoc. Causa in Laconicis Apoph. subjungitur*: Vt ne quis labori succumbere adsuescat. *Videtur ergo cavisse, ne herbam (quod ajunt) quisquam porrigeret in certando: sed alia ratione certamen dirimeretur. Tale est quod Lucianus dicto lib. refert de pueris in duas partes divisis, inque loco aqua circumdato pugnantibus tantisper, dum una pars alteram usque in aquam compelleret: eo enim facto nullum porrò percutere aut feriri. Latini sanè manus dare dicunt, pro eo quod est victum se fateri. Cicero etiam* manum tollo *dixit: id quod nos hic χεῖρα ἀνατείνειν dici putamus: in lib. de Consolatione, cum morte Tulliolæ suæ à fortuna superatum se fatens*: Cedo, *inquit*, en manum tollo: *Locus est apud Lactantium lib. 3 cap. 38. Similiter Virg. 12. Aeneid* ——Victi: & victum tendere (τείνειν *hoc quidem est*) palmas Ausonii videre. ——*Neq; affirmo me rem acu tetigisse, quod in mentem venit atruli, καὶ ἔπεχω.*

Cap. 36. Alius alio plus possideat.) μὴ μᾶσθω ἄπερ ὁ πατὴρ ἐρατίνηθρ. πατὴρ *genitivo casu lego, non subscripto & ἐρατίνηθρ videtur abundare, repetitum à ἰδίωτ. ἐρατίνηθρ legi non potest: forte ἐρατίνητ. in Apoph. legitur ἐρατίνει, sed non admodum concinne. Consulantur libri meliores.*

Cap. 38. Quidam invitatus.) *Agesilao in vita ejus Plutarchus hoc*

*hoc tribuit: proximum Arigeo, in Apophthegm. Laconicis.*

Cap. 39. Nos fortiores erimus olim plurimo.) *πολλῷ enim debeat esse πολλῷ: quod & sensus requirit, & ita legitur in laconicis apophth. Lapus mendum retinuit. Rhythmi embaterij meminit Iliad. ō. Eustathius.*

Spendontis.) *σπένδοντ☞. Speudontis habet Lapus. Τὰς δεσποσύνας autem* dominos *verto: ut* dominium *pro* domino *positum μετωνυμικῶς intelligatur, sicut* Φιλότης *apud Lucianum & alias pro* amico *dicitur. Domini autem Helotibus interdixerunt carminum Terpandri & aliorum usu, re maximè apud illos habita literali. Erasmus in Apophth Lacænarum* δεσποσύνας, filias herules *vertit*, concaptivas *scilicet, quarum illi auctoritatem pluris quam jussum victoris fecerint. Quod commentum non cum vocabulo modò, (nam* δεσποσύνη *verna est, seu* domi heri sui educatus servus: *teste Eustathio in Iliad.* λάμβδα. *unde fœminimum* δεσποσύνη, *fuerit* serva, *non* filia herilis. *tametsi idem Iliad. υ. adjectivè poni hoc modo neget*) *sed & sententia Plutarchi pugnat, ostendentis Musicæ, re apprimè liberali, interdictum servis fuisse. Ideo capti non poterant eos versus cantare, quos ut discerent, a dominis eis non fuerat concessum. Cæterùm locus qui de Helotibus necatis paulo ante ex Thucydide citatur, extat libro 4. ubi de Brasida in Calcidicam emisso disserit.*

Cap. 53. Post magnum illum terræmotum.) *Hunc & bellum ab Helotibus una cum Messeniis contra Lacedæmonios gestum, describit Diodorus Siculus lib. 11. Vide & Plutarchum in Cimone.*

Cap. 56. Agidem Archidami.) *Is cum Pausania rex fuit quo tempore Lysander Athenienses victos eos ad pacis duras conditiones accipiendas compulit, & bellum Peloponnesiacum confecit. Vide Vitam Lysandri, & Pausaniam. Alius fuit Agis, cujus vitam Plutarchus scripsit.*

Ibid. Alexandri.) *Quis hic* Alexander *dicatur, si modo mendo locus vacat, nescio: de Lysandro constat. Fortassis Cleandridem notat, qui se à Pericle passus est corrumpi, & Pisthonacti persuasit, ut ex Attica exercitum abduceret. Plutarchus Pericle, & alij. Fuit autem is Pisthonax pater Pausaniæ regis, quem modo nominavi. Sed hæc est conjectura: non tamen forte omnino vana: nam ad Alexandrum quidem Magnum ista referri, historia & temporum ratio non sinunt, cum quinquaginta fere ante hunc natum annis Lysander Athenarum muros prorueri.*

## PLVTARCHI NVMA, GVILIELMO Xylandro, Augustano, interprete.

QVo tempore Numa vixerit, magna est apud scriptores controversia: quanquam generis series ab initio ad eum usque exactè deduci videatur. Cæterum Clodius quidam in indice temporum (ita enim librum suum inscripsit) antiquos illos temporum commenta-

rios contendit in Gallica urbis calamitate periisse: eos autem qui nunc extent, compositos esse ab aliis, qui in gratiam eorum virorum, genera eorum in præcipuas familias, maximeque insignes, nulla omnino ratione ad eos pertinentes, ingesserint. Iam quod Pythagoræ fuisse discipulus Numa fertur, alii omnino Græcæ disciplinæ participem fuisse Numam negant: ut vel natura aptus ad virtutem, satisque instructus fuisse, aut regis institutio barbaro cuidam, Pythagora præstantiori, adsignanda videatur. Alii Pythagoram philosophum multò Numa posteriorem, quinque nimirum circiter ætatibus faciunt, sed Pythagoram Lacedæmonium, qui in Olympico certamine, Olympiade decimasexta, cujus anno tertio, Numa rex constitutus fuit, stadium vicerit, in Italia oberrantem cum Numa congressum, eique in constituendo regno socium fuisse: cujus Pythagoræ doctrina effectum sit, ut Romanorum institutis multa Spartana sint admixta. Quin & oriundus fuit Numa ex Sabinis, qui se Lacedæmoniorum colonos esse ajunt. Sanè certum aliquid de tempore quo vixerit tradere, difficile est: eoq; magis, quod id ex Olympicorum certaminum victoribus sit æstimandum: quorum descriptionem seriò admodum Hippias Eleus edidit, nullo usus rei fundamento, cui fides necessariò esset adhibenda. Nos quæ de Numa II memoratu digna accepissemus, stylo statuimus persequi, proprio hoc narrationis sumto initio. Annus urbis conditæ, regnique Romuli trigesimus & septimus agebatur: cùm Nonis Quintilibus, quæ nunc Capratinæ vocantur, apud Capræ paludem extra urbem publicè Romulus sacrificavit, præsente senatu, populique maxima parte. ibi subito ingenti tempestate coorta, nubeque cum grandine & vento in terram delata, reliqua turba sparsim dilapsa, Romulus ita è medio sublatus est, ut neque ipse, neque cadaver ejus postea à quoquam sit conspectum. Et gravis de patriciis suspicio insinuabat, spargebaturque rumor in plebe, quod dudum regnum ægrè ferentes, summamque rerum in se transferre cupientes, regem interfecissent: eique fidem faciebat, quòd ipse insolentius eos proque imperio regio tractare jam incœperat. Eam tamen opinionem senatores minuerunt, Romulum inter Deos referentes, tanquam non mortuus, sed præstantioris conditionis esse cœpisset. Proculus quoque, vir primarius, juramento confirmavit, visum à se Romulum armatum in cœlum adscendentem, vocemque se audivisse ejus, *Quirinum* se nominari jubentis. Alius urbem tumultus, seditio- III que excepit de creando rege: nec dum enim advenæ satis cum prioribus civibus coaluerant: & cùm populus ipse inter sese fluctuabat, tum inter patricios dissensionum causa simultates erant: ac tametsi universis regnum placebat, controversia tamen erat, non modò quis, sed etiam ex utra gente rex deligendus esset. Quippe & hi qui primi cum Romulo civitatem incoluissent, nequaquam tolerandum existimabant, ut Sabini urbe agrisque à Romanis recepti, in eos, à quibus hæc accepissent, imperium sibi postularent: & Sabini

*An Pythagoræ discipulus fuerit Numa.*

*Romulus è medio sublatus.*

*Dissensio.*

quoque

quoque non iniquè agere videbantur, quod cùm Tatio mortuo nihil contra Romulum tumultuati, solum eum regnare passi fuissent, nunc iterum ex suo corpore regem constitui postcerent. neque verò se Romanis inferiores eis se adjunxisse, sed & accedentes multitudine sua rem Romanam corroborasse, & urbis dignitatem auxisse.

IV Hæ illis certaminum causæ erant. Ne tamen incerto Reipublicæ statu magistratuum vacatio confusionem pareret, patricii (qui erant CL. numero) inter se diviserunt regiam potestatem, ita quidem ut per ordinem quisque cum regalibus insignibus Diis sacra legitima faceret, & jus diceret, sex horas noctis, & sex horas diei Quirino. Hæc temporis divisio, mutatioque imperii, videbatur ad æqualitatem principum facere, & ad minuendam vulgi invidiam, cùm viderent spacio unius noctis ac diei, eundem & regē esse. & pervagatum fieri. Istam regni formam Romani interregnum vocant. Sed quanquam videbantur civili admodum minimeque molesta ratione præesse populo, tamen fremitum ejus turbasq; non evitarunt: inculantium, quod summam rerum in potestatem paucorum redigerent, remque publicam, diviso inter se principatu, eludere, neq; sub rege esse vellent. Tandem ita inter partes convenit, ut altera ex altera regem eligeret: ea enim potissimum ratione effici posse, ut & contentio cesset, & rex creatus utrisque ex æquo cupiat: alteris, quod eum elegissent: alteris, quod gentiles ipsius essent. Ergo Romani, cum prio-

V res Sabini ipsis optionem dedissent, potius regem ex Sabinis a se creandum, quam accipere, quem ex Romanis Sabini constituissent, rati, Numam Pompilium regem designant: virum, etsi inter eos Sabinos, qui Romam commigrassent, non fuerat, tamen ita virtutis gloria omnibus notum, ut audito ejus nomine Sabini majori quam à Romanis factum esset alacritate eum acciperent. Hac sententia populo exposita, legatos de communi consilio mittunt ad Numam ex primoribusque utriusque gentis, qui eum ut veniret, acciperetque regnum, orarent. Curibus Numa natus erat, oppido inter Sabinos præcipuo, & à quo se Romani unà cùm Sabinis sibi adscitis, *Quirites* appellaverant: filius Pomponij illustris viri, natu de quatuor fratribus minimus: edituso; in lucem eadem die, qua Romulus fun-

VI damenta urbis Romæ jecit, quæ fuit dies A.D.XI Kal Maii. Erat autem cùm natura compositis ad omnem virtutem moribus; tum verò disciplina, tolerantia, studioq; sapientiæ adhuc mansuetiorem sese redegerat, ejectis ex animo non iis modò, quæ apud omnes pro vitiis habentur, animi pravis affectionibus, sed vi etiam, & cupiditate, quæ apud barbaros laudi dantur: eam fortitudinem veram esse judicans, qua appetitus ratione coercentur. Hinc factum, ut omnem luxum, deliciasque domo exigens, omnibus se civibus hospitibusq; incorruptum judicem, consiliariumq; exhiberet. Cùm esset in ocio, non delectationi, aut quæstui sese dabat, sed cultui Deorum, contemplationiq; (quantum mente consequi poterat) naturę & potestatis eorum Itaq; tantum ejus nomen, tanta existimatio erat, ut Tatius

*Pompilius Numa rex eligitur.*

*Patria.*

*Ingenium.*

*Vxor.*

Romuli in regno collega unicam suam filiam Tatiam ei in matrimonium collocaverit. Neque Numam id conjugium eo extulit, ut ad socerum commigraret: sed in Sabinis mansit, senis patris curam gerens: Tatia quoque tranquillitatem privatæ cum marito vitæ præferente ei gloriæ ac honori, in quo Romæ propter patrem esse poterat. Atque hæc quidem memoratur decimo tertio post nuptias anno fati legibus concessisse. At Numa relicta urbe in agris solus VII vitam ducere, ac vagari, inque Deûm lucis, sacris pratis, & locis desertis commorari: quod institutum initio occasionem cum aliis dedit ei sermoni: Numam talem nimirum virum, non animi ægritudine aut errore consuetudinem hominum subterfugisse: sed quod gustavisset diviniorem consuetudinem, ac dignus Deûm connubio habitus, cum Egeria Dea ejus amore capta degeret, virque beatus & rerum divinarum sapiens evasisset. Equidem obscurum non est, *A diis amavi.* eum sermonem similem esse antiquarum, illarum fabularum, quas Phryges de Atte, Bithyni de Herodoto, de Endymione Arcades accepta approbaverunt. Sanè ita traditum est, Deum non equorum, aut volucrum, sed hominum amatorem esse, cupereque cum optimis conversari: neque aspernari, aut contemnere viri sapientis ac temperantis consuetudinem: sed vel Deum, vel genium humani corporis formæve usu delectari, non facilè est ostendere. Quanquam enim Ægyptiorum distinctio aliqua ex parte probabilis videtur, qui fieri posse ajunt, ut spiritus Dei cum muliere coeat, eique sobolis quædam principia ingeneret: viris autem corporum cum Deo nihil esse commercii: tamen non animadvertunt illi, id quod miscetur, naturæ suæ communionem impertire. Enimverò absurdum non VIII est, Diis erga homines amicitiam tribuere, amoremque qui ei præesse dicitur, qui amor ad morum & virtutis studium incitet: neque peccant qui Phorbantem, Hyacinthum, & Admetum ab Apolline dilectos fuisse fabulantur, itemque Hippolitum Sicyonium: de quo traditum est, quoties Sicyonie Cirrham transfretaret, prædixisse id Pythiam, tanquam sentiente Deo, gaudenteque ob ejus adventum, & hunc versum Heroicum cantante:

*Dulce iterum caput Hippolyti nunc æquore fertur.*

Fingunt etiam Pindarum, ejusque carmina à Pane dilecta: etiam Archiloco, & Hesiodo divinitus propter Musas honor tributus fertur. Sophoclis & viventis hospitio usum Æsculapium rumor est, cujus multa etiamnum extant indicia: & ab alio Deo ajunt curatum ut sepeliretur mortuus. Quæ si vera esse concedamus, negandum ne jam erit, cum Zaleuco, Minoe, Zoroastre, Lycurgoque regna temperantibus, resque publicas componentibus Deos congressos fuisse? An verò ita potius statuendum, Deos cùm his seriò consuetudinem habuisse, ut de rebus optimis eos docerent atque adhortarentur? Poetis autem & Lyricis cantantibus siquidem adfuerint, ioci & animi causa adfuisse? Quod si quis diversum à nobis sentit, id ei per nos est integrum: nam (ut ait Bacchilides) lata est via. Exenim ne

altera

altera quidem, quæ fertur de Lycurgo Numa, aliisque eorum similibus viris sententia quicquam absurdi habet: eos, quod contumaces, atque morosas hominum multitudines curandas haberent, ingentesque rebus publicis mutationes inferrent. opinionem divinitatis iis, apud quos eam simularent, saluti futuram, sibi assumpsisse. Verum enimverò ad Numam, annum agentem quadragesimum, Roma legati venerunt, ad regnum suscipiendum eum cohortantes oravère Proculus & Volesus: (de quibus opinio fuerat fore, ut alteruter rex eligeretur, inclinantibus ad Proculum Romanorum, ad Volesum Sabinorum animis) idque paucis, quod eam fortunam Numæ acceptissimam futuram arbitrabantur. At verò non nullius negocii res erat: sed persuaderi viro, qui in ocio & pace vitam egisset, ut ab hac ad gubernandam eam urbem transiret, quæ bello quodammodo constituta, & aucta esset, non nisi longa oratione, precibusque poterat. Et Numa, patre suo, & Marcio uno cognatorum præsentibus, hanc habuit orationem. Cum omnis vitæ humanæ mutatio, periculosa est, tum qui in præsenti statu nihil quod desideret, nihil quod culpet, habet: is usitatam sibi vitæ rationem nulla alia re quam stultitia adductus mutat atque à consuetis alio transfert, quibus si nihil aliud boni adest, at profectò firmitate ipsa ignotis præstant. At enim quæ res sit regnum, ex Romuli fortuna conjicere licet, qui insidias Tatio collegæ fecisse culpatus, de patribus etiam sinistram suspicionem, ab iis interfectus esse creditus, excitavit. At qui Romulum Deorum prolem hi celebrant, divinitusque ei nutritionem, salutemque incredibili modo allatam infanti perhibent. Me & ex hominibus natum, & ab hominibus educatum institutumque, haud vos clam est. Mores, qui in me laudantur, longè ab iis differunt, qui in rege futuro requirantur. summum ocium, assiduum philosophiæ, quæ à rebus gerendis est aliena, studium, vehemens pacis amor, qui unà cum vita adoleverit, ususque rerum belli expertium, & hominum, qui religionis tantum amicitiæque causa in unum convenire soleant, alioquin pro se quisque agriculturæ pecorive pascendo vacet. Vobis autem Romani, multa fortassis etiam insperata bella reliquit Romulus, atque propulsanda urbs vestra rege ferventis pectoris ac juvene indiget. Bellandi etiam cupiditate populum consuetudo & successus implerunt, qui haud obscurè augeri, aliisque dominari expedit. Quare ridiculus omnino sit futurus rex, qui cultui Deûm intentus, justitiam amplecti, vim & bellum odio habere doceat in ea urbe, quæ imperatore magis quam rege opus habeat. His illum verbis regnum detrectantem, summopere orare Romani, ne ipsos iterum in seditiones, intestinumque bellum conjicere vellet, nullo alio exstante, in quo rege constituendo duo populi essent consensuri. Pater quoque & Marcius illis digressis, privatim instare, adhortarique, uti magnum ac divinitus oblatum munus acciperet. Si suis rebus contentus, divitias non requireret, neque gloriam imperii & potentiæ affectasset unquam, virtutis famam

*Oratio Numæ regnum recusantis.*

*Numa suasu patris & Marcij regnum accipit.*

mam potiorem adeptus: at regnare cultum Dei censeret esse, qui tantam in ipso justitiam excitaret, neque ociosam jacere pateretur. Non igitur imperium subterfugeret, quod viro prudenti multarum atq; præclararum actionum locum daret: in quo & magnificè Deos venerari liceret, & homines ac religionem facilimè principis ductu
" possent emolliri atque traduci: certè eos & Tatium advenam dilexisse, & Romuli memoriam divinis honoribus colere. Cui verò constaret, jamne victore populum bellorum satietas incessisset, triumphisque & spoliis expleti, pacis vitæque secundum leges agendæ
" causa principem placidum, justitiæque deditum exposcerent? Quod
" si penitus insano belli studio æstuarent, profectò expedire, ut ipsi,
" qui suis in manibus fræna esset habiturus, alio impetum eorum
" converteret: patriæ autem, Sabinoque universo nomini benevolentiæ amicitiæque cum populo augescente potenteq; vinculum con-
" firmaret. Accessisse his ferunt eorum verbis ad persuadendum, XII
cùm signa prospera, tũardorem civium ac studium: qui ubi de legatione certiores essent facti, statim ab eo precibus contenderint, iret, acceptoq; regno societate cives constringeret. Itaq; ut assensit, re sacra diis peracta, Romam ivit. obviam ei processum est à senatu, populoque miro omnibus viri amore affectis: prosecutæ sunt etiam mulieres cum honestis acclamationibus. sacrificatum per templa omninoque id erat omnium gaudium, tanquam non rex urbi, sed regnum obtigisset. Cùm in forum esset perventum, Spurius Vettius,

*Inauguratio.*

qui per eas oras Interrex erat, populum suffragia ferre jussit: omnium suffragiis Numa rex est declaratus, insignibus autem regni ad se allatis, expectare jussit: sibi enim à Deo quoque prius regnum confirmari oportere. Tum acceptis secum auguribus & sacerdotibus, in Capitolium (quod tum Romani Tarpeium collem nominabant) adscendit; ibi qui inter augures primum locum obtinebat, Numam ad meridiem conversum, capite ejus velato, collocavit: ipse à tergo adsistens, dextraque caput ejus tangens, Deos comprecatus, oculos in omnes partes obvertit, observans auguria signave, quæ Dii obtulissent. In tanta hominum, quæ forum occupaverat, multitudine silentium fuit incredibile, suspensis animis eventum expectantium: donec aves bonæ ac secundæ apparuerunt, regnumque Numæ addixerunt. Ita demum regiis vestibus indutus, ab arce ad populum descendit, acclamantibus civibus piissimumq; & Diis carissimum regem salutantibus. Regno accepto, primùm turmam XIII
trecentorum juvenum quibus assiduis sui corporis stipatoribus

*Celeres dimissi. Flamen Quirinalis.*

Celerum nomen Romulus fecerat, dimisit: quod neque diffidere sibi credentibus, neque rex diffidentium esse volebat. deinde flaminibus Jovis & Martis, tertium Romuli addidit, Quirinalemque dixit. Flaminum nomen etiam majoribus natu tributum tradunt, à pileis quibus capita operiebant, quasi *pilamines*: quia eo tempore

*Græca voces antiquo Latio visitatæ.*

plura, quàm hodie Græca vocabula fuerint Latinis intermixta: quemadmodum etiam lænas, regum vestem, luba chlænas (quæ est

Græca,

Græcâ vox) esse ait: ac puerum pubescentem, qui templi Iovis est minister, Camillum dici solitum, sicut & Græcorum nonnulli Mercurium à ministerio Camillum appellaverunt. His ita ad gratiam & benevolentiam populi constituti, Numa confestim aggressus est urbem tanquam ferream, ex rigida & bellicosa molliorem justioremque efficere. Qualem enim civitatem inflammatione tumentem Plato appellat: talis tum Roma erat, quæ initio ex hominibus audacissimis bellicosissimisque eo temerario impetu confluentibus coaluerat, ac deinde multis expeditionibus, continentibusque bellis quasi enutrita potentiam auxerat, & quemadmodum ea quæ materiæ alicui infixa sunt, si concutiantur, adhuc altius defidunt cor-
XIV roborata periculis fuerat. Ita æstuantem exasperatumque populum tractare, & ad pacem traducere intelligens negotium non parvi, neque vilis foret laboris: à religione auxilium petit ferocem, belliquecupidam multitudinem plerunque sacrificiis, pompis, & choreis, quarum ipse dux auctorque esset, & quæ majestati delectationem gratam, voluptatemque haberent adjunctam blandam, cicuravit atque delinivit: nonnunquam terrores à Diis oblatos, spectraque geniorum prodigiosa, & voces parum propicias renuncians animos eorum superstitione captos dejecit. Quæ res cùm primis effecit, ut sapientiam disciplinamque suam Numa Pythagoræ consuetudine parasse videretur. Nam & hujus philosophiæ, & illius civilis prudentiæ magna pars in congressu cum diis, & studio religionis consumebatur. Iam splendorem etiam externum, habitumque eodem quo Pythagoras consilio assumpsisse dicitur: qui aquilam cicuratam, cùm supervolaret, vocibus quibusdam sistere atque deducere solitus, & in Olympiis per cœtum populi transiens, femur aureum ostendisse, aliisque portentosis machinationibus & actionibus usus fuisse perhibetur, propter quas etiam Timon Phliasius scripserit:

*Pythagoræ philosophia.*

*Pythagoram, ad magicas studio qui numinis artes*
*Transit, & impostor tumidis illudere suetus.*
*Verborum ampullis homines venatur inanes.*

At Numa Deæ cujusdam seu Nymphæ amore, congressusque secum occultos, ut demonstratum supra, & cum Musis consuetudinem prætendebat. Pleraque enim vaticinia Camœnis accepta referebat: docuitque Romanos unam summo cultu, venerari, Tacitæ nomine: quod eo instituisse videri potest, ut Pythagoricum silentium
XV referret, atque commendaret. Præterea leges de simulachris positæ, germanæ sunt Pythagoricis placitis. Pythagoras enim principium omnium rerum non sensile, aut motui obnoxium, sed invisibile, interitus expers, soloque intellectu perspici quod posset, esse statuit. Numa Romanis usu effigiei alicujus divûm, quæ hominis aut animalis cujuscunque formam haberet, interdixit. Neq; priscis illis temporibus fuit apud illos vel picta ulla imago Dei, vel ficta: sed primis centum atque septuaginta annis etsi templa ædificassent,

*Numa cum Egeria & Musis consuetudo.*

atque sacras casas struxissent, nullum tamen omnino simulacrum efformavere: nempe eo, quod & nefas esset præstantiora deterioribus adsimilare, neque Deum aliter quam mente attingi posse censerent. Sacrificiorum quoque ritus Pythagoricæ religioni proximè accedunt: fiebant enim sine sanguine & plerunque farina, libatione, robusque vilissimis constabant. Aliunde quoque ductis conjecturis nituntur, qui horum virorum familiaritatem fuisse contendunt. Quarum una est, quod suæ reipublicæ Romani Pythagoram adscripserint: ut Ephicarmus Comicus poeta, vir antiquus, & à Pythagorica disciplina, in oratione quadam ad Antenorem narrat. Altera, quod è quatuor suis filiis unum Numa Mamercum à filio Pythagoræ appellarit: ab eoque Aemiliorum familiam, quæ fuit inter patricias, dictam ajunt, innuente rege ejus viri in dicendo suavitatem & leporem, quæ est Græcis *æmilia*. Ac nos ipsi etiam Romæ multorum ex sermone accepimus, Romanos quondam, cùm oraculum accepissent, ut prudentissimi Græcorum, atque fortissimi in urbe statuas ponerent, æneas duas statuas in foro collocasse, unam Alcibiadis, alteram Pythagoræ. Sed hæc quidem multis controversiis implicata, tam agitare prolixius quàm probare pro veris, juvenilis est temeritatis. Porrò autem Numę sacerdotum quoque creationem adscribunt, ipsumque unum primumque inter eos fuisse affirmant. His autem Pontificibus nomen factum esse, sive quod Deos colunt, qui omnium sunt rerum potentes: sive, quod aliis placuit, exceptionem id nomen significat: quod legumlator juberet ab iis ea, quę possent præstari, sacrificia peragi: neque iniquus esset ipsis, si quod gravius impedimentum intercessisset. Plurimi maximè ridiculam nominis rationem probant: scilicet à Ponte tantùm faciendo eos pontifices dictos, à sacrificiis, quæ in ponte fiebant sanctissima omnium & vetustissima: hujus autem pontis conservationem, ac procurationem, tanquam unam ex cæremoniis immobilibus atque antiquis, ad sacrificos pertinere: & pontis sublicii dissolutionem, apud Romanos pro re nefaria & detestabili habitam. ferunt que pontem hunc totum ligneum, jussu oraculi cujusdam absque omni ferro compactum fuisse: nam lapideus longo post tempore, quæstore Aemilio est confectus. Attamen ligneum quoque pontem post Numæ exitum à Marcio, filiæ ejus filio, constructum invenio. Pontifex autem maximus, interpretis Deûm, vatis, adeoque sacrorum enarratoris doctorisque loco est, non modò publicorum sacrificiorum curam gerens, sed privata etiam inspiciens, ac ne quid præter legitima fiat, prohibens, docensque quibus cuique rebus ad honorandos, exorandosve Deos opus sit. Sacrarum quoque virginum, quas Vestales appellant, magister erat. Nam harum quoque sacerdotii, totiusque de igne perpetuo, quem eæ custodiunt, ritus auctorem Numam faciunt: sive is puram & incorruptam ignis naturam sinceris atque castis corporibus curandam dare voluerit: sive rem fructu & fetu carentem virginitati accommodaverit. Quanquam in Græcia,

*Alcibiadis & Pythagoræ statuæ Romæ.*

*Pontifices a Numa instituti.*

XVI

*Sublicius pons.*

*De Vestalibus.*

XVII

cia, ubi ignis perennis conservatur, ut Delphis & Athenis, non virgines, sed mulieres jam per ætatem ad conjugium ineptæ ei præficiuntur. Qui si casu aliquo exstinguatur (veluti Athenis sacram lucernam ajunt, Aristione tyrannidem tenente, exstinctam fuisse, & Delphis incenso à Dedis templo, belloque Mithridatico; & civili etiam, simul aram & ignem periisse) accendere eum ab alio igni non licere tradunt, sed renovandum esse flammamque eliciendam à Solis radiis puram & sinceram. Eam ad rem instrumentis utuntur, quæ *scaphia* nominant. sunt autem excavata in modum turbinis rectanguli: hæc si adverso Soli opponantur, fit ut radii Solares in circumferentiam undique incidentes, ad centrum omnes concurrant, itaque & aerem tenuem reddant & materiam (quæ levissima siccissimaque instrumentis imponitur) statim inflamment: quia videlicet radii solares à corpore renitente ita coguntur & stipantur, ut naturam ignis accipiat. Quidam à Vestalibus virginibus nihil præter ignem illum perpetuum adservatum opinantur: quidam sacra quædam ab iis occulta attineri putant, quæ aliis aspicere non liceat: de quibus quantum & audire & dicere fas est, in Camilli vitam scripsimus. *Ignis à Sole accenditur.*

XVII Primum à Numa sacratas ajunt Geganiam ac Vereniam: deinde Canuleiam & Tarpeiam: postmodò duas à Servio superadditas, numerum istum ad hæc usque tempora retentum. Præscripsit autem rex Vestalibus triginta annorum castimoniam. primo decennio discunt ea quæ sint sui officii, altero ea exercent, tertio alias ipsæ eadem docent. Secundum hoc tempus permissum est illis quæ velint, deposito sacerdotio nubere, aut aliud vitæ genus deligere. fertur tamen, non multas hac licentia usas: & iis, quæ eam amplexæ fuissent, adversas res eveniſſe, pœnitentiaque & mœstícia reliquum vitæ tempus vexatas, reliquas in eam superstitionem adduxisse, ut ad senectutem potius, exitumque vitæ virginitatem perservarent. Magnos honores his sacerdotibus tribuit Numa, è quorum numero est, quod licebat vivo adhuc patre testamentum condere: quod sine tutore omnia agere poterant, haud secus quàm jus trium liberorum adeptæ: cùm in publicum progrediuntur, lictores secum habent. ac si tum forte ad capitale supplicium aliquis ducatur, is non necatur: jusjurandum tamen ab ipsis exigitur, forte fortuna se, non data opera, interveniſſe. Porro autem qui subit lecticæ, qua ipsæ vehuntur:

XIX moritur. Si quid deliquerit Vestalis, verbera ei à summo Pontifice infliguntur, aliquando etiam nudæ linteo prætenso, in obscuro & umbroso loco. At quæ virginitatem polluit, viva defoditur juxta portam Collinam. Est ibi intra urbem tumulus quidam terreus, in longum porrectus, *Aggerem* Latini vocant: in eo domus subterranea non magna, in quam ex superiori parte descensus fit, paratur: in eaque lectus constratus, lucerna ardens, paucæque eorum, quæ ad vitam fovendam necessaria sunt primitiæ reponuntur, ut panis, aqua, lac in vasculo, & oleum. tanquam nefas putent fore, si corpus summis consecratum sacrimoniis fame pereat. Tum illam, quæ sup- *Supplicia Vestalium.*

plicio est afficienda, lecticæ impositam extra opertæ, lorisque revinctam, ita ut ne vox quidem exaudiri possit, per forum vehunt: ei omnes via decedunt taciti, & ingenti cum mœsticia silentes transmittunt, neque est horribilius ullum spectaculum, aut dies quam urbs agat tristiorem. Vbi ad locum, quem dixi, lectica pervenit, vincula lictores solvunt: at princeps sacrorum secretò quædam comprecatus, manibus ad Deos sublatis ante quàm necessitati supplicii satisfaciat, obvelatam educit, & in scalis deorsum in domum deferentibus constituit, ita ipse cum reliquis sacerdotibus revertitur. postquàm damnata descendit, sursum gradus attrahunt, multaque supernè terra ingesta domus occulitur, complanaturque. Eo modo supplicium de his, quæ sacrosanctam virginitatem prodiderunt, sumitur. Præterea traditur, Numam custodiæ causa perenni igni Veste templum circumdedisse: quod rotundum ab eo extructum est. non ut terræ (quasi ea Vesta esset) sed ut universi figuram exprimeret, in cujus medio ignem collocatam Pythagorei censent, eumque Vestam & unitatem appellant. Idem terram neq; immobilem, neq; in medio circumferetiæ sitam autumant, sed in orbem circum ignem ferri, ac neq; de præstantissimis, neq; de primis mundi partib. unam esse. Atq; eadem Platonem quoq ætate provectum de terra sensisse aiunt, non eam in medio universi collocatam: sed centrum atq; præcipuum situm nobiliori alicui naturæ deberi. Ista etiam quæ ad sepulturam pertinent, Pontifices poscentibus expediunt: docuitque Numa, nihil ejus rei pro piaculo habendum: sed & manes qui præcipuam nostri partem accipiunt, sujs religionibus colendos; præsertim verò Libitinam, quæ Dea mortuorum justa procuret. sive ea Proserpina est, sive Venus quod doctissimi inter Romanos judicant, haud absurde ejusdem numinis potestati ortus interitusque nostri rationem imputantes. Luctui etiam habita ætatum & temporum ratione modum præscripsit. nimirum pueros, ac minores triennio non lugendos: majores natu, non plures menses lugere iis quos vixissent annis permisit, usque ad denarium numerum: neque amplius ulli ætati concessum. Itaque longissimum luctus tempus, decimo mense fuit terminatum: ac tandiu etiam mulieres à morte maritorum viduæ permanebant: quod si qua intra decimum mensem iterum nupsisset, eam leges Numæ vaccam prægnantem immolare jubebant. Enimverò cùm alia multa sacerdotia instituerit Numa, ductum adhuc tantum mentionem faciam, Saliorum ninurum, atque Fecialium; quæ maximè viri hujus pietatem ostendunt. Feciales pacis erant custodes nomen (ut mea fert opinio) ab ipsa re habentes. verbis enim ii lites solvebant, nec nisi omni prius spe juris obtinendi præcisa, bellum suscipi sinebant: pacem enim ab εἴρειν, dicendo Græcè vocant, cũ non vi, sed colloquio discordiæ componuntur. Feciales autem Romanorum sæpe numero ad eos qui injuriam intulissent, proficiscebãtur, eosq; ad justitiam cohortabãtur. quod si ii in iniquitate perstarent, deos contestati, multaque mala si-

*Terræ situs & natura secundum Pythagoreos.*

XX

*Funerum & iustorum ritus.*

XXI

*Luctus.*

*Viduitas.*

XXII

*Feciales.*

bi ipsis ac patriæ imprecati, nisi justè injuriam defenderent? ita demum bellum iis indicebant. Fecialibus prohibentibus, injussuve eorum, neque militi fas erat, neque regi Romanorum arma movere: sed oportebat principem ab his belli initio tanquam justi accepto,
XXIII. præterea considerare quid facto usus esset. Fama etiam tenet, Gallicam calamitatem Romæ accidisse, Fecialium jure violato. Oppugnabant Clusinos barbari. ad eos in castra missus legatus Fabius Ambustus, ut pacificatione composita obsessos bello eximeret: cùm asperius ei responsum esset; ratus legatione se defunctum, temerario animi ausu pro Clusinis arma cepit, & ad certamen Gallorum virtute potissimum provocavit, pugnamque secundam fecit, & dejectum hostem spoliavit. At Galli re cognita, præcone Romam misso Fabium accusavère, quod contra fœdera fidemque bellum non denunciatum ipsis intulisset. Ibi cùm senatui Feciales persuasissent, ut Fabium Gallis ad supplicium dederent, ad plebem is confugit: ejusque studio usus, judicio se eripuit. Paulò post Galli, Romam adducti copiis, totam excepto Capitolio urbem vastavere: qua de re
XXIV. vin vita Camilli accuratius dictum est. Saliorum constituendorum hanc ei fuisse occasionem dicunt oblatam. Regnante eo annum jam octavum, pestilens morbus grassatus Italiam afflixit, urbemque Romam. Ejus rei causa mœrente populo, ferunt peltam æream è cœlo delapsam, in Numæ manus incidisse. de ea Numam mirabilem orationem habuisse, cujus quidem Egeriam & Musas auctores perhibuerit: eam peltam in salutem urbis missam, oporterèque eam asservari, undecim aliis confectis, quæ figura, magnitudine, formaque ejus essent: adhibiles: ut propter eam similitudinem furibus eam quæ cœlo delapsa fuisset investigandi facultas adimeretur. Præterea locum etiam & prata, ubi secum Musæ frequenter convenirent atq; communicarent, Deabus istis, & fontem, quo locus is irrigatur, Vestalibus consecrandum, ut quotidie inde haurientes, aspergerent ea purgarentque fanum. Confirmatam porro, hanc ejus orationem subitò luis fine. Cùm peltam artificibus proposuisset, ut de similitudine effingenda certarent, reliquis diffidentibus, Veturius Mamurius traditur, qui inter summos eo tempore artifices erat, ita eam expressisse, adeoque omnes inter se peltas conformes fabricatum fuisse, ut ipse etiam Numa discernere nequiverit. Harum peltarum
XXV. custodes & ministros ille Salios sacerdotes constituit. Salii nominantur, non (ut fabulantur nonnulli) à Salio quodam Samothrace aut Mantinensi, qui saltationem armatam docuerit: sed ab ipsa potius chorea, quæ saltibus constat, quam per urbem circumeuntes ducunt, cùm mense Martio sacras peltas gestant, puniceas tunicas induti, mitrisque, latis æreis cincti, & paleas æreas ferentes pugionibusque arma pulsantes. Reliqua tripudii pars pedum officio constabat: movebantur enim eleganter, celeriter atque confertim orbes implicantes evolventesque, multumque in eo roboris & agilitatis ostendentes. Ipsas peltas ancilia appellant à figura. non enim

*Saliorum institutum.*

*Ancilia facta.*

ea est

ea est rotunda, neque instar parmæ circulum explet, sed excisæ sunt in modum lineæ volutæ, cujus apices curvitatem habent, ac qua peltæ crassissimæ sunt, in se convertuntur, formamque curvam seu uncinatam exprimunt: sive à cubito, quo gestantur, quem *anconem* Græci dicunt Hæc enim Iuba adfert, cupiens vocabulum græcæ linguæ vendicare. Ac potest etiam nomen inde deductum videri, quod desuper (id *anecathen* Græci dicunt) delatum sit ancile: aut à remedio morbi, quod est illis *acesis*: aut à squaloris (hoc est, ut ipsi loquuntur, *auchmû*) solutione: aut denique à mali istius cessatione, quam *anschesin* iidem efferunt: unde & Castor Polluxque gemini *anaces* sunt ab Athenienſibus cognominati. siquidem omnino nomen ancilium Græco sermoni sit adserendum. At Mamurio mercedis nomine datum ajunt, ut eum Salii inter Pyrrhicam saltationem cantarent. alii Veturium Mamurium eum, qui caneretur, fuisse tradunt: alii veterem memoriam. Numa sacerdotiis ordinatis, re- XXVI
*Regia Numæ.* giam ædificavit prope templum Vestæ: ibi ut plurimum degebat sacra peragens, aut docens sacerdotes, aut unà cum illis rerum divinarum considerationi vacans. Aliam quoque domum habuit juxta collem Quirinalem, cujus hodie adhuc locus monstratur. Cùm verò sacrorum pompæ ducerentur, præcones per urbem præcedebant,
*Religioni serio vacandum, non obiter.* vacare, & ab opere desistere jubentes. Nam quemadmodum ferunt Pythagoricos noluisse, ut obiter quisquam in transitu Diis supplicaret: sed ut domo prius mente ad hoc præparatus adoratum veniret: ita Numa censuit debere cives nihil rerum sacratum vel videre, vel audire obiter & neglectim: sed vacantes ab omnibus aliis rebus, cultui Deûm, tanquam maximo negocio, animum intendere, & tempore sacrificiorum, vias sonitum, strepitum, gemitum, aliorumque id genus, quæ duros & illiberales labores sequuntur, vacuas exhibere. Cujus rei etiamnum vestigium quoddam Romani servantes, principe circa auguria aut sacrificia occupato, clamant,
*Hoc age. Numa de religione symbola, Pythagoricis haud absimilia.* *Hoc age*: quæ vox eos qui intersunt, ad rem quæ agitur attentos reddit. Præcepta quoque Numæ multa Pythagoricis fuere germana. XXVII
Nam ut ille jussit, supra chœnicem non sedere, ignem gladio non perturbare, peregrè abeuntes non retrospicere, Diis superis impari numero sacrificare, inferis pari: quorum omnium sensum clam vulgo habuit: ita & Numæ quædam instituta, rationem habent arcanam. Cujus generis sunt, Diis non libandum ex vite non putata: neque litandum sine farina: adorantem in orbem ipse circumagere: & sedere peractis precibus debere. Horum priora duo videntur docere, aliquam pietatis partem in moribus cicurandis quasi, & ad mansuetudinem componendis positam esse. Conversio autem illa inter precandum, fertur ea quidem motum universi exprimere: sed vero propius est, quoniam Deûm templa ad solem orientem spectant, eum qui precatur, inde se in orbem circumvertere, dum ad Deum redeat, eoque voti sui perfectionem indicare. nisi potius quod Aegyptiorum rotæ obscurè repræsentant, idem hoc Numæ institutum

decla-

declarat: videlicet nihil in rebus humanis ſtabile, ideoque conveniens eſſe, ut quocunque modo vitam noſtram Deus torqueat atque revolvat, boni conſulamus. Quod autem precibus abſoluris ſedere iuſſit augurii vim habere dicunt; quia bonorum vota certa ſint & firma futura: præterea quietem actionum eſſe interſtitium: ideo quaſi priori actione perfecta, Diis aſſidere eos, ut ab iis alterius initium ſumant. & ab his non diſcrepat, ſi dicamus, voluiſſe Numam nos aſſuefacere, ut non aliis occupationibus diſtenti obiter atque feſtinantes cum Diis agamus, ſed cùm ocium ſit nobis ad eam rem, XXV ac tempus. Hæc religionis diſciplina adeo urbs manſueta eſt redIII dita, adeoque vim Numæ obſtupuit: ut fabularum ſimiles ejus ſermones admitteret, nihilque abſurdum eſſe, aut fieri non poſſe judicaret, quod ille voluiſſet. Traditum eſt, invitatum ab eo quodam tempore haud parvum civium numerum, appoſitaque illis vaſa vilia, & cœnam tenuem plebeiamque: initio autem cœnæ ab ipſo ſermonem illatum, Deam, cùm qua rem haberet, ad ſe venturam: confeſtimque ipſum monſtraſſe domum & poculis precioſis & menſas obſoniis omnis generis, apparatuque lauto repletas. Sed quod de ejus cùm Iove congreſſu narratur, id longè omnium abſurdiſſimum eſt. Aventinus collis, cùm nondum eſſet urbi additus, neque habitaretur adhuc, fontes habuit largos, ſaltuſque umbroſos: eò duos genios frequenter commeaſſe fingunt Picum & Faunum, ex Satyrorum (ut videri poteſt) aut Titanum genere: ſed qui eadem quæ apud Græcos ii profitebantur, qui Dactyli Idæi ſunt cognominati, nimirum veneficiorum, & magicæ artis divinationiſque peritiam tractantes, Italiam peragrarent. Hos à Numa captos eſſe, qui fontem ex quo bibere conſueviſſent, vino & melle infecerit, deprehenſoſque cùm in varias formas tranſiiſſent, oculiſque terribilia ſpectra objeciſſent, arctius tamen conſtrictos ſe cognoſcerent, quàm ut effugere poſſent: cum alia multa futura vaticinatos fuiſſe, tum fulminum expiationem docuiſſe, quæ nunc quoque cepis, capillis, & mænidibus piſciculis conficitur. Hanc alii non ab ipſis genis demonſtratam, ſed Iovem eorum incantationibus cœlo detractum, indignatumque Numæ præcepiſſe, ut eam perageret capitibus: Numamque ſubdidiſſe, *ceparum*, Tum Iovem, *hominum* dixiſſe, & Numam ſubjunxiſſe, *capillis*: denique Iove, *animatis* addente, Numam appoſuiſſe, *mænidibus*. Hæc Numam ita ab Egeria inſtructum intuliſſe, Iovemque propicium factum diſceſſiſſe: loco nomen inde *Iſicium* fuiſſe impoſitum, & expiationem in eo modo fieri conſueviſſe. Hæc ut ſunt fabuloſa, & ridicula: ita oſtendunt, quam de Diis XXIX opinionem conſtituto ejus ætatis hominibus indiderit. Ipſi quidem Numæ tantum in diis fiduciæ fuiſſe memorant, ut cùm ei aliquando renunciaretur hoſtes ingruere, ſubridens dixerit: *At ego rem ſaeram facio*. Primus Numa, ut memoriæ proditum eſt, Fidei Terminique fana condidit, Fideique juramentum Romanis maximum propoſuit, quo adhuc utuntur, Termino publicè, & privatim ad

*Fabula de Egeria cum Numa congreſſu.*

*Picus & Faunus.*

*Fulminum expiandorum ritus.*

*Fidei & Terminis ſacra.*

agro-

agrorum limites imolant, nostro quidem tempore animata, tum vero citra sanguinem. Numæ enim sapientia ita ferebat, ut terminorum Deus, custos pacis, justiciæque testis, purus cædis esset. Agrorum quoque per terminos descriptio tota ad Numam referenda est. Romulus enim noluit mensura ejus, quod suum esset, fateri, quantum alius abstulisset. nam intelligebat; siquidem limites non violarentur, facto constitutum, quid in cujus potestate esset, at violato eo, terminum esse manifestum injusticiæ illatæ documentum. Et ita xxx
nè initio non erat magnus ager Romanus: sed plurimum ejus Romulus bello paravit. Eum omnem Numa inter inopes divisit cives, paupertate, quæ ad maleficia adigeret, sublata, populum ad agriculturam convertens, ut simul cum tellure is mitesceret. Nullum enim est studium, quod tam acrem, tamque celerem pacis amorem hominibus ingeneret, quàm victus agricultura quærendus: in quo audacia militaris, quæ in defendendis propriis rebus requiritur, permanet atque adest: quæ vero ad invadenda aliorum bona cupiditati licentiam præbet, exciditur. Quamobrem agriculturam civibus suis Numa, tanquam iis poculum amoris misceret, commendandam ratus (quam artem magis bonorum morum, quàm divitiarum effectricem probabat) agros in partes distribuit, quos pagos dixit: singulis inspectores præfecit, ipse quandoque inspectum venit, conjecturaque morum ex operibus civium facta, aliis honores & fidem habuit, alios socordiæ causa increpatos castigavit. Inter reliqua xxxi
ejus statuta, distributio multitudinis secundum artificia meruit summam admirationem. Cùm enim urbs ex duabus gentibus (veluti ostensum est) constare videretur: re autem ipsa dissideret, ac in unum coalescere nullo modo vellet, neque diversitatem & differentiam liceret abolere, sed essent perpetuæ inter partes offensæ atque contentiones: cum animo suo reputans, ea corpora, quæ suapte natura difficulter aliis ob duriciem misceri possent, confracta in particulas, propter harum exiguitatem inter sese demum coire, atque commisceri posse: statuit universam multitudinem in plures portiones partiri, atque ita primum illud & magnum discrimen in minora tributum è medio tollere. Divisit autem secundum artificia, ut suum peculiare corpus haberent tibicines, suum aurifices, architecti, tinctores, sutores, coriarii, fabri ærarii, figuli: reliquas artes etiam singulas omnes in unum suum quamque corpus redegit. porro unicuique generi suos peculiares conventus, & religiones præscribens. Tum primum ita ex urbe sustulit eam diversitatem, qua alii Romani, alii Sabini, hi Romuli, illi Tatii cives censebantur: suaque divisione id consecutus est, ut omnibus cum omnibus conveniret, ac commercia intercederent. Laudatur etiam legis correctio ab eo facta, qua patri jus filiorum vendendorum cõceditur: ei enim exemit maritos, qui patrum voluntate & jussu uxores duxissent: indignum ratus, mulierem, quæ libero nupsisset cogi, ut cum servo viveret. Cæleste quoq; motuum rationem Numa, ut non exacte xxxii
tracta-

*Agriculturæ laus.*

*Pagi.*

*Distributio multitudinis secundum artificia.*

tractavit, ita non inerudite tamen attigit. Sub Romulo mensium nulla ratio constabat, nullus ordo; sed alii paucioribus quàm viginti, alii trigintaquinque, alii pluribus etiam diebus censebantur: neque varietatem cursuum Solis & Lunæ intelligebant, sed observabant id unum, ut annus trecentis & sexaginta diebus conficeretur. Numa supputans undecim diebus annum lunarem à solari differre, quod ille diebus CCCLIV. hic CCCLXV. constaret. duplicavit illos dies undecim, ac alternis annis post Februarium inseruit mensem intercalarem, qui Romanis Mercedonius dicitur, habetq; dies XXII. Sed futurum erat, ut hæc inæqualitatis correctio majora alia remedia requireret. Ordinem etiam mensium immutavit, Martio, qui ante primus fuerat, tertium tribuens locum, Ianuario primum, Februario secundum: quorum hic ultimus, ille undecimus Romuli XXX temporibus fuerat. Multi Ianuarium ac Februarium additos reliIII quis à Numa dicunt. Romanos enim initio decem tantum mensibus annum composuisse, ut quidam barbari tribus, de Græcis Arcades quatuor, Acarnanes sex, Aegyptii unico; ac deinde quatuor, ut traditur: unde fit, ut hi quanquam novissimam terram incolant, vetustissimi tamen putentur esse, ingentem annorum in recensionibus generum afferentes: quippe qui menses in annorum numero ponant. Romanos porro non duodecim, sed decem principio menses anni unius constituisse, nome postremi mensis declarat, qui in hunc usque diem December nominatur: itemque Martium primum fuisse in ordine. ex eo liquet, quod quintum ab eo, Quintilem, Sextum sextilem, & sic porrò dixerunt. nam Ianuario & Februario ante Martium positis, usu veniebat, ut Quintilem eum dicerent, qui septimus numeraretur. Alioquin etiam est rationi consentaneum, Martium mensem à Romulo primum nominatum fuisse, quippe Marti consecratum: secundum Aprilem, qui nomen à Venere (quam Aphroditem Græci dicunt) traheret: sacra enim Deæ hoc mense fiunt, & Kalendis hujus mensis mulieres myrto coronatæ lavantur. Alii non à Venere id nominis sumptum affirmant, sed ab eo, quod ipsum vocabulum significat: scilicet quod vere augescente germina plantaXXX rum aperiat. De sequentibus Mensibus Maium à Maia nominavêIV re: Mercurio enim sacer est. Iunium a Iunone. Sunt qui hos duos ab ætatibus vocabula inveniisse putant, majorum videlicet, & juniorum. Reliqui ab ordine nuncupantur, Quintilis, Sextilis, September, October, November, December. Postmodò Quintilis à Iulio Cæsare, qui Pompeium evertit, Iulius: Sextilis à secundo Imperatore Augusto, Augustus appellatus fuit. Septembrem & Octobrem Domitianus suis cognomentis insignivit: sed non diu ita vocati sunt, statimque post cædem ejus pristina nomina recuperarunt. Soli postremi duo semper suas appellationes obtinuerunt. Mensium à Numa sive additorum sive transpositorum, alter Februarius quasi lustralis quidam dictus est: expiationem enim ferè *februa* significãt, & tunc mortuis parentant, & Lupercalia peragunt, purga-

*Mensium correctio.*

*Ordo Mensium.*

*Anni varietas populorum.*

*Martius.*

*Aprilis.*

*Maius.*

*Iunius.*

*Reliqui.*

*Februarius.*

*Ianuarius.* purgationis sacrificio quàm similima. At Ianuarius primus mensis à Iano nomen habet. Videturque mihi Numa, Martium, quod à Marte diceretur, primo loco monuisse, ut ostenderet omnibus in rebus civilem virtutem bellicâ potiorem esse. *Ianus.* Nam Ianus inter antiquissimos sive Deos, sive reges, unus fuisse perhibetur, civilis societatis, & cœtus hominum studiosus, qui vitæ rationem de belluina & fera, humanam redegerit. Ideo enim bifrontem fingunt, ut qui vitæ aliam quàm ante fuerit, formam induxerit. *Belli porta.* Templum habet Ro- XXXV mæ duabus januis clausum, quæ belli portæ dicuntur. statutum est, ut quando bellum geritur, aperiatur id templum, pace reddita claudatur. Hoc posterius difficile fuit, & rarò contigit: propterea quod Romanum imperium nunquam non aliquo bello occupatum est, cùm propter amplitudinem suam à circumfusis in orbem barbaris identidem infestetur. Clausum est tamen sub Augusto Cæsare, cùm is Antonium debellasset: & prius etiam M. Atilio, T. Manlio Coss. *Quies sub Numa.* mox tamen iterum exarsit bellum, propter quod apertum fuit. Cæterum quandiu Numa regnavit, nullam omnino diem apertum est, totis quadraginta tribus annis continenter clausum: adeo is omnes ubique belli occasiones exstirpavit. Neque enim Romanus tantum populus justicia & tranquillitate regis mansuefactus & placatus fuit; sed & ad circumjacentes urbes initium mutationis, tanquam ab aura quadam, vel spiritu salubri inde dilatum, pervenit, incessitque eorum animis desiderium legum & pacis, agriculturæque, & liberos in ocio educandi, Deosque colendi. Agebantur per uni- XXX versam Italiam festi dies, tutoque invicem convenientium hospitia VI & convivia: è sapientia Numæ tanquam fonte aliquo emanante in omnes studio rerum honestarum ac justitiæ, tranquillitateque Romana inde ad omnes serpente. Itaque & Poetarum nimiæ illæ alioquin, & veritatem superantes amplificationes tum nimis parcæ videbantur:

*In ferreis hic compedibus ferox*
*Mavors tenetur, nunc & aranea*
*Secura contos hic inani*
*Implicat, & vera pila filo:*
*Rugiboque enses exedit hic scabros:*
*Terrent acuto nec litui sono:*
*Non jam tuba dulcem canoræ*
*Excutiunt oculis soporem.*

Neque enim narratur bellum ullum, aut seditio, aut novandarum rerum studium in republica exstitisse Numâ regnante: neque adversus ipsum inimicitia, aut invidia, aut propter cupiditatem regni insidiæ conspiratiove oborta est. Sed sive metus Deorum, quos viri XXX ejus curam gerere opinarentur: sive reverentia virtutis, sive fortuna, VII vitam sub eo integram scelerum, puramque à malitia servavit. In quibus omnibus evidens fuit exemplum, argumentumque Platonici illius dicti, quod ille haud parvo post tempore ausus fuit de republica

blica pronunciare: Hac nimirum unica ratione homines, à malis liberari solvique posse, si divino quodam fato in eodem homine animus philosophicus atque potentia regia concurrant, eaque virtutem improbitate superiorem reddant. nam profectò & ipsum ea virtute præditum regem, beatum fore: & omnes qui sermones ex ejus ore exeuntes audiant. ac spem esse, non fore opus vi, aut minis ad regendam multitudinem: sed ipsos cùm in illustri atque splendido exemplari principis virtutem propositam conspiciant, ultro modestiæ operam daturos, ac se comparaturos ad id vitæ genus, in quo cum mutua amicitia & concordia justè & moderatè, inculpati atque beati vivere possint. quo in genere vitæ finis pulcherrimus totius reipublicæ constitutus est. isque verè præ omnibus aliis regiæ naturæ homo, qui subditos in hanc sententiam, atque hoc vitæ institutum perducere suos potest. Hæc quidem Numa omnium maximè XXX perspecta habuisse videtur. Porro autem de liberis ejus, atque VIII conjugiis, inter scriptores sunt controversiæ. Quidam neque aliam post Tatiam ab eo uxorem ductam, neque præter filiam Pompiliam alios ei fuisse liberos affirmant. Alii præter hanc, quatuor ei filios adscribunt, Pomponem, Pinum, Calpum, ac Mamercum, ab iisque singulis illustres familias propagatas fuisse tradunt: à Pompone Pomponiam, à Pino Pinariam, à Calpo Calpurniam, à Mamerco Mamerciam, cui quidem propter hanc ipsam causam Regum cognomen fuerit. Tertia opinio est eorum, qui reprehendentes hos, quod in gratiam earum gentium, earum originem falso ad stirpem Numæ referant: ipsi Pompiliam non Tatia natam, sed Lucretia asserunt, quam rex jam factus Numa duxerit. Hoc apud omnes in confesso est, Pompiliam Marcio nupsisse. Is fuit filius Marcii ejus, qui ad regnum suscipiendum Numam instigavit, cum eoque Romam commigravit, & honoris causa in senatum adscitus, Numa mortuo, cum Hostilio de regno contendit, victusque voluntaria morte obiit. Ejus filius in matrimonio habuit Pompiliam, ex eaque genuit Ancum Marcium, qui Tullo hostilio in regno successit. Hunc (ita e- XXX nim traditur) quinquennem reliquit Numa moriens. Concessit IX autem fato non repente, sed paulatim senio & morbo non acri absumptus, ut Piso narrat. vixit diu ultra octogesimum ætatis annum: Quanta fuerit in admiratione, ex sepultura ejus patuit. Ad eam populi fœdere amicitiaque Romanis juncti cum donis publicè missis & coronis convenerunt: lectum patricii tulerunt, sacerdotes adfuere, eumque secuti sunt, itemque reliqua multitudo, mulieribus & liberis admixtis. neque intererant, quasi regem senem si humarent, sed unusquisque quasi suorum charissimorum aliquem florente ætate mortuum terræ mandaret, cum ejulatu & fletu funus ducebant. Corpus crematum non est, quod ipse (ut fertur) prohibuerit, duas autem lapideas arcas confecêre, & sub Ianiculo pōsuerunt: in quarum altera corpus ejus condebatur, in altera libri sacrorum. ipse enim eos (quemadmodum Græcorum legislatores tabulas eas, quas

*Felicitas reipub. secundum Platonem.*

*De coniugibus & liberis Numæ.*

*Sepultura.*

*Cyrbes* vocant,) composuerit, ac cùm vivus adhuc sacerdotes ea quæ in iis scripserat docuisset, intelligentiamque & usum eorum tradidisset, secum sepeliri jusserat: existimans non rectè arcana inanimatis literis committi. Eodem consilio adductos Pythagoricos traditur nihil scriptis mandasse, sed suam doctrinam memoria & institutione iis, quos dignos judicarent, absque literarum officio, tradidisse, doctrina & tractatione Geometrica obscura illa & arcana cuidam indigno communicata, dixisse eos, portendi divinitus sceIus hoc, & impietatem magno & novo aliquo malo vindicatum iri. ut hujusmodi inter Pythagoram Numamque similitudines magnopere videantur facere ad eos excusandos, qui hos viros congressos inter se fuisse adseverant. Valerius Antias auctor est, duodecim li XL
bros de ceremoniis, totidemque alios Græco sermone de philosophia conscriptos, cum Numa terræ mandatos fuisse: quadringentis autem ab eo tempore elapsis annis P. Cornelio, & M. Bæbio Coss. vehementibus imbribus effusis, tumuloque eorum impetu aperto, arcas illas vi inundationis ejectas: detumbatisque periculis alteram penitus vacuam, nullamque in ea particulam, nullas reliquias corporis repertas: in altera libros inventos, lectosque à Petilio, tum prætura gerente. Eum rem statim ad senatum detulisse, quod nefas putaret ea quæ iis in libris continebantur, multitudini innotescere: ita factum ut librum in Comitium allati, ac combusti sint. Equidem XLI
omnes justos bonosque viros major post mortem sequitur laus, invidia non multum post illos temporis supervivente, nonnunquam etiam, ante exitum eorum morente, sed Numæ gloriam præterea quoque regum succedentium fortuna illustriorem reddidit. Quinque enim eum secuti sunt reges, quorum postremus regno ejectus in exilio consenuit: reliquorum quatuor nullus mortem secundum naturæ leges obiit. Nam tres per insidias sunt jugulati. Tullus Hostilius, qui Numæ regnum excepit, cùm pleraque ejus instituta, præsertim verò quæ ad religionem facerent, risu & contemptu prosequeretur, quod inde homines ignavos reddi, effæminarique putaret, ad bellum cives suos convertit, neque tamen ipse in suo audaci instituto perrexit: sed morbo gravi ac multiplici ad mutandam sententiam compulsus, superstitioni sese dedidit à Numæ religione prorsus alienæ: confirmavitque eo magis istam de se opinionem: siquidem traditur fulmine percussus conflagrasse.

*Pythagorici cur nihil scripserint.*

*Regum subsecutorum exitus.*

## *LYCVRGI ET NVMAE Comparatio.*

Proinde quoniam Lycurgi & Numæ vitas exposuimus, difficul- XLII
tate rei nos absterreri non convenit, quo minus quid inter illos fuerit discriminis, colligamus. Nam quæ inter se communia habuerint, ex ipsis eorum actionibus apparet, ut est moderatio, ut pietas, ut prudentia civilis, ut disciplinæ instituendæ peritia, & quod uterq;

suarum

suarum legum condendarum principium à Deo sumpserit. Quibus verò alter alteri antecelluit, ex eorum numero est primum, quod alter regnum accepit, alter dimisit, alter non petitum inivit: alter cùm haberet in sua potestate, tradidit alterum dominum sibi alii, privatum atque peregrinum quantumvis, delegerunt: alter ex rege seipsum privatum fecit. Pulchrum quidem est, justicia regnum adipisci: pulchrum etiam, regno justitiam anteponere. nam virtus alterum ita illustrem reddidit, ut regno dignus judicaretur, alterum ita
XLIII magnum, ut id contemneret. Deinde quasi lyram musicus oblatam, alter laxatam nimisq; lascivientem intendit Spartam: alter nimis intensam Romam remisit. Qua tamen in re majorem Lycurgus difficultatem expertus est. Non enim civibus ut thoraces exuerent, gladiosq; deponerent, suasit: sed ut aurum argentumq;, vestem stragulam, mensasq; preciosas è domibus ejicerent. neque bello omisso dies festos agere eos, ac sacrificare jussit: sed conviviis potationibusq; relictis, in bello & palestra elaborare & se exercere itaq; Numa benevolentia & auctoritate in persuadendo adjutus omnia confecit: Lycurgus periculis vulneribusq; conflictatus ægrè propositum tenuit. Fuit ergo mansueta, benignaq; Numæ musica, qui cives
XLIV emolitos a nimia ferocia ad pacem & justitiam traduxit. Iam si in servos admissum facinus etiam Lycurgo est imputandum, crudelissimum quidem illud, & injustissimum: utique Numam in legibus ferendis longè Græcorum ingeniis similiorem fuisse quàm Lycurgum fatebimur: cùm etiam iis, qui manifestò erant servi, introducta consuetudine, ut Saturnalibus cum dominis epularentur: honoris, qui libertati adest, aliquē gustum præbuit. Hoc enim etiā ex Numæ institutis fuisse tradunt, qui ad annuas fruges perfruēdas operarios aliquando adhibere voluerit. Quidam hoc monumentum pristinæ illius, quæ sub Saturno fuerit, æqualitatis relictum ferunt, ubi nemo servus, nemo liber, sed omnes ejusdem generis dignitatisque habiti sint. Omnino autē apparet hoc utriq; curæ fuisse, ut populum suis contentum esse, temperanterq; vivere condocefacerent. De reliquis virtutibus Lycurgus fortitudinem, Numa justitiam prætulit. Nisi ita sit statuendum, propter diversam civitatum, quas sibi propositas habebant, naturam & consuetudinē, diversa ipsos ratione opus habuisse. nam neq; Numa timiditate adductus bella sustulit, sed tollendæ injustitiæ causa: neq; Lycurgus injuriarū inferendarum, sed propulsandarum causa, bellicosos suos effecit, & uterq; ut exsuperantiam corum, quæ apud suos in usu erant, adimeret, defectumq; expleret,
XLV magnis mutationibus uti coacti sunt. Iam quod ad divisionē multitudinis, ordinationemq; attinet, nimis plebi grata Numæ fuit, atque popularis, qui ex aurifabris, tibicinibus, & sutoribus confusum admodum variumq; populum composuit: Lycurgi austera fuit ratio, & grata optimatibus: qui sordidis artificiis secretis, famulorumque & advenarum manu relegata, ad scutum & hastam cives conduxit, eosque bellatores, & Martis ministros effecit, nihil aliud scientes,

*Lycurgi difficultates.*

*Saturnalia.*

*Divisio populi.*

nqque meditantes, quam ut obedirent magistratibus, & hostes vincerent. Nam & quæstum pecuniarium facere liberis non permisit, ut omnino essent liberi: eam verò rem servis & bello captis mandavit, quemadmodum & cœnæ ciborumque administrationem. Numa hæc non discrevit, sed sublata militari modò cupiditate, reliquo pecuniæ conficiendæ studio non interdixit, neque tantam æqualitatem paravit: sed & ad summas divitias pervenire suos passus est, & magnam pauperiem in urbe insinuantem ac serpentem neglexit.

*Æqualitas.* Atqui expedit statim ab initio nullam magnam inæqualitatem admittere: sed vitæ rationibus omnium ad æqualitatem similitudinemque adductis, avaritiæ, & iis, quæ ab eo vitio proficiscuntur, malis, occurrere: atque prævertere: non levibus illis, sed quæ omnibus, quæ unquam evenerunt, maximis incommodis semen & originem præbuerint. Agrorum divisio neque facta Lycurgo, ne- XLVI
*Agrorum divisio.* que omissa Numæ vitio dari potest. alteri enim ipsa æqualitas fundamentum sui consilii exsequendi dedit: alteri, cùm recens essent agri divisi, eaque distributio adhuc exstaret, nihil erat necesse novam moliri. Societas conjugiorum, & liberorum educationis, rectè
*Conjugum communitas.* & prudenter ita ab utroque est constituta, uti omnem conjugum siniſtram mutuo suspicionem amputaret: non omnino tamen in eundem finem recidit. Nam apud Romanos maritus si liberorum satis sustulisset, persuasus ab alio prolem desiderante, uxorem suam ei concedendi, inque matrimonium elocandi jus habebat. At Spartanus huic, qui à se petiisset, usum propriæ uxoris ad suscipiendos liberos permittebat, manente eâ secum domi suæ, ac conjugii jure pristino nihil labefactato: multi etiam (ut diximus) eos, quorum ex concubitu suas uxores formosam & bonam sobolem spirabant concepturas, exoratos ad eas introducebant. Itaque, ni fallor, rectè hanc differentiam harum consuetudinum censebimus; Lycurgi institutum afferre vehementem, atque immodicam omnis conjugalis erga uxorem affectionis privationem: quę multos alias perturbat animos uritque, ut in dolore & siniſtris de fide conjugum suspicionibus vitam exigant. Contra in Numæ lege locum esse verecundæ & ab omni fastu remotæ humanitati, quæ pudoris velandi causa desponsionem secum ducat, testeturque societatem aliàs eam esse in- XLV
tolerabilem. Præterea in virginum custodia evidentius etiam per- II
*Virginum disciplina.* spicitur, eam à Numa ad fæminei sexus naturam, decorumque esse applicatam. At Lycurgi nimium proterva, & muliebris verecundiæ expers, poetis quoque virgines Spartanas traducendi causam exhibuit: quos Ibycus *phænomeridas*, id est *exertis femoribus ambulantes*, alii insana cupidine virorum elatas appellant, ut Euripides cujus & hæc sunt:

*Inter adolescentes agunt extra domum*
*Lacerna aperta, nudatusque femoribus.*

Revera enim tunicarum quas virgines ferebant laciniæ in lateribus positæ, inferiori parte non erant consutæ, sed inter eundum apertæ, una

unà totum femur nudabant. quod his versibus apertissimè extulit Sophocles:

*Iuvenculæ Hermionæ tunica male fixilis*
*Foras videndum iurpiter præbet femur.*

Ideo illæ & ferociores, & adversum ipsos quoque viros viriles exstitisse dicuntur: quod domi totum imperium obtinerent, & in publicis negotiis etiam sententiam dicere, summaque libertate uti ipsis liceret. At Numa uxoribus eo honore & dignitate, quam à viris Romuli permissu habebant, propter raptum eis blandiente, integro relicto, verecundiam magnam imposuit, curiositate interdixit, sobrietatem & silentium præcepit: ita quidem, ut vino abstinerent prorsus, verba autem ne de necessariis quidem rebus absente marito facerent. Memoraturque quadam aliquando muliere pro se ipsa in foro dicente, missos fuisse à senatu, qui Deos consulerent, quid XLV nam ea res urbi portenderet. Magno argumento earum obedien- III tiæ & modestiæ sunt, quæ exempla earum, quæ secus fecissent, memoriæ sunt prodita. Vt enim Græcorum historici recensent eos qui primi cædem intestinam perpetraverint, aut fratres bello petierint, patrem matremve necaverint: sic Romani commemorant, primum Sp. Carvilium cum uxore divortium fecisse, anno V. C. ducentesimo ac trigesimo: primamque Pinarii uxorem Thalæam nomine, altercatam cum socru sua Gegania, regnante Tarquinio Superbo. adeò pulchrè & decorè omnia conjugii jura erant à legislatore posita.

*Vxorum disciplina.*

XL In reliqua virginum educatione, carumque in matrimonium elo- IX catione, constat Lycurgi maturas ac propter ætatem Veneris jam appetentes, nuptum dantis consilium fuisse, ut coitus, natura jam postulante fieret, ac gratiæ & amoris initium esset, non odii & timoris (quod futurum putabat, si ætate nondum ferente cogerentur nubere) utque corpora earum ad ferendum & edendum partum satis roboris haberent. quippe conjugii nullum alium, quam liberorum procreationem, finem putabat. Romani contra duodecim annos, aut minus etiam natos, conjugio copulant, ita potissimum & corpus intactum, & mores castos incorruptosque se sponso, tradituros judicantes. Et est in promptu, Lycurgum liberorum generandorum

*Nuptiarum tempus.*

I causa ad naturam; hos propter consuetudinem vitæ jucundiorum, ad morum rationem magis respexisse. Cæterùm in his, quæ ad pueros regendos, ad eorum contubernia, convictum, exercitationum communitatem, eorumque iocos ludosque animadvertendos, corrigendosque spectant: si Lycurgo conferatur Numa, evidens erit hunc nihil vulgari quocunque legumlatore majus præstitisse, nimirum qui patribus pro sua voluntate aut commodo filios educare permisit, sive eos vellent rusticos, sive navium, sive ærarios fabros, sive tibicines facere: quasi verò non ad unum finem ab initio statum omnium mores sint formandi diligendique, sed perinde agendum, ac si multi homines in unam navim, sua unusquivis necessitate aut consilio, convenientes, tantum periculo imminente sui

*Pueorum disciplina.*

quilibet timoris causa de communi salute rationes ineant, alioquin suas singuli res agentes. Quanquam pleriq; legumlatores eo LI
minus sunt accusandi, quod vel scientia, vel vires eos destituerunt: viro autem sapienti, & qui regnum populi recens collecti, nihilque quicquam reluctantis, accepisset, in quam nam aliam rem primum erat studium suum conferendum, quam in puerorum educationem, adolescentumq; exercitationes? ne mores diversos ii turbulentosq; addiscerent, sed à principio confestim ad communem quandam virtutis speciem, qua inter se convenirent, effingerentur, conformarenturque. Quod sanè ipsum Lycurgo cùm ad alia conduxit, tum verò, ut leges ejus permanerent: nam juramenti metus parum valuisset, nisi disciplina atque educatione hoc consecutus fuisset, ut mores puerorum legibus illis quasi imbuerentur, inque studio ii institutæ à se reipublicæ enutrirentur. Itaque præcipuæ ac potissimæ ejus constitutiones ultra annum quingentesimum duraverunt, tanquam constanti & ad diluēdum haud facili tinctura infectis civium animis. Contra quod Numa in republica ordinanda spectaverat, ut in pace & amicitia esset Roma, id statim cum eo intercidit: templumque Iani quod ipse clausum tenuerat, in eoque videbatur bellum cicurare, ejus utrumque ostium apertum statim, cædibusque & sanguine repleta Italia fuit. Ita ne paululum quidem temporis pulcherrima ea atque justissima reipublicæ forma perduravit: quippe LII
disciplina, quæ copula est hujus rei, carens. Quid ergo (inquiet aliquis) an non bellis Romana res profecit? quæ quidem quæstio prolixam solutionem requiret, si apud eos homines agitetur, quī magis in divitiis, luxu & principatu, quàm in salute, tranquillitate, vitaque suis rebus contenta & justa bonum collocatum esse judicant. At tamen hoc ipsum quoque pro Lycurgo facere videtur, quod Romani Numæ institutis mutatis tanta incrementa fecerunt. Lacedæmonii autem, simul atque à Lycurgi sanctionibus desciverunt, ex maximis abjectissimi facti sunt, amissoque Græcorum imperio etiam in perdendæ patriæ periculum venerunt. In Numa id magnum divinumque est, quod peregrinus evocatus ad regnum est, omniaque persuadendo mutavit, urbemque in sua potestate habuit eam, cujus nondum inter se unanimes erant facti cives: quos nihil ipse armis indigens, aut vi (quemadmodum Lycurgus optimates in auxilium contra populum adduxit) sapientia modò justitiaque in unum corpus redegit atque composuit.

*Lycurgi leguæ stabilitæ.*

*Romana res ut aucta.*

## IN NUMAM PLUTARCHI
### Interpretis Annotationes.

Cap. 1. MVlto Numa posteriorem.) *Pythagoram philosophum Numa permultis annis posteriorem fuisse, duobusque adeo propè seculis (hoc est, annis ducentis) testatur lib. 2. de Oratore Tullius:*

*lius: idemque in præfatione quarti libri Tusculan. quæstion. ait, Pythagoram in Italia tum fuisse cum L. Brutus reges profligavit. quod non dissentit ab eo, quod Pythagoram Livius ait regnante Servio Tullo primum in Italiam venisse. Dionysius hoc idem ratione olympiadum demonstrans libr. 2. quatuor ætatibus eum Numa posteriorem fuisse, non rotundo tamen numero colligit. Plutarchus hic quinque ætates facit, πέντε γενεὰς inquiens. Videtur autem innuere id, quod inter regni Numæ initium, & adventum in Italiam Pythagoræ, qui sub Servio Tullo fuit, tempus intercidit, annorum circiter* C L. *ut ætas (γενεὰ) triginta annorum intelligatur, quomodo non γενεὰ quid. Homerici tantum Nestoris tres illæ γενεαὶ libr. . Iliadis à Græcis interpretibus exponuntur: atque adeo ab ipso nostro etiam Plutarcho in Catone Censorio, ubi de accusationibus ejus refert. nam Ovid. lib 12 Metamophos. fabulam sectatus est, ubi hæc Nestor: ——vixi Annos bis centum, jam tertia vivitur ætas. Sed & apud Plutarchum in libro, Cur oracula desierint, ostenditur, triginta annos de Heracliti sententia γενεὰν, ætatem esse ἀνδρὸς ἥβωντος, hoc est virgentis, & jam etiam gignentis. (quo locus dignus est consideratione.) & quidem hujusmodi τριακονταετεῖς γενεὰς meminit etiam Diodorus Siculus prope finem libr. 11. Unde Herodotus in Euterpa non inelegant er centum annos complexam hominis ætatem, τρεῖς γενεὰς, tres ætates, appellavit βραχὺ ἢ πλεονεκτέοντι τὴν τελευταίην γενεὰν, ut ait Eustathius. Quid autem apud Dionysium γενεὰ sit, non est facile affirmare: arbitror tamen, annos eum 21. pro eo intelligere. Nam profecto ejus, quem dixi, libri initio, Romam à Latinis conditam dicens decima sexta post excidium Trojæ ætate ἑκκαιδεκάτῃ γενεᾷ: mox ait, eam anno ab eversa Ilio quadringentesimo secundo extructam. Clemens Alexandrinus: ἀ στρωμάτ. facit γενεὰν 20. annos: quo pacto fere apud Herodotum Κλειοῖ. 505. anni vocantur 22. γενεαὶ. Sed hæc satis.*

Cap. 2. Nonis Quintilibus) ἰσταμένου μηνὸς. *Nomen mensis excidit. is autem est Quintilis sive Iulius. quod vel ex Romulo & Camillo nostro intelligitur. Apud Varronem lib. 5. & Macrobium 1. Saturn. xi. Caprotina legitur. Quod autem quintus dies dicitur mensis Iulij Nonæ, cum postmodo septimus fuerit, mirum non debet videri, cum appareat illam de Nonis Iulij, Martij, Maij, & Octobris exceptionem esse istis rebus multo recentiorem.*

Cap. 4. Patricii, qui erant numero C L.) πεντήκοντα καὶ ἑκατόν. *Equidem non video, ut hoc verum sit, utque consentiat cum eo quod in Romulo dictum est, centum patres de Sabinis centum prioribus istis adscriptos fuisse: quod idem est apud Dionysium. nam Livius interregnum penes centum patres fuisse tradit: ut qui Sabinos istos non agnosceret. Dionysius autem ducentis patribus disertè tribuit: quod & hic malim: non enim* C L. *sed* C C. *fuerunt, etiam ex Plutarcho, ut diximus, sententia. Sed ne de modo quidem interregni cum aliis consentit: neq; satis credo, verba non esse depravata.*

*Nam quid est illud κυρίνῳ, Quirino? Ego enim totidem verbis appendi. Amiotus, au lieu de Quirinus, vertit, an in solio Romuli: an alias an forsitan κύριυ, vel κυρίως scriptum est?*

Cap.5. Filius Pomponii.) υἱὸς ᾖ πομπωνίυ. *Liv. lib. 40. de lapideis Numæ arcis repertis: in altera Numam. Pomponium Pomponij F. regem Romanorum sepultum esse. Dionysius Halicarn.* υἱὸν πομπιλίυ πόμπωνος, κατ' ὄνομα νομὰν *vocat: Pompilij Pomponis F. nomine Numam. Pomponem Numæ F. infra refert Plutarchus.*

Ibid. XI. Kal. Maii ) *Sic est & in Romulo. Nec video quid secutus sit Lapus,* XIV. *Kal. scribens. Quod enim hic* πρὸ δέκα μιᾶς *dicitur, ibi planius est scriptum,* πρὸ ἕνδεκα. *Est autem non* XX. *ut Amiotus putavit, sed* XXI. *dies Aprilis. in Romulo* XIX. *extulit idem.*

Cap.7. Phryges de Atte.) *Atys hic alias, apud Suidam Attis,* ἄττις. *apud Lucianum de Dea Syria scribitur* ἄττης, *unde hic gignendi casu* ἄττεω. *Ex Ovidio, Catullo, aliis, & hoc Luciani libello satis de amore ejus & Cybelles constat. Notus etiam Endymionis & Lunæ amor est. De Herodoto Bithynorum, nihil succurrit.*

Cap.8. Et ab alio Deo. ) *Baccho nimirum, qui Lacedæmoniorum ducem Athenas obsidentem jussit honorificè funus facere novæ Streni, hoc est Soph. auctor in Attic. Paus. Meminit Plin. 7.29.*

Cap.13. Camillum dici solitum. ) *Idem est apud Dionys. lib. 2. & apud Festum in voce Cumera. atq; lib. 6. in Flaminius. Camillus.*

Ibid. Inflammatione tumentem Plato.) φλεγμαίνουσαν, *li. de Rep. 2.*

Homines venatur inanes.) θήρη ἐπ' ἀνθρώπων. *Lapus videtur* τήρει *legisse: sed lectionem nostram malo.*

Ibid. Tacitæ nomine.) *Græcè hoc Plutarchus exponit,* σιωπηλὴν ἢ νέαν. *Sed hoc posterius puto esse mendosum, & ἐνεὰν legendum, hoc est mutam. Nihil enim huc νέα, id est, juvenis aut recens.*

Cap.15. Ab eoque Æmiliorum familiam. ) *nimirum ut Mamerci Aemilij dicerentur. Sane apud Liv. lib. 4. mentio fit Mamerci Aemilij, cujus tres ibi dictaturæ referuntur. Et apud Suetonium in Iulio Mamercus Aemilius ejus propinquus nominatur. Ita initio lib. 7. apud Livium L. Aemilius consul nominatur, cognomento Mamercus: alij Mamercinum, (ut & alibi) legunt, quod probo. Est & apud Diodorum T. Aemilius Mamercus: aut potius Mamercinus, Sanè apud Festum Aemilius Mamerci cognomen dicitur, quod cum Plutarchi sententia convenit.*

Cap.16. Plurimi maximè ridiculam. ) *Etiam Varronem notat, apud quem hoc est lib. 4. de ling. Lat. Lucanus lib. 1. à posse & facere dictos Pontifices, sinuisse videtur hoc versu:* Pontifices, sacri quibus est permissa potestas. *De ponte sublicio vide huc Plinium 36.15.*

Ibid. A Marcio, filiæ ejus F.) *Ancum Marcium intelligit quartum regem Romanorum meminit Liv. lib. 1.*

Cap.17. Aristione tyrannidem tenente. ( *Fuit hoc bello Mithridatico, ut cum aliunde tum ex Sylla Plutarchi intelligitur. quod autem sequitur mentio ejusdem belli, ea mihi ad Vestalem ignem referenda videtur.*

Ibid.

Ibid. Quæ scaphēa nominant.) *Meminit Vitruvius lib. 9. cap. 9. horologij scapheæ, quod est hemisphærium excauatum: quod genus hodie etiam usurpatur. Idem cap. 1. lib. 8. scaphēon pro uase aliquo rotundo, & cauo posuit. Caterum turbinis siue coni rectanguli quæ est apud Euclidem lib 11. definitio, occasionem mihi dedit hunc locum ita uertendi. nam Lapus neque perspicuè neq; uerè extulerat. pro ὡς τὰς ὠπὶς, ὥστε τὰς ὠγὰς, lege qui error & alibi est notatus.*

Cap. 18. Subit lecticæ.) *Ad uerbum ego hæc, olim omissa, reddidi. Non enim assequar huc nepertineant. quod tamen credo: an uerò ex loco de supplicijs huc trajecta sint. Uiderint docti, & libris instructi. Nam mihi quidem probabile fit, pertinere ad ritum supplicy incestæ Vestalis hoc ipsum: si saltem aliquo pertinet. Quadrant enim ad illa, ἐξισωτὴν σαωτῆ, &c.*

Cap. 21. Vsque ad denarium numerum.) *Sic & Lapus legit: nam perspicue falsum est in Græco μέχρι τ δωδεκα, pro δέκα. quod sequentia uerba ostendunt, ut aliorum scriptorum testimonia omittam.*

Cap. 22. Feciales pacis erant custodes.) *Vellem sanè Plutarchum edidisse nobis rationem hujus nominis: parum enim de ea constat, præsertim in tanta scriptionis diuersitate. Hic Φητάλιοι uocantur, in Camillo Φητάλεις: in Problematis autem Φιδιάλιοι leguntur, haud dubia menda. Apud Dionysium Φιδιάλεις sunt. Latini codices fere fœciales, æ diphthongo habent. Varro à fide & faciendo dictos testatur, à feriendo Festus, quod pacis faciendæ essent auctores. Itaq; feciales sine diphthongo scribo, tanquam à faciendo dictos. Nam a feta porca dici posse, cùm porcum Liuius habeat, uix credo. Cum Plutarcho facit Dionysius: nam Liuius sub Tullo demum Fecialium ministerium retulit.*

Cap. 28. Loco nomen inde Ifilicium.) *Nempe παρὰ τ ἵλεως, quod est* propitius. *Sane Elicium Iouem multi aliter Liuius exponit.* Post.

Cap. 29. Limites non violarentur.) *Lapus perperam, si observaret, ut & reliqua. non uenit ei in mentem, Φυλάττεθαι μεδια uoce esse uitare, cauere.*

Cap. 31. Ei enim exemit maritos.) *In Græco sensum perturbat menda, ὑπεξελομένους, quod ad patres referri debebat utiq; & Lapus eo deceptus, obscure & nullo sensu uertit:* partibus illos interuertentibus, &c. *& ne indicium quidem facta à Numa correctionis reliquit. Fuit autem à Plutarcho scriptum ὑπεξελομβάς, isq; genitiuus ad Numā refertur, quidque is correxerit, indicat. Et uero ὑπεξαίρεσις exceptio supra etiam dicebatur de Pontificibus: ut ὑπεξελέθαι sit eximium habere, seu excipere, nihil minus quàm* intervertere: *qua de re etiam in Antonio nostro monueram. Atq; ipse Plutarchus in Catone Philosopho, de tribunatu Plebis ejus loquens perspicue ita usus est. ἕνα σιλανὸν ὑπεξελόμβῳ δ' οἰκιόπεδα. & in Artoxerxe, de ejus cum Paryside luſione, qua Musabatem eunuchum illa ad eadem traxit.* ὑπεξελεῖν. ὑπεξαιρεσις.

Cap. 32. Romanis Mercedonius.) *μερκεδόνιον Lapus μερκεδόνιον Videtur legisse. Infra in Cæsare uigesimus, uocatur Mercedonius μερκεδόνιος*

*quæ lectio videtur verior. Sane Festus quoq; annotavit*, Mercedonios *dici à solvenda mercede.*

Cap. 34 Iunium à Iunone ) ἀπὸ τῆς ὥρας: *Lapus pulchre*, ab anni tempore. *Majum à majoribus dictum Iunium à junioribus*, venuste refert Ovidius initio 5 & . F. storum: nec alios auctores adducam. Itaq; staret lectio ὥρας *quod est juventute aut juvenibus: nisi Iunonem cum Hebe de origine mensis disceptanti videretur auctor accedere. Verùm recte pro ὥρας, ἥβας legas: præsertim cùm Maium à Maia dictum audieris, & aratum nomina simul ipse seorsim adducat.*

Ibid. Mortuis parentant.) τοῖς θνητοῖς σπένδουσι. *Legendum dico* θνητοῖς. *nam en. mos erat plantis utebantur isto quidem in sacrificio, aut in honorem plantarum quicquam fiebat: quorum alterum Lapo, alterum Amioto placuisse miror. Apud Varronem lib. 5. de ling. Lat. scribitur ex Fulvio Flacco, & Iunio Gracho, mense isto dius inferis parentatum fuisse. Tullius lib. 11. de Legibus diserte scribit, voluisse Romanos, ut mortuis mense Februario parentaretur. qua de re vide nostri Plutarchi quæst. Roman. xxx. v. Ovid. 1. Fast.* At Numa nec Ianum, nec avitas præterit umbras. *& lib. 2. de nomine hoc disputans:* At quia placatis sunt tempora pura sepulchris Tum, cum ferales præteriere dies *itaq; non dubito quin nostra correctio, quanquam libris eam nullis possum tutari, vera sit.*

Cap. 35. M Atilio. T. Manlio. ) *Alij* C. *Atilium Bulbum vocant, & apud nostrum in lib. de fortuna Romanorum legitur hac ipsa de* C. *Atilius & qui ibi ponitur annorum numerus, non a morte, sed initio Numæ est supputandus, sic quoq; quadriennio communem sententiam superaturus, juxta quam fuit hoc anno V. C.* DXVIII. *post primum Punicum perfectum bellum. Livius meminit lib. 1. Velleius lib. 2. Orosius lib. 4. cap. 12. (qui toto anno clausum Ianum fuisse dicit: Varro lib 4. de lingu Lat. eodem anno & clausum & patefactum) Eutrop. initio tertij. Augustum bis clausisse Ianum, nempe anno* DCCXXV. *confecto bello Actiaco: & iterum C. V. anno* DCCXIX. *subactis Hispanicis & Gallicis populis, propter quos reseratus fuerat. Dionys. lib. 51. & 53. docet.*

Cap. 37. Quod ille haud parvo post.) *Locus Platonis est lib. 6. de Repub. cujus & lib. 1. Epist. 1. ad Qu. fratrem meminit Cicero. Intercessit autem spacium annorum ferme quadringentorum. Explicatio dicti hujus est venusta, quam vox βοηθείας fœdat. pro qua meo periculo repones πολιτείας.*

Cap. 38. A Mamerco Mamerciam.) *Quod sequitur de Regum cognomento, facit locum suspectum & obscurum. De Mamercis Aemilius supra auditum est. Sed Mamerciam gentem, & quidem cognomento Regum, nullam etiamnum legi. Marcios Reges fuisse Romæ nobiles scio: an verò hic legendum sit μαρκίας pro μαμερκίας, Marcios non Mamercios, non satis scio: non enim in promptu dicere est, cur à Mamercio statim nomen in Marcia familia mutatum fuerit, cùm alioquin tandiu in Aemiliis duraverit. Sanè Suetonius ab Anco Mar-*

*Marcio genus Marciorum repetit in Cæsare, cap. (ut numerant) 6. Sed & hujus ipsius Anci genus Plut. hic & initio Coriolani a Numa repetit: ita tamen, ut huic loco id parum videatur mederi. Hac ego doctioribus relinquo. Profectò quod statim de Marcij cū Pōpilia nuptiis sequitur, huic videtur refragari sententia, quā de Mamercijs in Marcios mutandis protulit: cum quidem id in confesso esse dicat Plutarch.*

Cap. 40. P. Cornelio & M. Bæbio.) *Historia est apud Livium li. 40. copiosius descripta. Incidit in annum V. C.* IↃLXXIII. *Numam autem anno Romæ octogesimoprimo mortuum constat: quibus si addas quadringentos, annos, a Valerio Antiate numeratos, propè centum annis adhuc a summa temporum nostra aberis. ut vel Antiatis calculus (quod vix crediderim) falsissimus sit, vel hîc pro* πεντακοσίων *quadringentis,* πεντηκοσίων *quingentis legendum videatur: idq; verò propius puto. Nam & apud Plinium lib. 13. cap. 13. scriptum est, libros eos inventos P. Cornelio L. F. Cethego, M. Bæbio Qu. F. Tamphilo Coss. ad quos à regno Numa colliguntur anni* IↃXXXV.

Cap. 41 Confirmavitque eo.) *Locus in Græco suspectus, & ad divinandum propositus, ob defectum vocabuli alicujus.*

## IN COMPARATIONEM ANNOTATA.

Cap. 44. Vt Saturnalibus cum dominis.) *Elegans ejus rei mentio est apud Horat. Satyra 7. libri secundi, & infra in vita Sylla. Explicatur autem copiosè à Macrob. lib. 1. Saturnal.*

Lycurgi institutum afferre.) *Locus in Græco est duriusculus, si modò bene habet (quod minimè credo) & subobscurus: itaque Lapo imposuit.*

Inter adolescentes agunt.) *Versus sunt ex Andromacha tragœdia: verba Pelei, in Menelaum & Helenam, uxorem ejus Lacedæmoniam, notæ impudicitiæ graviter & stomachosè invehentis. Lapus* ἐξερημοῦν *evertere vertit, cùm sit* relinquere: *& ἐξερημῶσαι sit legendum, ut est apud Euripidem, cujus totam periodum non attulit Plutarchus. Sic & reliqua. Simile est in Hecuba.* Λέχο᾽ ὃ φίλα μογόπλε-
κτ᾽ λιπὼν, Δαρδανίδας κόρας. *Sophoclis versus asterisco notavi: exponam & emendabo, ubi integros videro. credo locum totum mutilum esse. Supra, ubi est* ἀναπεφυμένη καὶ ἄηλυς, *facilè cuivis appareat legendum* ἄθηλυς.

## PLVTARCHI SOLON, GVILIELMO Xylandro, Augustano, interprete.

IDIDYMUS Grammaticus in libro de tabulis legum Solonis (qui Axones dicuntur) quo Asclepiadi Philoctis filio respondit, Solonis patrem Euphorionem appellat; contra omnium aliorum sententiam, qui quidem Solonis mentionem fecerint. Vno enim ore ii omnes patrem ejus Execestidam dicunt, qui inter cives suos opibus & potentia medium locum tenuerit, familia vero inter *Pater Solonis.*

*Amicitia cum Pisistrato.*

inter præcipuus natus fuerat, à Codro genus deducens. Matrem Solonis consobrinam fuisse matris Pisistrati Heraclides Ponticus tradit: & inter Solonem ac Pisistratum magnam fuisse amicitiam initio, partim propter propinquitatem, partim propter ingenium & formam. Quin & à Solone hunc adamatum nonnulli affirmant: unde factum videtur, ut cùm postea temporis de Republica dissentirent, nihil ob eam inimicitiam durius aut inhumanius alter in alterum statuerit, sed in animis eorum etiamnum jus benevolentiæ remanserit, servaveritque adhuc veluti flammam vehementis ignis gliscentem, pristini amoris recordationem atque gratiam. Sanè adversus formosos parum obfirmato animo Solonem, neque fuisse au-

*Solonis amores.*

sum amori:

*In pugilis morem fortis obluctarier,*

cùm ex ejus carminibus est intelligere, tum ex lege, quam posuit ne quis servus citra locutionem unguentis uteretur, neve pueros amaret: scilicet hæc in honestorum numero reponens dignosque ad ea quodammodo provocans, à quibus indignos repelleret. Pisistratum quoque Charmi amatorem fuisse tradunt, simulacrumque Amoris in Academia dedicasse, ubi hi, qui cum sacra face decurrunt, ignem accendunt. Solon, cùm pater ipsius (ut Hermippus II narrat) aliis gratificando ac benefaciendo rem familiarem imminuisset: etsi non deerant, qui eum suis fortunis sublevare vellent: quia tamen puderet ipsum ab aliis accipere, natum ea familia, quæ aliis opitulari consuevisset, juvenis admodum mercaturæ se dedit.

*Solon mercator.*

Cæterùm alii eum non lucri, sed multarum rerum experiendarum cognoscendarumque causa peregrinationem suscepisse ferunt. Erat enim omnino Philosophiæ studiosus: ut qui etiam ætate provecta dixerit, se

*Judicium ejus de divitiis.*

*Discentem assidue multa senem fieri.*

Divitias autem non magni fecit, ut ex his ejus versibus liquet:

*Non magis argenti cui magna est copia, & auri,*
*Frugiferâq; metit jugera multa soli,*
*Cujus equi & mulis stant ad præsepia muli:*
*(Si verum liceat dicere) dives erit:*
*Quam cui contigerit solum istud munere dûm,*
*Ut ventri, lateri, sit pedibusq; bene,*
*Conjuge cum, natisq;, & cui matura senectus*
*Discrimen vitæ vile prioris habet.*

Idemque alio loco:

*Ut mihi sit, cupio, sed parta pecunia justè:*
*Nam custos ultrix stat sua pœna malo.*

*Mercatura quale studium.*

Nihil vero obstat, quo minus bonus quilibet atque civilis vir neque nimias divitias expetat: & rerum necessariarum atque ad tolerandam vitam sufficientium curam non spernat. Sed præterea eo III tempore labor (quod & apud Hesiodum est) vitio nemini dabatur, neque artes erant ignominiæ. At mercatura etiam gloriosa erat, cujus ope-

jus opera cum barbaris consuetudo, amicitiæ cum regibus conjungerentur, peritia multarum rerum pararetur, ac nonnulli mercatores civitatum magnarum conditores extiterunt, ut Massalias Massiliæ auctor, à Gallis apud Rhodanum habitantibus in honore habitus. Thaletem quoque, & mathematicum Hippocratem mercaturam exercuisse ajunt, & Platoni pro viatico fuisse olei in Ægypto venditionem. Enimverò lautitias in victu, & mollitiem, quodque in carminibus suis licentius de voluptatibus, quàm philosophiæ convenientius disserverit: id ex mercatoria vita ei inoleviſſe vitii putant: quæ cùm multa & gravia subeat pericula, delectationes vicissim quasdam & voluptates requirit. Quod se in pauperum potius quàm divitum numero ipse collocaverit, hæc ejus verba indicant:

*Solon voluptatibus animum tribuit.*

*Paupertas cum virtute divitiis præstat.*

*Multi quippe boni cum paupertate premantur,*
*Crebrius est quicquam vix locuplete malo.*
*At nos virtutem nunquam mutabimus horum*
*Divitiis, neque sic pœnitet esse probos.*
*Virtutis semper stabilis possessio perstat:*
*Incerta variâ sorte feruntur opes.*

IV Poësi videtur initio ad nullam rem seriam, sed animi tantum falsendique temporis causa usus fuisse. Post autem carminibus sententias inseruit philosophicas, intexuitque præcepta civilis sapientiæ: nonsut eam memoriæ traderet, sed ut actionum rationes ita redderet, ac nonnullis in locis Athenienses adhortabatur, monebat, increpabat. Sunt qui scribant, intendisse eum etiam leges suas versibus edere, memorantque hoc ejus operis principium:

*Poëseos usus.*

*Principio te rex Saturno nate precamur,*
*Fortunamq; bonam, famamq; his legibus addas.*

Ex omnibus partibus philosophiæ moralis, eam maximè amplexus fuit, quæ est de civitate instituenda: quod ei cum majori parte sapientum erat commune. In ea verò, quæ est de cognitione naturæ, rudis admodum fuit, & simplex. quod hi versus demonstrant:

*Physica rudis.*

*Vis nivis ex nebula, necnon & grandinis exstat,*
*Et tonitru à nitidi fulguris igne venit.*
*At pelagus venti perturbant: quod nisi quisquam*
*Commoveat, nihil hoc justius orbis habet.*

V Atque omnino verisimile est, solam tunc Thaletis philosophiam ultra usum sese ad contemplandum extulisse: reliquos sapientis nomen à civili virtute invenisse. Porro famosos illos sapientes Delphis convenisse perhibent, rursusque Corinthi, à Periandro ad convivium coactos. Auxit eorum dignitatem, famamque tripodis inter eos in orbem circuitus, benevolè & studiosè uno alteri eum concedente. Ferunt enim, Cois nassam jacientibus, eam capturam à Milesiis hospitibus, cùm adhuc incerta ejus esset fortuna, emptam fuisse: extractumque reti tripodem aureum, quem eo Helena cum à Troja navigaret, vetusto oraculo quodam admonita, dejecerit. Ibi principio altercatos cum piscatoribus Milesios: post civitates eam contro-

*Thales.*

*Septem sapientum tripus.*

controversiam suam feciſſe, deventumque ad bellum: tum utriſque Pythiam oraculo præcepiſſe, uti hominum ſapientiſſimo eum tripodem darent. Ita eum primo Miletum Thaleti miſſum, ultro donantibus uni viro Cois eum, cujus cauſa cum univerſis bello contendiſſent. Thalete Bianti ſapientiæ palmam deferente, ad hunc perveniſſe tripodem. ab hoc ad alium, tanquam ſapientiorem, indeque ab eo rurſus alii tranſmiſſum, atque ita denuo ad Thaletem rediiſſe: denique Mileto Thebas tranſportatum: atque Apollini Iſmenio conſecratum fuiſſe. Theophraſtus miſſum primo Bianti Prienam, ab hoc Miletum Thaleti, inde per ordinem ad omnes, ac poſtremò ad Biantem relatum, itaque ad extremum Delphos miſſum. Hæc à multis auctoribus vulgata ſunt: niſi quod id donum quidam non tripodem fuiſſe, ſed alii pateram à Crœſo miſſam, alii poculum à Bathycle relictum dicunt. Privatim verò de Anacharſidis, item- VI
*Anacharſidis cum Solone congreſſus.* que de Thaletis cum Solone congreſſu hæc traduntur. Anacharſim cùm Athenis ad Solonis domum veniſſet, januam pulſaſſe, indicaſſeque, hoſpitem ſe adeſſe, cupereque cum ipſo amicitiam & jus hoſpitii conjungere. Solonem verò reſpondiſſe, domi potius amicitias parandas eſſe; tum illum ſubjeciſſe, Ergo tu, qui domi tuæ es, me amicum tuum fac, & hoſpitem. ita Solonem acumen ingenii in Anacharſide miratum, comiter hominem accepiſſe, aliquandiuque ſecum detinuiſſe, cùm jam ipſe rempublicam legeſque componeret. Anacharſidem cùm è Solone quam is rem ageret intellexiſſet, riſiſſe hominis inſtitutum, qui ſe cives ſuos ab injuſtitia & cupiditatibus revocare poſſe putaret ſcriptis legibus, quæ nihil ab aranearum telis differrent: ſed perinde atque illæ tenerent, ſi quos infirmos & tenues cepiſſent, à potentibus autem perrumperentur. Et ita à Solone reſponſum: Sicut pactis ſtent homines, eo quod neutris horum, inter quos ea convenſſent, expediret ea violare: ſic ſe leges ſuas civibus ita concinnaturum, ut omnes juſtitiam injuſtitiâ utiliorem perſpiciant. Et tamen magis Anacharſidis opinioni, quàm Solonis ſpei exitus reſpondit. Id quoque mirum ferunt Anacharſidem tum fortè concioni interfuiſſet, quod apud Græcos ſapientiam eſſet dicere, indoctorum judicare. Porro cùm ad Thaletem VII
*Leges aranea telæ ſimiles.*

*Thaletis cum Solone diſputatio.* Solon veniſſet Miletum, mirum ſibi videri oſtendit, quod is vir omnino conjugii, procreationisq; liberûm nullam rationem habuiſſet. Thales tum quidem tacuit, interjectis paucis diebus peregrinum ſubornavit, qui ſe proximis decem diebus veniſſe Athenis ſimularet: ac ſimul, quæ loqui eum uſus eſſet, docuit. Is percontanti Soloni, ecquid novæ rei Athenis eveniſſet: nihil aliud reſpondit, quàm funus fuiſſe eo tempore adoleſcentis alicujus ductum à civitate: eum enim adoleſcentem filium fuiſſe viri illuſtris, ac virtute inter cives primi qui diu jam peregrè abeſſe diceretur. Quàm miſer, inquit Solon, ille: ſed quod ei nomen? ibi hoſpes. Equidem audiviſſe ex illis, ſed memoriâ excidit: id unum memini de ſapientia ejus atque juſtitia multum fuiſſe ſermonem. His ſingulis reſponſionibus majorem

jorem ad metum adductus Solon, jamque perturbatus planè, ipse nomen hospiti subjecit, interrogavitq; Soloníve ille filius fuisset? affirmantéq; illo; verbera capiti suo intentavit, statimq; ad ea prolapsus est dicenda & facienda, quæ solent, qui gravi aliquo dolore sunt perculsi. At Thales eũ inhibuit, ridensq;. Hæc, inquit, ô Solon, nuptiis me & liberûm procreatione absterrẽt, quæ te quoque, etiam firmissimi hominem animi, dejiciunt, cæterùm hujus quidem ser-
VIII monis causa bono sis animo, est enim confictus. Tota hæc narratio est, si Hermippo credimus, Patæci, qui animum Æsopi in se transisse dixit. Verum enimverò ineptus sit, abjectiq; ingenii homo, qui metu amittendi à parandis rebus necessariis abstineat. Ita enim neq; divitias, neq; gloriam, neque sapientiam præsentem quispiam gratam habebit, quod privatum ea se iri timeat: quando ipsam etiam virtutem, qua nihil neque majus, neq; jucundius possidemus, morbis & medicamentis auferri videmus. Neque verò Thales eo se
IX omnis metus securum præstitit quod conjugium vitavit: nisi fortè & amicos & necessarios, & patriam omnino nullam habuit: quin etiam adoptasse sibi filium sororis Cybisthum traditur. Quippe cùm in animo hominis insit quiddam, quod ad diligendum nos incitet, utque vis sentiendi, cogitandi, memorandique, ita etiam amandi in ea sit insita: fit, ut qui nihil proprium atque domesticum habeant, quod ament, iis aliquid externum se insinuet, sibique eos devinciat. Itaque hujusmodi animum tanquam domum aut agrum legitimis hæredibus carentem, alieni & non genuini subeunt demerendo, occupantq; & efficiunt, ut is simul cum amore cũram quoque sollicitudinemq; pro ipsis suscipiat. Estq; adeo videre homines, qui cùm obfirmato admodum animo de coniugio & suscipienda prole dissentant: mox vernarum liberis, aut pellicum ægrotantibus morientibusve, desiderio eorum succumbant, vocesq; se indignas emittant. Quidam mortem canum aut equorum ita intulerunt, ut turpiter in posterum vixerint, vitam ipsam præ dolore acerbam sibi habentes. Contra inventi sunt, qui amissis egregiis liberis, nihil turpe aut indignum in se admiserunt: sed vitæ reliquum rectè & prudenter exegerunt. Non enim benevolentia, sed animi imbecillitas mœrores fine carentes, metusq; incutit hominibus, ad ferendam ratione fortunam non exercitatis, quos futurorum timor tantis doloribus ac trepidationibus solicitudinibusque affligat: dum se ea, quæ habent, amissuros metuunt, ut præsentibus iis, quæ expetebant, nulla afficiantur delectatione. At verò non paupertate pecuniæ, non solicitudine amicorum, non cœlibatu, liberorum amissio effugienda est: sed contra hæc omnia consilio animus obfirmandus. Cæterùm hæc
X quidem in præsentia plus satis. Athenienses diuturno ac gravi bello de Salamine insula contra Megarẽses confecti, legem sanxerant, ut qui vel scripto vel dicto de ea insula obtinẽda retulisset, capite plecteretur. Id patriæ dedecus graviter ferẽs Solon, videsq; cõpluribus juvenibus tantum initio belli opus esse, qui ipsi metu legis facere non aude-

*Storge naturalis.*

*Actio Solonis de Salamine insula.*

audèrent: insaniam simulavit, divulgatusque est per urbem rumor ex ipsius domo, è potestate rationis Solonem exiisse. interim ipse elegiacos versus componebat meditabaturque ita ut memoriter recitare posset. Ita paratus subitò in forum se proripuit pileatus: ac cùm magna hominum turba eo advolasset, lapidem præconis conscendit, elegiamque cantavit, cujus initium hoc est:

*Ipse ego ab optata veniens præco Salamine,*
*Carmina, non numeris dicta soluta, loquar.*

Poema id Salamis inscriptum est, constatque centum versibus eleganter admodum compositis: idque cùm esset recitatum, laudarique ab amicis Solonis cœpisset. Pisistrato præcipuè civibus instante adhortanteque ut Solonis monitis obtemperarent, abrogata lege Athenienses, bellum instauraverunt, Solone ejus duce electo. Vul. XI garis fama tenet, Solonem adscito sibi Pisistrato socio, ad Coliadem navigasse, deprehensisque ibi omnibus mulieribus, quæ Cereri sacrum ritu à majoribus accepto faciebant, hominem exploratæ fidei misisse Salaminem, qui se perfugam simulans, juberet Megarenses statim secum ad Coliadem navigare, ut ibi præcipuas Atheniensium matronas caperent. Cui cùm fidem habentes Megarenses, viros navigio impositos eo misissent: Solonem, cùm id videret ab insula provectum, remotis mulieribus juvenes imberbes earum vestibus, mitris, atque calceis induisse, occulteque pugionibus armatos jussisse propter mare per ludum saltare, donec hostibus in terram egressis. navis in suam potestatem veniret, itaque rem esse confectam: Megarenses aspectu deceptos, cùm propius accessissent, certatim è navi tanquam ad rapiendas mulieres exsiluisse, eoque ad unum omnes ibi interfectos fuisse. Athenienses statim ad insulam contendisse, eamque cepisse. Alii non hoc modo captam Salaminem scribunt: sed Delphis primò datum Soloni oraculum: XII

*Ut Salaminem Solon recuperavit.*

*Ductores patrios sacris placare memento*
*Heroas, tumulo quos terra Asopia condit,*
*Solis ad occasum qui spectant lumine cassi.*

itaque Solonem noctu trajecisse Æginam, atq; hostias Periphemo & Cychreo heroibus mactasse. secundum hæc, accepisse secum quingentos Athenienses, qui sua sponte se ei adjunxerant, quod decretum erat, ut insulam si cepissent, principes essent in republica. cum his eum avectum esse multis lembis piscatoriis, simul eunte navi una triginti remi, Salaminiq; appulisse juxta promontorium quoddam Eubœæ obversum. Qua de re cùm Megarensibus, qui erant in Salamine, incertus rumor accidisset, tumultu facto eos ad arma concurrisse, navimque emisisse specultatum. hanc appropinquantem jam hostibus, à Solone captam: eamque Megarensibus in custodiam datis, imposuisse in eam fortissimos Atheniensium: mandato, ut quam maximè fieri posset seipsos abscondentes ad urbem adveherentur. Ipsum acceptis secum reliquis Athenensibus, pedestri prœlio cum Megarensibus conflixisse: & adhuc incerta victoria, ab iis, qui

iis, qui navi advecti jam in terram exierant, urbem occupatam fuisse. Huic narrationi etiam ritus deinde usurpati videntur testimonium ferre. Primò enim navis Athenienſium appellebat ſilentio, deinde tumultuantibus ac cum clamore irruentibus ipſis, vir unus armatus exſiliebat, vociferanſque impetum facientibus ad promontorium Sciradium occurrebat Pone eſt templum Martis, à Solone conditum. Vicit enim pugna Megarenſes, cujus fortunam qui ef-
XIII fugerunt conditionibus pacis acceptis dimiſſi ſunt. Cæterùm Megarenſibus in contentione perſeverantibus, Athenienſes multis ultro citroque illatis acceptiſque cladibus, Lacedæmonios arbitros controverſiæ ſumpſerunt. Hîc plerique Homeri exiſtimationem Soloni opitulatam dicunt: inſeruiſſe enim hunc carmen hoc navium recenſioni apud Homerum, ac in judicio recitaſſe:

*Judicium de Salamina.*

*At cum biſſenis Ajax Salamine profectus*
*Navibus Aeacides, illic ſua caſtra locavit,*
*Signa ubi Cecropiæ ſtatuebant Martia turmæ.*

ipſi autem Athenienſes, nugas, eſſe hæc putant: demonſtraviſſeque Solonem judicibus affirmant, quod Philæus & Euryſaces Ajacis filii, cùm jus civitatis Athenienſis acceperiſſent, inſulam ei civitati tradiderint: alterumque Braurone, alterum Melitæ (vicus uterque eſt Atticæ) habitaſſe: eſtque Athenienſis tribus Philaidarum a Philæo dicta, è qua fuit Piſiſtratus. Præterea quo magis Megarenſes refellerent: contendit, cadavera non Megarenſium, ſed Athenienſi more humata eſſe: ea enim in ſepeliendo illi orienti obvertunt, hi occidenti. Id Hereas Megarenſis impugnans, affirmat Megarenſes non modò cadavera ita terræ condere, ut ad occaſum Solis ſpectent: ſed etiam trina, aut quaterna in uno ſepulchro, cùm ſingulis Athe-
XI nienſes utantur. Pro Solone etiam quædam Pythica oracula feciſſe dicunt, inter quæ fuit quod Salaminem Deus Ioniam cognominavit. Arbitrium hujus cauſæ obierunt quinque Lacedæmonii viri, Critolaidas, Amompharetus, Hypſechidas, Anaxilas, & Cleomenes.

*Sepultura Athenienſium.*

XIV Hæc jam tum Soloni magnam gloriam paraverant: auxit tamen admirationem famamque ejus apud Græcos, quod ſuaſit non eſſe negligendam injuriam quam Cirrhæi Delphico oraculo inferent; ſed ei ſuccurrendum, vimque Cirrhæorum prohibendam. Ejus enim auctoritate moti Amphictyones, bellum ſuſceperunt: quod & alii teſtantur, & Ariſtoteles in enumeratione eorum, qui Pythia vicerunt, Solonem auctorem hujus ſententiæ facit. Non tamen (quod Evanthem ſcripſiſſe Samium Hermippus ait) dux huic bello præfectus eſt Solon: nam neque Æſchines orator id dicit, & in Delphicis
XV commentariis Alcmæon dux belli ſcriptus eſt. Cæterùm tumultus in urbe propter Cylonium piaculum, jam olim motus tunc quoque magnas turbas dabat. Res ita habet: Megacles archon conjuratis cum Cylone ſupplicibus Deæ factis perſuaſit, ut ſe judicio ſiſterent: qui cùm filum textum à templo extendiſſent, idque tenentes à templo deſcenderunt, forte fortuna filum ruptum eſt, cùm ad

*Bellum pro Delphis contra Cirrhæos.*

*Cylonium piaculum.*

fanum Furiarum venissent: id ita calumniati Megacles cum collegis, quasi supplicationem eorum Dea non admitteret, impetum in eos fecerunt, ac qui extra fores templi deprehensi fuerant, lapidibus obruerunt, qui ad aras confugerant, jugularunt: solis iis dimissis, qui ipsorum uxoribus supplicassent. Ab hoc facto dicti scelerati, ut qui se piaculo obstrinxissent odioque sunt habiti. & qui erant factionis Cyloniæ, reparatis viribus continenter adversus Megaclis sectam seditionem movebant. Quæ cùm eo tempore jam invaluisset, populumque in duas partes distraxisset: Solon, qui jam auctoritatem sibi apud cives peperisset, in medium cum optimatibus Athenensium progressus, orando docendoque eo rem deduxit, ut qui scelerati appellabantur, rem judicio trecentorum, qui erant ex optimatibus delecti, civium permitterent: damnatique sunt accusante Myrone Phlyensi. & qui adhuc erant in vivis, solum vertere jussi: defunctorum cadavera effossa, & extra limites civitatis projecta. Inter hos tumultus etiam à Megarensibus impetiti Athenienses, amiserunt Niseam ac Salaminem: metuque propter ostenta & superstitionem objecto urbs terrebatur, renunciaruntque vates, piacula lustrationis egentia sacrificiis indicari. His de causis accitus venit Athenas Epimenides Phæstius, quem in numero sapientum septimum ponunt nonnulli eorum, qui Periandrum excludunt: judicabatur autem diis charus homo, & rerum divinarum peritus, eaque sapientia, quæ afflatum Numinis requirit, & initiationibus consistit, præditus. itaque ejus temporis homines filium eum nymphæ Baltes, & novum Curetem vocabant. Is contracta cum Solone amicitia, multis in rebus eum adjuvit, viamque ei ad leges ferendas struxit. Contraxit enim splendorem cæremoniarum, luctumque additis funeri sacrificiis mitigavit, duro ac barbaro more, quo ante pleræque utebantur mulieres, sublato: & (quod fuit potissimum) placationibus deûm, expiationibus, dedicationibusq; rerum sacrarum urbem ita lustravit, ut eam justitiæ obtemperationem, facilioremque ad concordiam reddiderit. Fertur, cum Munychiam inspexisset, diuque contemplatus fuisset, dixisse astantibus: Quam cæci sunt homines in prævidendis rebus futuris? si Athenienses scirent, quanta hic locus mala est urbi daturus, dentibus profectò suis eum eroderent. Simile quiddam Thaletem conjectura præcepisse memorant, qui sui defuncti corpus jusserit poni in abjecto quodam & contempto loco agri Milesii, addito, Ibi quondam forum Milesiorum fore. Epimenides cùm ita in summam admirationem sui homines adduxisset, magnam pecuniam offerentibus, honoresque Athenensibus, nihil præter ramum sacræ oleæ popposcit, eoque accepto abiit. At verò Athenienses, sedato tumultu Cylonio, pulsisque in exilium sceleratis, rursus in antiquam seditionem de republica prolapsi sunt, divulsa in tot partes urbe, quot erant agri divisa genera. Diacrii enim popularem statum: paucorum principatum Pedæi existimabant: Parali medium quendam & commixtum reipublicæ

*Epimenides Athenas vocatus.*

XVI

*Factiones Athenar.*

blicæ statum cupiebant, reliquisque obstantes, neutros prævalere sinebant. sed eo jam tum inter pauperes ac divites inæqualitas excreverat, ut in summo urbs esset periculo: neque aliter nisi tyrannide in ea constituta, videbatur unis turbarum futurus. Totus enim populus ære alieno divitibus erat obstrictus: & aut colebant agros, sextantem fructuum illis pendentes, inde sua lingua *Hectemorij*, ac *thetes* (quod est sextam partem solventes, & mercenarii) vocabantur: aut corpora debito opponentes, nexi erant ejus causa creditoribus: abducebanturque ut vel in patria servirent eis, vel in alias terras divenderentur, multi suos liberos vendere, (nulla lege obstante) aut ob inhumanitatem fœneratorum ab urbe profugere cogebantur. At maxima pars, ac robustissimus quisque, facta coitione adhortabantur se mutuò ad capessendum negotium ac duce aliquo sibi præfecto, eos qui ultra legitimum tempus possessiones tenuissent, agris detrudendum, eosque in commune dividendum, omninoque
XVIII rempublicam immutandum. Eo rerum statu prudentissimi Atheniensium cernentes Solonem unum ab utroque vitio esse intactum, ac neque injuriarum divitibus neque miseriarum pauperibus socium, oravere hominem, ut communis utilitatis curam susciperet, controversiamq; dissolveret. Phanias quidem Lesbius narrat, utrisque eum imposuisse, quod saluti publicæ consuleret, clanculum pauperibus agrorum divisionem, divitibus confirmationem contractuum pollicendo. At ipse ait se ægrè initio rempublicam attigisse, quod & horum cupiditatem, & illorum superbiam metueret. Electus est princeps post Philombrotum, simulque & arbiter, & legum conditor, accipientibus eum utrisque libenter planè, divitibus tanquam locupletem, egenis ut mitem. Ferunt etiam dictum ejus jam ante omnium in ore fuisse, *Ab æqualitate nullum bellum oriri*: ita quidem, ut & opulentis hoc & inopibus probatum fuerit, alteris æqualitatem virtute ac merito uniuscujusvis, alteris mensura & numero eodem sperantibus æstimatum iri. Quare utrisque in magnam spem adductis, qui primas gerebant in populo, tyrannidem Soloni offerebant, instantes, suadentesque, ut omnibus rebus in suam po-
XIX testatem acceptis, negocium eo majori anno aggrederetur. Complures etiam eorum qui medio loco erant in civitate, videntes difficulter mutationem eam verbis & legibus posse effici, haud inviti ad unum justissimum ac prudentissimum summam rerum deferri videbant. Sunt qui hoc Soloni oraculum Pythiam cecinisse asserant:

*In media residens agē navim dirige clavo:*
*Multi Cecropidum tuâ fidi cœpta juvabunt.*

Præsertim verò à familiaribus suis objurgabatur, ut qui propter nomen à tyrannide abhorreret, quasi verò non statim eam in regnum virtus ejus qui occœpisset, mutare posset: quod ante Euboensibus evenisset, cùm Tynnondæ, & recens Mitylenæis, cùm Pittaco tyrannidem obtulissent. Nihil horum suo à consilio deduxit Solonem: sed amicis fertur respondisse, Tyrannidem quidem locum esse

*Soloni magistratus defertur & tyrannes.*

*Tyrannis.*

pulcrum, exitum autem nullum habere. Ad Phocum autem in carminibus suis ita scripsit:

*Quodq; patriæ peperci ego meæ, tyrannidem*
*Resp uens, inhumanamq; vitam, nec volui meam*
*Quod contaminare laudem: non pudet, neq; pœnitet,*
*Nam præstabo sic, opinor, omnibus mortalibus.*

Vnde satis liquet, etiam ante legum lationem magnum fuisse ejus nomen. Quæ verò de ipso tyrannidem detrectante multi deridentes dixerint, ita ipse perscripsit, introducens multitudinem perversam hæc de ipso loquentem: xx

*Non quidem est Solon cordatus, aut vir consilio valens:*
*Nam bona largiente noluit tanta accipere ex Deo:*
*Tam bona cùm incidisset præda, trahere retia noluit,*
*Impos mentis, & rationis expers, sensuumq; homo*
*Ipse non recusem adeptus amplas divitias prius.*
*Vnicuiq; Athenis imperassem si prius diem,*
*Vtris instar excoriari, & exscindi meum genus.*

Neque verò quia tyrannidem à se reiecerat, ideo rem ipsam summa cum lenitate confecit, aut mollem se, subditisque obsequentem præbuit, aut accommodavit se in sanciendis legibus voluntati eorum, qui eum principem elegissent: sed nullum remedium, nullam mutationem iis adhibens, quæ intacta relinquere optimum videbatur: (nimirum metuens ne si omnia confudisset, totumque reipublicæ statum conturbasset, post ad eum denuo constituendum, inque optimam formam redigendum haud satis esset virium habiturus) quibus in rebus cives vel suadenti sibi, vel cogenti obtemperaturos existimabat, eas ita tractavit, ut (quod ipse ait)

*Cum jure vim, cum vi q; jus conjungeret.*

*Nomina rebus invisis mollioratindita.*

Itaque post interrogatus, optimasne leges Athenienſibus dedisset: de iis quidem, inquit, rebus, de quibus optimas ipsi admiserunt. Iam quod recentiores Græci aiunt, Athenienses rerum ipsarum invidiam urbanè inditis nominibus mollibus atque mitioribus obtegere, & diminuere, ut cùm meretrices amicarum, tributa collatæ in usum reip. pecuniæ, urbium præsidia custodiæ carcerem domicilii vocabula efferunt: id apparet primò arte à Solone esse excogitatum, qui novis tabulis *Seisachtia* (hoc est *onerum subleuationis* seu *excussionis*) nomen imposuit. Hæc enim prima eius fuit in republica constitutio, quod lege latâ æs alienum omne remisit debitoribus, vetuitque ne quis in posterum corporis obligatione id contraheret. Quanquam nonnulli, quorum in numero est Androtion, pauperes non novis tabulis, sed fœnoris diminutione sublevatos, contentos fuisse: idque statutum eius, ac quod mensuram & precium numismatis simul mutavit, beneficium putasse, itaque appellatione insignivisse ajunt. Minam enim cùm ante esset septuaginta trium drachmarum, ad centenarium earum numerum extendit: ut cùm numerus idem, precium tamen minus persolveretur; & hi magnum com-

*Aes alienum dijussum.*

*Mina aucta.*

commodum sentirent, qui solvebant. & qui accipiebant, nihil da-
XXII mni inde haberent. Plerique putant Seisachtia omnes simul obligationes abolitas fuisse; huicque sententiæ magis astipulari carmina Solonis. Gloriantur enim in iis se multos

*Priorus agro fastulisse limites,*
*Hinc inde fixos: nunc q3 liberum solum*
*Id esse, quod servierat dominis prius.*

Et quod civium æris alieni causa nexorum, alios adduxerit ab exteris regionibus,

*Qui Socibus non uterentur Atticè,*
*Hinc inde tam variis vagatu casibus:*

alios autem Athenis,

*Indigna quos tenuerat ante servitus,*
*Exemerit q3 fecerit q3 liberos.*

XXIII Hoc in negocio traditum est accidisse Soloni rem longe omnium adversissimam. Cùm enim statuisset æs alienum discutere, sermonemque ei proposito aptum, commodumque initium circumspiceret, amicis suis, quibus & maximè fidebat & summopere utebatur, Cononi, Cliniæ, & Hipponico indicavit, agros se intactos relicturum, novas autem tabulas facturum. Huic rei antevertendum illi rati, occupârunt magna pecuniæ vi à divitibus mutuò sumpta multos agros coemere: post decreto publicato, cùm ipsi fructus ex agris perciperent, creditoribus autem debitum non redderent, magnis criminibus calumniisque Solonem objecerunt, tanquam non ferendæ sed faciendæ iniuriæ particeps ipse fuisset. Hanc tamen infamiam ipse statim diluit, quinque talentis (tot enim ei debebantur) secundum legem a se primo omnium condonatis. quidam, in quibus est Polyzelus Rhodius, quindecim talenta in nominibus habuisse Solonem scribunt. amici nihilominus eius semper *Chreocopidæ*,
XXIV hoc est *novarum tabularum auctores* cognominati sunt. Interim Solon neutri factioni placebat; sed & divites sublatis obligationibus offendebat, & pauperes, quod ab iis speratam agrariam legem non tulisset, neque eandem quam Lycurgus vitæ æqualitatem instituisset. Sed hic quidem undecimus ab Hercule cùm esset, multisque annis Lacedæmone regnasset, magnam auctoritatem, amicos multos, ac potentiam, quæ iis quæ præclarè de republica statuisset exequendis suppeditaret, habuit: usque vi magis quàm persuadendo usus, ita ut oculum quoque amiserit in contentione, id confecit, quod ad salutem & concordiam civium faciebat maximè, ut nemo inter eos dives esset, nemo pauper. At Solon id quidem consecutus non est, de populo unus, ac medii status homo: nihil tamen ea quam obtinebat potentia inferius egit, cùm quidem ei nulla præter consilium & fidem apud cives præsidia fuerint. Quod incurrerit in plerorumque offensiones, diversa expectantium, ipse de eis ait:

*Lycurgi & Solonis circumstantia.*

*Gaudium putabant ante me suum: infensi mihi*
*Nunc ut hostem obliquis intuentur oculis me suum.*

itemque affirmat:

*Quod si quis hanc nactus foret potentiam*
*Alius virûm; non antea is populi graves*
*Turbas frementis inhibuisset, lacteam*
*Tumultuanti quàm auferens pinguedinem,*
*Compescuisset gravibus afflictos malis.*

Mox tamen ipsi suam utilitatem sentientes, omissis reprehensionibus, publicè sacrificârunt, quod sacrificium Seisachtiam dixerunt: Solonem autem reipublicæ correctorem, legumq; latorem declaraverunt: non alia ejus permittentes potestati, alia eximentes: sed liberè magistratus, conciones, judicia, consilia, horum singulorum dignitatem, precium, numerum, tempus, ut ejus arbitrio omnia vel abrogarentur, vel servarentur, concesserunt. Primum igitur omnes Draconis leges, præter eam, quæ erat de cædibus, abrogavit, propter duriciem & magnitudinem suppliciorum. Nam omnibus ferè delictis capitalis pœna erat constituta, ita ut morte etiam multarentur qui ocii damnati essent: & olus aut poma furati, non alio quàm sacrilegi & homicidæ supplicio efficerentur. Itaque illud Demadis postea laudem invenit: *Draconem non atramento, sed sanguine leges suas scripsisse* dicentis. Ipse autem Draco interrogatus cur plerisq; peccatis mortem pœnam constituisset, fertur respondisse: *eo id à se factum, quod parva delicta mortem mereri censeret, magnú autem quod majus irrogaret, nullum haberet.* Secundo loco cùm statuisset Solō magistratus omnes divitibus, penes quos tum erant, relinquere, reliquam verò partem reipublicæ etiam pauperibus (exclusi enim erant) communem facere, censum civium instituit. Qui aridorum simul liquidorumque medimnos quingentos in reditibus habebant, eos primos inter cives statuit, vocavitque *Quingentimedimnos.* Secundo loco eos, qui equum alere possent, aut percipe-rent medimnos fructuum trecentos: hos equestris census homines appellavit. Tertio censui *Bigatorum* nomen fecit, quod binis census esset trecentorum medimnorum: reliqui omnes *thetes*, hoc est, mercenarii nuncupabantur: his nullum magistratum gerere cōcessit, sed tantum ad conciones & judicia admissi, in partem reipublicæ veniebant. Quod etsi initio nullius momenti videbatur, tamen permagnum esse posterius apparuit; quod pleræq; controversiæ ad judices deferebantur. nam & quarum causarum judicia magistratibus tribuit, earum concedebatur iis, qui vellent, à magistratibus ad judices provocatio. Traditur etiam eo vim judiciorum auxisse, quod leges nonnihil obscuras, & in quibus multa in diversas partes exponi possent, conscripserit: quippe cùm legibus dissolvere litem nequirent, usu veniebat ut semper judicum operam requirerent, adeoque controversias suas deferrent, qui legum domini quodammodo erant. Ipse hanc æquationem his versibus indicat:

*Quas sat erat vires populo, non protinus aucto,*
*Sed neq; sublato prorsus honore, dedi.*

*Soloni mera potestas dilata.*

*Draconis leges.*

*Census civium institutus.*

XXV

XXVI

XXVII

Divi-

*Diuitibus quanquam potior concessa potestas,*
*His tamen indignum nil, neq; turpe licet.*
*Sic corpus validâ munierimus aspide utrunq;*
*Ne vinci alterutrum, vincere neve queat.*

Quo magis autem plebeiorum infirmitati opitularetur, iniuriam alicui illatam unicuique, qui voluisset persequendi potestatem fecit. itaque si cui plaga impositа, aut damnum datum, aut vis facta esset, licebat ei, qui poterat & volebat, eum, qui iniuriam intulisset, in ius trahere. Qua re cives suos egregiè adsuefecit, ut singuli cum singulis, tanquam unius corporis partes, dolorem participarent. Memoraturque dictum eius, quod huic legi consonat: interrogatus enim quænam urbs optimè habitaretur? *Ea*, inquit, *in quâ eos qui injuriam alicui fecerunt, non minus hi qui læsi non sunt, ulciscuntur, quàm ij quibus vis est illata.* Deinde cùm ex annuis magistratibus senatum instituisset (qui Arcopagitæ, quod in vico Martis convenirent, dicebantur) quo in concilio ipse etiam, ut qui magistratum gereret, fuit: sentiens plebem nihilominus fremere, æris alieni abolitione inflatam, alterum senatorum concilium ordinavit, delectis ex singulis (erant autem quatuor) tribubus, viris centum: qui senatores, antequàm populus suffragia de re quapiam iniret, auctores fierent: neque in concione de re ulla referri liceret, nisi auctores ipsi facti fuissent. Areopagitarum verò senatum inspectorem omnium custodemque legum voluit esse: existimans Rempublicam duobus senatibus, quasi duabus in anchoris stantem, minus fluctuaturam, foreq; populum eo quietiorem. Atque huius quidem de Areopagitis sententiæ sunt plerique, nimirum Solonis esse id opus: quibus maximo testimonio esse videtur, quod in legibus suis Draco Areopagitarum ne verbo quidem usquam meminit, sed de cæde semper ad Ephetas loquitur. Atque legis octavæ è decimotertio Solonis axe, hæc sunt verba: *Omnes qui ante Solonis magistratum ignominia fuêre notati, liberi ignominia sunto: exceptis iis, qui apud Areopagitas, aut Ephetas, aut in Prytaneo à regibus clandestinæ cædis, vel homicidij, vel affectatæ tyrannidis damnati fuêre, cùm hæc lex lata est.* Quibus verbis ostenditur, ante quâ Solon Remp. gereret, legesque ferret, jam tum Areopagitarum fuisse senatũ. Qui enim fuissent ante Solonem in Martio vico damnati, si ei senatui Solon demũ iudicandi facultatem dedisset? Nisi fortassis dicendum sit, legem eam obscurè, aut aliquibus vocabulis omissis scriptã fuisse: ut intelligatur eos, qui damnati eorum criminum fuissent, de quibus hoc tempore, quo lex ea lata est, Areopagitarũ erat vel Ephetarum vel Prytaniũ cognitio, infames manere iuberi, cæteris ignominia liberatis. Sed hæc Lectori considerandа relinquimus. Reliquarũ Solonis legum, hæc peculiare aliquid habet, & cõmuni opinioni contrarium, quæ infamia eum notat, qui in seditione neutri se parti adiunxerit. Probabile tamen est, voluisse eum innuere, non debere civem nõ affici cõmunis Reipublicæ casibus, cùm suas res in tuto collocaverit:

*Civium mutuus consensus.*

*Quadringentorum senatus.*

*Areopagitæ.*

*Areopagitæ an Solon primus instituerit.*

*Lex in neutri partis se adiungentes.*

neque eo sibi gratulari, quod non una cum patria malè habeat: sed sta[illegible]his, quorum causa sit melior ac justior, accedere, unaque cum his periculum juvandæ Reipublicæ gratia subire potius, quàm extra discrimen expectare, quo victoria sit inclinatura. Absurda et- xxxi
*Lex de dotatis mulieribus.* iam & ridicula in speciem est lex, qua orbæ & donatæ mulieri permittitur, si maritus ejus, qui ei secundum legem obrigit, coire non posset rem cum ejus propinquis habere. At hanc quoque rectè latam alii asserunt, contra eos nimirum, qui ad rem veneream inepti, tamen pecuniæ causa dotatas ducunt mulieres, & naturam lege opprimere nituntur. qui cùm videant eas, cum quibus ipse velint coire, aut omittent id matrimonium, aut in eo cum decore permanebunt, avaritiæ cupiditatisque pœnas dantes. Bene autem præceptum est, ut non cum quovis ea, sed cum mariti propinquo, quem ipsa delegerit, concumbat. ut liberi ita nati consanguinei tamen sint. Huc xxxii
*Leges aliæ nuptiales.* pertinet id quoque, quod sponsam cum sponso includentes, malum cydonium eos una comedere jubent: quodque maritus ter minimum singulis mensibus cum dotata uxore congredi jubetur: nam eo modo, etsi liberi nulli nascantur, tamen is honor mulieri pudicæ exhibitus atque comitas, utrosque multis, quæ in conjugio incidere solent, molestiis liberat, neque abalienari eorum prorsus à se invicem propter dissidium animos patitur. Reliquarum autem nuptiarum dotem Solon sustulit, neque nuptam ad sponsum quicquam præter tres vestes, & suplectilem non magni precii adferre voluit, non enim mercedis causa contrahi, venalesque esse nuptias debere: sed prolis suscipiendæ, gratiæque & amoris causa conjungi virum cum muliere. Sanè Dionysius matri petenti, ut se alicui civium uxorem daret, respondit: *Leges quidem civitatis per tyrannidem se convertisse, sed non posse istem naturæ legem ipsa in matrimonium collocanda violare.* In civitatibus verò nequaquam toleranda est ea confusio ut connubia hujusmodi jungantur ætate à nuptiis aliena, & in quibus neque gratia, neque actio, neque finis conjugii sit futurus. Itaque magistratum aliquis gerens, aut legislator, seni puellam ducenti rectè ita dixerit, ut alicubi Philocteta compellatur:

*Consi dictum.*

——*Ecquid conjugium appetis miser?*

Et juvenem in uxoris vetulæ domo pinguem factum (ut ferunt perdicibus à coitu accidere) inveniens, transferet ad virginem viri indigentem. Porro autem Solonis ea etiam lex laudatur, qua vetuit xxx
*Lex de mortuis non vituperandis.* mortuis maledicere. pietatis est enim, vita defunctos sacros existimare: justumque abstinere ab iis qui non sint: civile etiam est, peruitatem odiis adimere. Prohibuit etiam vivis obtrectare in templis, judiciis, & curia, & cum spectacula ederentur: qui contra fecisset, tres ei, cui convicium dixisset, drachmas, duas ærario solvere cogebatur. pravè enim educatorum & incontinentium hominum est nusquam posse iræ moderari: ubique autem eam reprimere pauci possunt, quidam omnino nequeunt. At qui legem sancit, id quod fieri potest respicere debet, siquidem paucos utiliter non multos

*De convicio.*

absque

xxx absque emolumento punire velit. Etiam lex de testamentis lata, *Testamenta.*
xxxiv laudi ei fuit. ante enim testari licebat nemini, sed necesse erat pecuniam & domum in familia defuncti permanere. At Solon permittens, ut is qui liberis careret, sua cui vellet legaret, amicitiam consanguinitate, gratiamq; necessitate potiorem habuit, bonorumque integram possessionem dominis tribuit. Non tamen absque omni conditione legandi plenam licentiam admisit: sed ejus modò ratum esse testamentum voluit, qui non morbo, veneficio, vinculis, aliave necessitate coactus, aut uxoris suasionibus inductus, id condidisset, rectè admodum & convenienter judicans, nihil interesse discriminis, persuadeaturne alicui secus quàm expediat, an verò is cogatur: eodemque numero habens fraudem voluptatemque cum necessitate & morbo: quod in pervertenda hominis ratione tantundem utraxxxv que valerent. Legem etiam de exitu mulierum è domo, de luctibus, deque festis diebus posuit, qua id, quod contra ordinem & pudicitiam erat, amputabat. Exire autem eas jubebat, non plura tri- *Lex de exitu mulierum. De luctu.*
bus vestimenta secum ferentes, nec cibum potumque pluris quàm obolo constantem neque calathum cubito majorem, neque noctu ire nisi curru, prælucente lucerna. In funeribus corpus laniare, lamentationemque meditatam edere, alienoque in funere altum ejulare prohibuit: bovem immolare, plura tribus vestimenta cum mortuo terræ condere, ire ad aliorum sepulcra, nisi cùm funus duceretur, prohibuit. quorum de plerisque etiam nostræ leges caverunt; additumque est in nostris, ut qui hac in re deliquissent, iis à mulierum censoribus multa irrogaretur. quippe quod effœminati
xxx essent, qui hæc in se crimina admitterent. Præterea cùm videret *De discendis artibus.*
vi urbem hominum undique proposita licentia in Atticam confluentium multitudine repleri, plerosque autem agros magna ex parte inutiles, tum qui mare exercebant nihil solere importare ad eos quibus nihil erat quod redderent: cives ad artes discendas ut converteret, legem tulit, quæ filium necessitate alendi patris, qui eum nullam artem docuisset, solvebat. Lycurgo quidem urbem habenti peregrinæ turbæ puram, tantumque agri possidenti, quantum, ut est apud Euripidem, esset

*Multis satis, duplóq; abundé pluribus.*

ac (quod maximum fuit) magnam heilotum multitudinem Spartæ circumfusam, quam optimum erat non ociari, sed continentibus laboribus confici atque deprimi: facile erat cives ab omnibus laboriosis & illiberalibus occupationibus exemptos in armis continere, ad eamque solam artem discendam & exercendam traducere. At Solon, qui non tam res legibus, quàm leges rebus accommodaret, cum animad verteret solum Aticum ejus esse naturæ, ut vix agricolis victum sufficeret, nedum ignavam ociosamque turbam alere posset, artibus dignitatem addidit: mandavitque Areopagitis, ut inspicexxx rent qua quivis ratione victum suum exsarciret, ociantesque puni-
vii rent. Hæc autem ejus lex fuit adhuc severior, qua eos etiam, qui è

*Lex de natu, matre inhonesta.*

scortis essent nati, necessitate alendi patris solvit, ut Heraclides Ponticus narrat. Qui enim in ducenda uxore honestatis nullam habet rationem, satis ostendit, non liberûm, sed libidinis causa id se facere: itaq; & mercedem suam habet, & jus in natos nullum sibi reliquum fecit, quibus ut natum esse sit opprobrio effecit. Sed leges Solonis de muheribus omnium absurdissimæ videntur. Jus enim adulterum occidendi deprehendenti concessit. quod si quis liberam mulierem raperet & vim ei inferret, multam ei centum denariûm constituit: sin prostituisset (exceptis iis, quæ palam venduntur, hoc est meretricibus, quæ precium danti obsequuntur) viginti Filias vendere, sororesque prohibuit, nisi quæ virginitatem prodidissent. Enimvero rationi consentaneum non est, idem facinus modò acri & extremo supplicio plectere, modò leviter, & quasi per iocum quacunque multa proposita. Nisi fortassis rara tũ Athenis pecunia, multa difficultas nummi parandi magnam effecerit. nã & sacrificia ove çstimabantur, & pro medimno denarius: & qui Isthmia vicisset, ei centũ denarios dari jussit Solon, qui Olympia, quingẽtos: qui lupum attulisset, quinque: qui catulum lupi, unum quorum hoc ovis, illud bovis precium esse, Demetrius Phalereus asserit. Quæ autem in decimo sexto Axe sacrificiorum precia ponit Solon, probabile est multis modis majora cæteris fuisse: quanquam ad nostri temporis comparata, sint tenuia. Cæterum antiquitus Athenienses lupis bellum xxx
factitabant, quod eorum ager pascuis quàm cultui esset aptior. viii

*Legis de adulteriis & scortationibus.*

*Precia rerum Athenis.*

*Quatuor tribus Athenis.*

Porro tribus sunt qui dicant, non abs Iovis filiis, sed à generibus vitæ, in quæ principio distincti erant, nomina habere, scilicet bellatores ab armis *Hoplitas*, operarios ab operis *Ergades*, reliquas duas alteram ab agricultura *Teleontes*, alteram à pecoribus pascendis *Aegicores* dictos. Ac quoniam regio ista neque fluviis, neque paludibus, neque fontium uberibus scaturiginibus ita est prædita, ut aqua satis suppeditet, ideoque plerique puteis manu factis utebantur: legem perscripsit, ut ubi publicus esset puteus, eo aquatum intra spacium equestris cursus (is habetur passuum quingentorum, hoc est, stadiorum quatuor) venire liceret: qui verò longius abessent, propriam sibi aquam quærerent. quod si acto ad decem ulnarum altitudinem puteo aquam non invenissent, tum à vicino aquam peterent, quotidie urnam sex choarum capacem bis implentes. nam penuriæ succurrendum, non ignaviæ fenestram aperiendam putabat. Plantationis quoque mensuras peritissimè definivit: ut qui aliud quàm oleam aut ficum plantarent in agro, quinque pedum spacio à vicino id removerent: qui autem oleam, vel ficum novem. nam hæ stipes latius suas radices extendunt, neque innoxia omnibus aliis plantis est earum vicinitas, quod & alimentum iis subtrahant, & humorem illis infestum exhalent. Scrobes & fossas ita jussit demitti, ut quanta esset earum altitudo, tantum ab alieno distarent. qui alveos apium conderet, is ab eo qui ante instituisset idem, pedes trecentos discederet, è fructibus xxx
autem viii

*Aquatio.*

*Scrobes. Apiaria. Venditio frugum.*

autem nihil prætèr oleum vendi perginis permisit; cætera exportari vetuit, jussitque principem Reipublicæ in caput ejus, qui alio fruges avexisset, execrari, aut ærario pendere centum denarios. Hæc lex primo Axe continetur: ne jàm fidem omnino abrogandam quispiam putet illis, qui dicunt ficuum quoque antiquitus avectionem prohibitam, indeque *sycophantas* primum nominatos, qui ficuum exportatores indicarent. nam *sycæ* ficus. & *phanein* indicare est
XL Græcis. Leges etiam de damno quod quadrupes dedisset, posuit: in qua jubet canem, qui momorderit, dedi alligata ei numella quatuor cubitorum: quod ejus inventum securitatis causà gratiosum est. Dubitationem affert lex etiam de iis, qui in populum recipiendi essent, posita: neminem enim civem fieri patitur, nisi qui perpetuo exilio damnati à sua patria abessent, aut cum tota familia artificii causa Athenas commigrassent. Id autem feciſſe traditur, non tam ut alios à sua civitate arceret, quàm ut alliceret, cum scirent constanter se civitatis ejus participes futuros, simulque ratus fidos fore illos, quod necessitate coacti hos quod consilio adducti patrias suas amisissent. Peculiaris quoque ejus lex fuit, de convictu in publico, quam inde *parasitè* ipse appellavit: uni sæpius convivium exhibere non concedens: cùm vero, qui recusaret, cum sors eum posceret, plectens. quod illum plus æquo sibi vendicare, hunc conte-
XLI mnere publicum munus existimaret. Legibus suis omnibus auctoritatem in centum esse annos voluit: suntque inscriptæ ligneis axibus, qui quadrangulis lignis inserti convertuntur, eorumque etiamnum reliquiæ quædam in Prytaneo adservantur. Aristoteles Cyrbes cognominatos auctor est: & Cratinus Comicus in Draconem & Solonem dixit:

*Lex de assumendo in civitatem.*

*De convictu publico.*

*Cyrbes & Axones.*

*Torrent eorum cyrbibus nunc hordeum.*

Nonnulli seorsim cyrbes vocatas dicunt, quibus continebantur statuta sacrorum & victimarum. Universus senatus simul juravit, se leges Solonis ratas habiturum: seorsim autem unusquilibet Thesmothetarum in foro apud lapidem protestatus, se, si quid contra leges has admisisset, auream statuam æqualem sibi Delphis dedica-
XLII turum. Porro autem Solon conspicatus mensis rationem male constare, motumque Lunæ, neque cum oriente, neque cum occidente Sole concurrere, utque sæpe eadem die Luna Solem & assequeretur, & præverteret: eam ipsam diem *enen kai nean* vocavit, (quasi veterem & novam lunam diceret) partem ejus, quæ esset prior coitu Solis & Lunæ, mensi jam desinenti, reliquam ineunti attribuens. Primus enim intellexisse videtur Homeri hunc versum,

*Iuramentum in leges Solonis.*

*Mensis correctio.*

*Iam cessante alio mense, atq; alio incipiente.*

sequentem diem. Novilunium appellavit. post vigesimum diem numero dierum nihil jam addidit, sed subinde detrahendo, quemadmodum & de lumine lunæ videbat diminutionem sensim fieri, usque ad trigesimum diem numeravit. Cæterùm legibus ita fixis, quotidie nonnulli ad Solonem ventitabant, laudantes, aut repre-

hen-

hendentes, aut aliquid fortè repertum, ut adderet legibus consulentes: plurimi verò erant, qui percontarentur eum, legesque examinarent, singulaque sibi exponi, & in quam sententiam ita statutum esset, ostendi peterent. Quæ cùm cerneret se neque sine dedecore omittere, neque avere sine invidia posse, omninoque has difficultates declinare, offensasque civium & calumnias effugere cupiens, (nam ut ipse inquit,

*Solonis peregrinatio.*

*Vrbibus in magnis qui tanta negocia tractat*
*Non facile est cunctis posse placere virum.*)

instituto suo negociationem prætexens, ex Attica navi avectus est, impetrato in peregrinationem ab Athenienſibus decennio. Sperabat enim hoc temporis spacio cives legibus adsueturos. Primùm igitur in Ægyptum venit, ibique commoratus est, ut ipse testatur:

*Ostia apud Nili, prope litora clara Canopo.*

Aliquandiu autem ibi apud Psenophim Heliopolitam, & Sonchin XLIV Saitam, doctissimos inter sacerdotes viros. Philosophiæ operam navavit: exiisque audivit Atlanticum sermonem, ut Plato scribit, eumque aggressus est carmine Græcis interpretari. Inde in Cyprum advectus, a Philocypro uno ex insulæ ejus regibus amantissimè est habitus. Vrbem is possidebat haud magnam, à Demophonte Thesei filio conditam ad Clarium fluvium sitam in loco munito quidem, alioquin tamen difficili & incommodo, cui subjecta erat pulcra planicies. In hanc ut urbem transferret, amœnioremque & majorem efficeret, regi auctor fuit Solon: præsenſque ipse eum in condenda urbe, adornandaque, ut simul & amœna fieret, & tuta, adjuvit: quo factum est, ut multi habitatores Philocypro accederent, eumque alii reges imitarentur. Quamobrem ut honorem Soloni haberet, urbem Solos appellavit, cùm ante Æpeia esset dicta. Ipse etiam Solon hujus urbis conditæ mentionem facit in elegiis ad Philocyprum ita scribens:

*In Solios regnum multos, urbemq; per annos*
*Sit tibi, & ingentem sceptra beata tuam.*
*At me evincta caput violis Paphia alma, celebri*
*A Cypro, & nullum decebat incolumem.*
*Detq; mihi ad patrios claros remeare penates:*
*Auctori hæc urbis det sua dona Venus.*

*Solonis cum Crœso congressus.*

Congressum eius cum Crœso nonnulli suputatione temporum XLV commentitium ostendere nituntur. Atqui ego tam illustrem narrationem, totque testibus confirmatam, & (quod plus virium habeat) moribus Solonis congruentem, magnanimitateque & sapientia eius dignam, nequaquam puto propter annalium quasdam ratiocinationes projiciendam: quas cùm infiniti hactenus sint emendare conati, tamen controversias earum nunquam potuerunt explicare. Proinde res ita tradita est: Solon precibus Crœsi adductus, Sardes venit: Ibi ferè idem usu ei venit, quod homini in terra semper versato, cùm primum ad mare iter facit. ut enim is quoties fluvium aliquem

quem conſpicit, eum mare eſſe putat: ita Solon, cùm per regiam tranſiens, multos aulicos videret ſumptuosè exornatos, ſplendidè ſtipatos comitum & ſatellitum caterva, unumquemq; eorum Crœſum eſſe putavit: donec tandem ad ipſum regem adductus eſt circa quem omne id conſpiciebat, quod in lapidibus pretioſis, in venuſtis veſtium tincturis, in auro, omnique ornatu vel ſplendidum, vel ſubtili artificio confectum, vel admirabile exiſtimari poſſet: nimirum ut ſpectaculum rex ſeſe quàm maxima dignitate & varietate inſigne
XLVI præberet. Quarum rerum adſpectu poſtquam nihil commotus Solon adſtitit, neque eorum quæ Crœſus expectabat quicquam dixit, ſed ſatis apertè oſtendit ſani judicii hominibus: contemni à ſe hujuſmodi ineptias, viliumque rerum admirationem: commonſtrari ei theſauros juſſit Crœſus, reliquumque apparatum ac luxum, nequaquam id poſtulanti: ut qui ſatis in ipſo Crœſo mores ingeniumque ejus contemplari ſciret. Vt his omnibus inſpectis rediit Solon, quæſivit ex eo Crœſus, Ecquid ullum unquam ſe beatiorem vidiſſet hominem. reſpondit Solon, Viſum a ſe Tellum ſuum civem: narravitque eum, cùm vir bonus fuiſſet, liberoſque egregios poſt ſe reliquiſſet, & rem familiarem ſufficientem, re præclarè geſta
XL pro patria occubuiſſe. Ibi verò cœpit eum Crœſus hominem pa-
VII rum compotem mentis, & ruſticum putare, qui non argènti aurique multitudine felicitatem ponderaret, ſed plebeii ac privati hominis vitam mortemque tantis opibus regnoque anteponeret: nihilominus tamen percontatus eſt, ſi quem alium præter Tellum vidiſſet hominem Crœſo feliciorem. Tum Cleobin & Bitonem Solon nominavit, viros in matrem ac ſeſe mutuo eximia pietate, qui bobus moram facientibus, ipſi jugum currus ſubiviſſent, matremque eo ad fanum Junonis adduxiſſent, lætantem, & à civibus beatam prædicatam: deinde ſumpto cibo potuque nunquam ab illo die ſurrexiſſent, ſed tantam gloriam morte doloris mœroriſque ſecura clauſiſſent. Nos verò, inquit jam in iram prolapſus Crœſus, in numero beatorum hominum non habes? Ad quæ Solon, cùm neque adulari vellet, neque ulterius irrigare: Cùm de cæteris rebus, inquit, Deus Græcis, o rex Lydorum, mediocriter ſentire dedit, tum ſapientiæ nos cujuſdam fiduciam impertit, quæ mediocritatem reſpiciens, popularibus magis hominibus, quàm regio ſplendori ſit commoda. Ea cùm videat hominum vitam nunquam non variis caſibus eſſe obnoxiam, non patitur quenquam præſentium bonorum cogitatione efferri, neque admirari hominis alicujus fœlicitatem, quam immutare tempus poſſit: unicuique enim variæ res futuræ, de quibus certi nihil conſtet, ingruunt. Cui verò res ſecundas ad finem uſque Deus prorogavit, hunc fœlicem eſſe ſtatuimus: at viventi adhuc, & in diſcrimine verſanti fœlicitas quæ tribuitur, non magis certa atque rara eſt, quàm ſi victoriam coronamque alicui adhuc decertan-
XLVII adſcribamus. His dictis Solon abiit, non emendato, ſed dolore
III affecto Crœſo. Erat tum Sardibus Æſopus fabularum conditor, accerſitus

*Fœlicitas quæ.*

cersitus à Crœso. Is habitus in honore, ægrè ferebat, Solonem nullam regis esse expertum humanitatem, adhortansque hominem: ô Solon, ait, cum regibus aut quàm minimè, aut quàm suavissimè colloquendum est. Nequaquam vero, inquit Solon, sed vel minimè, vel rectissimè Crœsus autem, qui eo tempore Solonem contemptui habuisset, postquam cum Cyro pugna congressus, inferior fuit, vivusque in hostium venit potestatem, ignique est addictus: rogo exstructo impositus: injectis vinculis, universis Persis spectantibus, Cyro præsente, ter quanta potuit maxima vocis contentione exclamavit, ô Solon! Id miratus Cyrus, misit qui interrogarent, quis nam homo vel Deus ille Solon esset, quem unum rebus planè desperatis invocavisset. Crœsus nihil dissimulans, respondit, fuisse unum è sapientum numero apud Græcos Solonem, eumque se accivisse, non audiendi discendive eorum quæ ex usu fuissent, sed ostentandæ suæ fœlicitatis studio, eumque ejus testem dimittendi causa: in qua sane fœlicitate amittenda plus fuerit mali, quàm in potiendo boni. ut quæ præsens opinionem tantum ac nomen boni attulerit, ejus verò amissio in summas miserias, calamitatesque extremas reipsa reciderit. Itaque eum virum, qui ex præsenti tum conditione futura conjecisset, mandasse sibi uti ad finem vitæ respiceret, neque incertis inductus opinionibus superbius se efferret. Quæ verba cum essent Cyro renunciata, ut erat vir Crœso sapientior, veritatemque orationis in exemplo efficacem intuebatur: non tantum ignovit Crœso, sed & quandiu vixit, honorifice habuit secum: judicatumque est ita de Solone, uno eum dicto è duobus regibus alterum servasse, alterum erudivisse. Interim per absentiam Solonis tota civitas in factiones discesserat. Pediæorum dux erat Lycurgus, Paralorum Megacles Alcmæonis filius, Diacriorum Pisistratus, quibus se conjunxerat turba mercenariorum, maximè divitibus infensa: & quamvis adhuc uterentur legibus, omnes tamen studium rerum novandarum inceserat, cupiditasque status reipublicæ mutandi: quod in ea immutatione non æquas modo, sed & potiores partes se habituros, omninoque adversarios futuros existimabant. Ea rerum forma Solon Athenas reversus, reverenter quidem & in honore ab omnibus habitus est, ad loquendum tamen & agendum publicè, sicut antea, minus promptum efficacemque eum senectus reddiderat: tantùm seorsim cum principibus factionum congressus, componere dissidia studebat: idque eo magis, quod Pisistratus animum ipsi advertere videbatur. Erat is vir in colloquio blandus, juvandorum pauperum studiosus, circa inimicitias moderatus: præterea verò imitatione eorum, quæ natura ipsi non aderant, effecerat, ut probitatis ac modestiæ opinione eos etiam, qui revera tales erant, vinceret, putareturque æqualitatis amans, & iniquissimè præsentis rerum status mutationem, novasque res laturus; hocque modo vulgus hominum decipiebat. At Solon ingenium hominis statim deprehendit, primusque omnium insidias ejus conspexit. neque odio eum prosecutus

XLIX

L

*Solon Athenas redit, seditionibus auctas.*

*Pisistrati ingenium.*

secutus tamen est, sed emollire, ac ad sanam mentem revocare intendit: dixitque cùm ipsi, tum aliis, non esse eo quenquam magis aptum natura ad virtutem, neque meliorem civem, si modo studium principatus ex animo ejus eximeretur, cupiditasque tyrannidis pel-
LI leretur. Eo tempore, cum Thespis jam Tragœdiam proferret, eaque res novitate sua animos civium alliceret, nondum tamen ad certamina pervenisset: Solon homo audiendi discendique natura studiosus, quique senectutem suam otio & ludicris rebus adeoque compotationibus jam & musica transigeret, spectavit Thespin, ipsum, (qui mos antiquus fuit) personam agentem. Finito spectaculo compellavit eum, ac sciscitatus est, ecquid eum non puderet coram tanta multitudine tantopere mentiri. qui cùm respondisset, nihil mali esse, cùm hæc animi causa ita agerentur atque dicerentur: terram graviter scipione percutiens, Solon: Mox, inquit, fiet ut cùm hunc ludum laudemus & honore afficiamus, eum in contractibus
LII inveniamus. Vbi Pisistratus impositis sibiipsi vulneribus, bigis in forum provectus animos civium irritavit, tanquam reipublicæ causa ita ab hostibus per insidias acceptus: multis indignantibus ac vociferantibus, proximè ad eum accedens Solon, & assistens: Non bene, inquit, ô fili Hippocratis, Homericum Vlyssem agis: ut enim ille ad decipiendos hostes corpus suum male multavit, ita tu idem facis ad inducendos in fraudem cives. Cæterùm hoc facto Pisistratus id consecutus est, ut multitudo ad eum defendendum esset parata: populoque in concionem congregato cum Aristo rogationem tulisset, ut Pisistrato custodiæ corporis causa quinquaginta clavi armati stipatores darentur, surrexit Solon, ac multis verbis id impugnavit, in eam sententiam, quæ in carminibus ipsius ita perscripta est:

*Solonis iudicium de dramatibus.*

*Pisistrati technæ a Solone deprehensa.*

*Lingua, & blandiloqui verbis vos creditis orii:*
*Quæ fiunt, nemo cum notet interea.*

Et, *Vestrum quisq; vafræ sequitur vestigia vulpis:*
*Vanus, & imprudens omnibus est animus.*

Videns autem egenos ad gratificandum Pisistrato concitatos tumultuari, divites verò aufugere metu consternatos, discessit: id tantum præfatus, alteris se sapientiorem esse, alteris fortiorem. sapientiorem iis, qui quid ageretur non intelligerent: fortiorem iis, qui cùm
LIII sentirent, tyrannidi se opponere non auderent. Cæterùm populus cum legem jussisset, nihil ultra de numero clavigerorum inquisivit, sed passus est, Pisistratum quotquot vellet alere & conducere, donec is arcem occupavit. Eo facto, conturbataque civitate, Megacles & reliqui Alcmæonidæ ex urbe fugerunt. At Solon, etsi jam admodum senex, & auxiliariis destitutus, nihilominus in concionem progressus, verba ad cives fecit, partim eorum imprudentiam & mollitiem increpans, partim irritans eos, & adhortans, ne adhuc libertatem suam proditam vellent. Dixitq; tum id, quod in ore deinde hominum est habitum: Ante quidem facilius ipsis factu fuisse, ut tyrannidem nascentem prohiberent: nunc præclarius esse splendidiusq-

didiusque, constitutam jam & natam excindere. Sed cum metus causa nemo ei animum adverteret, domum suam abiit, armaque sua ante ædes in angiporto posuit: Ergo quidem, inquiens, patriæ, legibusque, quantum in me fuit, opitulatus sum. Atque exinde LIV quieti se dedit, amicisque ut fugeret hortantibus, non obtemperavit, sed carmina condens, in Athenienses invectus est:

*Iam mala si vestra toleratis tristia culpa,*
*Non accepta bonis illa referte Dijs.*
*Præsidio vestros munistis namque tyrannos:*
*Vestra hinc servitium nunc grave colla premit.*

Horum carminum causa cùm multi eum monerent ut sibi caveret, ne à tyranno interficeretur, quærerentq; qua re fretus ita confidenter nullum periculum horreret: Senectute inquit. At vero Pisistratus rerum potitus, ita demereri Solonem perexit, omnique honore & observantia colere, ut eum & consiliarium habuerit, & multarum suarum actionum laudatorem. Pleraque enim Solonis leges re- LV tinuit, ipse iis stans, amicosque ut idem facerent cogens: adeoque homicidii causa in jus apud Areopagitas vocatus, cùm jam tyrannidem gereret, moderatè tamen ad dicendam causam adfuit: actor autem non respondit ad nomen. Ipse etiam alias leges sanxit, quarum è numero est ea, quâ ii qui in bello membrum aliquod amisissent, publicè ali jubentur. Heraclides hoc ante à Solone de Thespo mutilato decretum, tum Pisistratum imitatum tradit. Legem quoque de otio (si Theophrastum audimus) non Solon, sed Pisistratus posuit: qua & agrum coli diligentius, & urbem tranquilliorem fecit. Porro autem Solon cum aggressus esset opus de sermone LVI Atlantico, quem à doctis apud Sain urbem Aegypti audiverat, idque conducturum Athenientibus speraret, defecit: non (ut Plato dixit) occupationibus, verùm senectute impeditus, magnitudineque scriptionis deterritus. Abundasse enim eum otio, hæ ejus voces indicant:

*Pisistrati leges.*

*Atlanticus sermo.*

*Discenti semper multa, senecta subit.*
Et. *Nunc Veneris mihi grata, & lati munera Bacchi,*
*Musarumq; viris dant ea lætitiam.*

Plato Atlantici sermonis propositionem, tanquam boni agri solum cultoris egens, excepit, cognationis causa ad ipsum quodammodo pertinens, idque opus absolvere & exornare cùm intendisset, initio vestibula, mœnia, atriaque magna posuit, qualia nulli unquam nec poesi obtigerunt: sed cùm serò incepisset, vitæ prius, quam libri pensum absolvit, quanto majus gaudium propter hæc quæ perscripsit, tanto majorem ob ea quæ imperfecta reliquit tristitiam nobis adferens. Nam ut Athenis inter multa præclara opera Jovis Olympii templum non absolutum: ita in Platonis philosophia Atlanticus sermo imperfectus est. Proinde Solon occupata à Pisistrato ty- LVII rannide, vixit adhuc permultum temporis, ut quidem Heraclides Ponticus est auctor. Nam Phanias Eressius non totum biennium affirmat

*Platonis Atlanticus.*

*Mors Solonis.*

firmat eum vixisse: siquidem Pisistratum invasisse tyrannidem in Comii magistratu, Solonem autem sub Hegestrato, qui Comio successit, vita defunctum. Cremati Solonis cineres sparsos fuisse apud Salaminem insulam, tantum habet absurdi, ut omnino fidem non mereri, sed commentum judicari possit: tamen id factum scripsere cùm alii fide digni auctores, tum Aristoteles etiam Philosophus.

## IN SOLONEM INTERPRETIS Annotationes.

*QVa ætate Solon vixerit, non est obscurum: cùm eum cùm Cræso collocutum & noster, & Herodotus lib.1. & alij ostendant: Cræsum autem à Cyro, qui regnum Persarum constituit, debellatum, nemo ferè nesciat. Id autem Olympiade* LVIII. *evenisse, satis ex temporum rationibus constat. & meminit Solinus cap.7. Polyhistoris. Eodem tempore Romæ Servius* Tullus *regnabat, quod ex annalibus liquet. Itaq; & Cicero, cui in his rebus plurimum tribui debet, viguisse Solonem Serv.* Tullo *regnante, in Bruto memoriæ prodidit: & post eum Gellius* 17.21. *Sanè floruisse Solonem Olympiade* XLVI. *Clemens Alexandrinus lib.1. Stromat. demonstrat. Apparet autem jam ætate provectiorem cum Cræso collocutum, ut juventus ejus à Clemente indicari intelligatur. Itaq; cùm Suidas vixisse eum* XLVII. *& aliorum sententia* LVI. *Olympiade dicat, utrumque commodè acceptum cum veritate consentit.*

Cap.1. Patrem ejus Execestidam.) ἐξεκεστίδου *in Græco est, & apud Suidam Quod moneo propter Lapum, qui (si codex non fallit divisè* ex Ecestide *legit. Tota quoque periodus de amoribus Solonis & Pisistrati, ab eo est omissa.*

Ibid. Tum ex lege quam posuit.) *Hæc in oratione Aeschinis in Timarchum, eodem modo & allegatur, & explicatur. Illud autem* πύκτης ὅπως εἰς χεῖρας, *pars est senarij Sophoclei è Trachiniis.*

Cap.2. Non magis.) *Hi versus habent sententiam haud obscuram, quam & Horatius expressit:*

Si ventri bene, si lateri est, pedibusque tuis, nil
Divitiæ poterunt regales addere maius.

*Postremum distichon est obscurum: & si rem acu non tetigi, veniam oro. nam Lapo etiam ignoscendum hic arbitror: Apud Theognidem legitur,* ὅταν δέ κε τῶν δ' ἀφίκηται Ὥρη, σὺν δ' ἥβη γίγνεται ἁρμοδία, *& in aliis* ἁρμόδιος. *Ego quid secutus sim, facile potest intelligi. nam lectiones ibi quoque variant.* 719. *Dictum Hesiodi, cujus paulo post meminit, celebratissimum est, ex. α.* ἔργων 309.

ἔργων δ' οὐδὲν ὄνειδος, ἀεργίη δέ τ' ὄνειδος.

*id est: Non est turpe laborare, est ignavia turpis.*

Cap.3. Vt Massalias Massiliæ auctor.) *Quod in Græco est* ἀγαπηθὴς, *Lapus* ἀγαπηθεὶς *legit, &* observatus *reddidit. Idem ego sum secutus, & Massaliam proprium nomen reliqui. de Massilia autem ur-*

*be eum loqui, ne dubium quidem est. Massiliæ originem copiosé Strabo lib. 4. exponit: & a Phocæensibus ortam eam urbem, in Archidamo Isocrates diserté dicit, neque quisquam feré scriptorum reticuit vel Latinorum vel Græcorum.*

Cap. 8. Quippe cùm in animo hominis.) *Hæc inepte Lapus ad solum Thaletem retulit, cùm sint in genere dicta de storgis (ut vocamus) naturalibus, quarum fuisse peritum apprimé Plutarchum, alia ipsius & ad alios & ad suos consolatoria scripta demonstrant.*

Cap. 10. Pileatus.) πιλίον περιθέμενος, *Lapus* cœno fœdatus, *ut* πηλὸν *legisset. Sed nihil est.*

Cap. 11. An Choliadem.) *Atticæ promontorium est, viginti à Peiræeo stadiis. Paus. initio Atticorũ. Idẽ de Scirade promõtorio ibidem.*

Cap. 13. At cum bissenis.) *Versus sunt lib. Iliadis 2. 557. Herodotus in vita Homeri in Atheniensium honorem ab Homero gratias eis agente factos dicit. Meminerunt & alij, & Aristoteles libro primo Rhetorices, capit. 15. & Fabius libr. 5. cap. de exemplis. Vide Strabonem lib. 9.*

Cap. 14. Nam neque Æschines.) *Locus in oratione in Ctesiphontem extat: ubi quidem consultorem & auctorem hujus adversus Cirrhæos & Acragallidas belli Solonem, non tamen ducem refert: historiam verò satis dilucidé ibi exponit. Eadem est in Phocicis Pausaniæ enarrata (ex quo Suidas in Solone eam indicavit) qui Clisthenem belli ducem nominat.*

Cap. 15 Archon.) *Infra in Pericle exponam.*

Ibid. Qui cum filum textum.) κρόκην. *Lapus simulacri vestem: quasi* κρόκη *hoc significet. de hoc piaculo vide Thucyd. lib. 1. Herodot. lib. 5. Meminit Cic. 2. Legum.*

Ibid. Myrone Phlyensi.) τοῦ φλύεος. φλυεῖς *autem curia est Cecropidis tribus, apud Athenienses: quod & ex initio Plutarchiani Themistoclis, & aliunde patet, & Stephanus admonuit. Quod annotavi, quia uterq; interpretum lapsus hic est: Lapus* Phliei *F. vertens; Amiotus* Phliasium, *cùm id sit à* Phliunte *Achaiæ oppido.*

Cap. 10. Novum Curetem.) *Curetes Iovem enutrivisse in Creta, ibiq; humasse mortuum ferebantur, ijdemq; sacrorum & rerum divinarum peritissimi. Quidam eosdem cum Coribantibus faciunt. à quibus Pausanias in Arcadicis dissentire videtur. Sed quid his opus? Lege potius Lact. lib. 1. cap. 21. atq; etiam 11. Erat autem Epimenides Phæsto Cretæ oppido ortus: itaq; ob rerum divinarum (quam putabant) peritiam pro novo Curete habebatur.*

Cap. 17. Diacrii enim.) *Herodot.* Κλειοῖ *eandem rem narrans, ὑπερακρίους vocat: idemq; Pediæos (sic enim infra habetur,* Πεδιαίον, *non* πεδίον) τοὺς ἐκ τοῦ πεδίου. *quasi campestres. Suidas in* Πάραλοι, Πεδιασίους *nominat. Aristot. lib. 5. cap. 5.* Πολιτικῶν, Πεδιακοὺς. *Pro Diacriis Epacrij leguntur in Erotico Plutarchi.*

Cap. 19. Quodque patriæ.) *Versus sunt trochaici tetrametri catalectici in Græco, idq; genus carminis retinui. Idq; etiam in sequentibus*

tibus proximis feci: ἐν οἷς ἔφη, ἔοπασε, ἤθελε, καὶ ἐπὶ πτερίφθαι curin ἐφυ ανέοπασε, ἤθελον, & καὶ πιπτερίφθαι commutarim, ratio metri & census docent. Hæc cum jam olim scripsissem, oblata est mihi occasio variarum lectionum M. Antonij Muretι, viri longe doctissimi inspiciendarum. Is libro 1. cap. 13. Petrum Victorium reprehendit, quod idem fere de hoc loco sensisset, quod ego mihi video placuisse. Quid de hoc loco alij sentirent, non indagaram, neque opus esse admodum putassem. Sane meum non est vel excusare Victorium (non enim caret errore) vel reprehendere Muretum, cum quibus si comparer, puer profecto sum. Sed tamen illud mei fuit officij, cur ab hujus horum versuum lectione dissentirem, indicare: ne quid mihi ejus auctoritas obesset. Sentio enim illos Solonis reprehensores non id dixisse, debuisse Solonem vel acceptis quæ hic proponuntur conditionibus, tyrannidem capessere: (quis enim tam impudens sit, ut hoc alteri consulat, tametsi ipse ita perdité sentiat?) sed à se sumpto exemplo, per comparationem innuisse stultitiam Solonis, qui ultrò & honestè oblatam tyrannidem respueret: cùm non deessent, qui certa proposita pernicie eam essent amplecturi. ἤθελον enim prima persona legendum est, non tertia ἤθελε: & sunt verba de se, non de Solone loquentis, id quod ratio versus Trochaici evidenter demonstrat. nisi fortasse aliquid adferre (qualia sunt alicubi apud Græcos grammatistæ à nobis annotata, suoq; tempore exigentur) velis, quod λι ante ε ὲς produci contendas. Quamvis ne cum iis quidem magnopere contenderem, qui existimant malorum hominum eam sententiam fuisse. debuisse Solonem certo proposito exitio tyrannidem adire, nisi metri ratio meam opinionem afferret, altèram everteret. Non enim insolentes sunt hujusmodi quasi hyperbolicæ locutiones, ut illa apud Homerum (libet enim obiter, quia ad animum accidit, rudiorum causa monere) Anchisæ ad Venerem:

Βυλοίμην κὲν ἔπειτα γυνὴ εἰνὴν ἀλοχῆσι,
Σῆς τοὔνεκ' ἐπιδαὴς ἔσεαι δόμον ἀὶ δ' ἐσσῶ.

Et quale tandem illud est Theognidis consilium:

Χρὴ πανίλω φεύγοντα καὶ εἰς μιχαλήτια πόντου
Βάλλειν, καὶ πατρῶν κύρτος ἀπὸ ἡλιβάτων.

Nemo enim hoc simpliciter, sed ad exaggerandam rem inflatius dictum, ac figuratè, omnes sentiunt. Quo loco quidam βάλλειν pro seminare exponunt, luctus vere arant. Sed hæc hactenus.

Cap. 22. Et quod civium æris alieni causa nexorum.) ἀγωγίμων ἀπὸς δεγύελον γιγνομένων πολιτῶν. Etiam absque reliqua fuissent, tamen ἀγώγιμος infinitis locis apud Plut. adeo ipsum ne dicam alios auctores, eum significat, in quem jus reprehensionis est, & qui in vincula abduci ab aliquo impune potest. Ita in Lysandri vita lex Spartanorum memoratur, qua exsules Atheniensium ἀγωγίμους esse jubebat. Idemque noster auctor in Catone minore de Marcello quæsturæ collega loquens, obnoxij ob verecundiam animi, ita ut quibusvis precibus vincerentur, & petitionem recusare verentur ullam ἀγώγιμον ὑπ' ἀλλου τοῦ

τοῖς δεομένοις eleganter dixit. Lapus noster monstrosè perspicuum sanè locum hunc pervertit, nescio quos cives exportandis pecuniis constitutos, ab eoque officio eos quod Atticè loqui nescirent remotos somnians. Idem (quod minoris, non tamen nullius est oscitantiæ) non animadvertit ubi versus Solonis, ubi verba Plutarchi essent: quod idem in Amioto desidero.

Ephetæ. Cap. 29. Ad Ephetas.) Virorum octoginta, quorum nullus quinquagenario minor esset, concilium fuit, qui Athenis in Palladio, Prytaneo, Delphinio, & Phreatty de cæde judicabant. Sic dicti, quod ab his provocari non posset. Hæc ferè Suidas, & Harpocratic. Nam quæ de Palladio & aliis judiciis scitu digna habet in Atticis Pausanias, & quæ ex eo & aliis de isto & Ephetis annotavit lib. 1. Vlysseæ Eustathius, huc non ita quadrant, sicut neque is, qui Constitut. novella XCIII. ἐφέτης dicitur, quem Haloander judicem appellationis reddidit.

Cap. 31. Orbæ & dotatæ.) Hæc enim simul significare videtur γυνὴ ἐπίκληρος: atque ita exponit Suidas. Apud Aristotelem in Ethicis ad Nicomach. simpliciter pro bene dotata sumitur uxore: ἐνίοτε καὶ ἄρχουσιν αἱ γυναῖκες ἐπίκληροι οὖσαι. l. 8. c. 10. Etenim: ἐπίκληρος Athenis dicebatur ea, ad quam solam omnis devolvitur hæreditas, sive jam mortuis parentibus, sive alterius prolis jus hæreditatis habentis spe spoliatis: id est, quæ omnino sit μονοκληρονόμος, sive jam, sive certo futura. Sic Plutarchus etiam de uxore Agidis, filia Gylippi, ἦν οὐσίας μεγάλης ἐπίκληρος. de hac vocabuli notione etiam Eustathius in 7. Iliad. Legis περὶ ἐπικλήρων mentio fit apud Aristophanis Scholiastem in Avibus: sed quæ ad spurios referatur, non huc videatur quadrare. Certe apparet hunc locum ostendere, beneficio cujusdam legis certis hominibus licuisse ducere τὰς ἐπικλήρους: sed quæ lex constitutione Solonis sit circumscripta eatenus, ne naturæ repugnaret. Aliæ fuerunt ἐπίκληροι orbæ, & dotis indigæ: quas ducere proximi genere alia lege cogebantur, aut dotis nomine quinq; minas numerare. unde Terentianus ex Apollodoro transcriptus Phormio, de quibus alio loco. Rectissime autem fecerit philologiæ studiosus, si eam cum hisce omnibus comparet, quæ apud Harpocrationem in voce Θῆτες sunt annotata.

Cap. 32. Et juvenem.) Hæc confudit Lapus, interpunctionibus puto falsis Græci libri seductus. Sanè Plinius perdicem inter ea quæ omnino non pinguescant, numerat XI. cap. XXXVIII. Quod autem ad præcedentem versiculum attinet, fateor me nonnihil errasse. Is enim totus una cum antecedente apud Poetam, legitur in libello Plutarchi, εἰ πρεσβυτέρῳ πολιτευτέον. quod mihi tum demum in mentem venit, cùm typographo hæc traderem. Constat autem ex eo loco, non reprehendentis ob contractas nuptias, sed à contrahendo (utpotè senem) dehortantis verba esse. Leve hoc est, sed nolo esse Nævius: alij potius iis quæ multa inter tot labores, curas, occupationes, miseriasque peccare potuimus, ignoscant. Reponant loco mei versiculi hæc verba partem (ut est & in Græco) versus:

Ecquid

——Ecquid conjugium appetis miser?

Cap. 39. Telcontes.) πελεόντες. *sic est apud Stephanum, in* Λογιοσοφίς, *& δέγ. pro ἰέγ. sed hoc malo.*

Cap. 39. Ne jam fidem.) *Apud Lapum est*, nullam esse iis fidem adhibendam: *nisi librarius erravit in ejus versione exscribenda. omnino enim falsum est hoc, & cum verbis Plutarchi pugnat.*

Cap. 42. Iam cessante.) *Homerus Vlyssea lib. 14. & alibi. De ratione mensium, in fine Annotationum aliquid dicam. Harpocratem ἐλθὼν ad spirate legi vult. de hac re vide etiam Eustath. in ὀδυσ. ξ. 457.*

Cap. 44. Athlanticum sermonem, ut Plato.) *Locus est perelegans & prolixus, sub initium fere Timæi. Ad hunc te remitto.*

Cap. 46. Vt qui satis in ipso Crœso.) *Hæc dum ad Crœsum refulsit Lapus, cùm liquidè de Solone dicantur, quid cogitarit non video. Venustè res hæc narratur etiam apud Herodotum lib. 1. ut notum est.*

Cap. 48. Æsopus fabularum conditor.) λογοποιὸς. *Lapus subito ex apologorum scriptore historicum redegit. Et verò Æsopum aut ex septem sapientum vixisse, vel alicunde, vel ex Plutarchi consortio eorum didicisset. Sic apud Lucian. etiam in Icaro Menippo λογοποιὸς citatur Αἰσωπικὸς. Iulianus quoque Apostata in epistola quadam, scribendo per ignominiam θεῖον λογοποιὸν vocat, παιγνιώτην, & fabularum, non historiæ scriptorem. Alioquin haud me latet, Græcos sua historiarum volumina etiam λόγους inscripsisse, cujus rei exemplum præter cætera extat Polybianum. Sed quid hoc ad Æsopum? Sanè etiam in Paulo nostro λογοποιεῖν posuit, pro* fabulas & falsos rumores spargere: *& in Phocione λόγους pro* fabula *seu* apologo *ponitur: & in extremo Nicia, is qui de clade Siciliensi incerto auctore nuncium retulerat tonsor, δεῖος λογοποιὸς εἶναι, infortunium habuit.*

Cap. 52. Quæ fiunt nemo.) *Pentameter est, à Plutarcho omissus, ut & à Clemente, hos ipsos versus lib. 1. Strom. ponente: apposuit autem sensus gratia. Extat apud Stobæum:*

οἷς ἔργον δ' ἀδίκημα μόρον βλάπτει.

Cap. 54. Ita confidenter nullum periculum.) ἀπονοίας. *Ita notum est* ἀπόνοιαν *esse* extremam, *& quasi insanam audaciam: ut defidiam à Lapo hic subditam, admodum mirer. Sic & post paulo* παροφθεὶς *& vertit, qui oculos amisisset: quasi verò id fieri* παρὰ, *& nemo* παροφθεὶς, *nisi* excæcatus.

Cap. 56. De sermone Atlantico.) *Vide Platonem, quo dixi loco: & lege ejusdem librum, qui Critias seu Atlanticus inscribitur. Meminit Plutarchus in libello, quo ostendit, secundùm Epicuri doctrinam non licere suaviter vivere: quo loco de historiarum tradit oblectatione, testaturque non esse perfectum eum librum.*

Ibid. Iovis Olympii templum.) ἀλυμπίου. *Vide præter alios, Plin. 36. 6.*

# PLVTARCHI POPLICOLA, GVILIELMO *Xylandro, Augustano interprete.*

*Nomen & genus.*

CVM hoc Solone, Poplicolam comparabimus: cui quidem id I cognomentum honoris ergo populus Romanus excogitavit, cùm ante Publius Valerius vocaretur, crederetur que genus referre ad Valerium illum Priscum, qui maximè in causa fuit, ut Romani & Sabini ex hostibus unus populus fierent: quippe is fuit, qui præsertim regibus persuasit ut convenirent, eosque inter se conciliavit. Ab hoc, ut fertur, ortus noster, cùm adhuc sub regibus esset Roma, eloquentia ita & divitiis claruit: quorum altero rectè, & liberè semper pro justitia defendenda utebatur, altero liberaliter & benignè, opem egentibus ferendo ut satis jam tum perspicuum fuerit, eum in republica, si summa ejus ad populum aliquando deferretur, principem fore. Proinde cùm populo jam dudum Tarquinium Superbum regem indignè gravique ferenti (quippe qui neque legitimè, sed per scelus & impiè regnum occupasset; neque ut regem decebat, sed contumeliosè & crudeliter eo fungeretur) deficiendi occasionem casus Lucretiæ obtulisset, quæ propter vim pudicitiæ suæ factam manus sibi ipsa attulerat: L. Brutus rerum mutationem aggressus, Valerium primo adiit, summoque ejus studio operaque in ejiciendis regibus usus est. Ac quamdiu videbatur II populus unum aliquem ducem in regis locum designaturus, continuit se in otio Valerius, meliori jure principatum Bruto deberi, qui popularis in republica status auctor fuisset, sentiens. Cùm autem imperii, quod penes unum esset, vel nomen populus exosus, facilimusque existimans id divisum se posse pati, duos ad summam rerum vocaret sperans Valerius se cum Bruto delectum iri, & consulem futurum, repulsam tulit. Collega enim Bruto (invito quamlibet) datus est loco Valerii Tarquinius Collatinus Lucretiæ maritus: nihil quidem Valerium virtute præstans, sed potentiores cùm metuerent adhuc reges multa foris tentantes, ubique blandientes, ducem habere volebant eum, qui vehementissimè iis inimicus, nihil concederet. At Valerius iniquo animo ferens, si, quod nulla privatim injuria esset à regibus affectus, idcirco non crederetur omnia patriæ causa acturus, senatu se abstinuit, patrocinia repudiavit, omninoque à reipublicæ cura sese abduxit: quæ res sermonum multis solicitudinisque causam præbuit, metuentibus ne ita commotus regibus se adjungeret, civitatemque nondum confirmatis planè rebus everteret. Et Brutus, cùm alios quoque eodem nomine III suspectos haberet, sacris factis statuit sacramento adigere senatum, eique rei diem dixit. Tum Valerius admodum hilari vultu in forum descendit, primusque omnium juravit, nihil se concessurum Tarquinio, sed toris viribus pro libertate propugnaturum: quod ejus factum & voluptatem senatui, & fiduciam magistratibus attu-

*Valerius Publicola eo extendo dorsum.*

lit: id-

lit: idque sacramentum mox re ipsa est ab eo confirmatum. Venerunt enim à Tarquinio legati, literas ferentes, in quibus erant multa, quæ ad pelliciendum populum facerent, dictuque speciosa, quibus omnino corrumpi animos plebis posse rex putabat: submissse se jam animum, & æqua postulare præ se ferens. Hos cùm ad multitudinem producendos censerent consules, prohibuit Valerius, neque passus est hominibus pauperibus, & qui bellum tyran- IV nide gravius putarent, initia & occasiones rerum novandarum objici. Post hos alii venerunt legati, dicentes, Tarquinium regno & bello desistere velle, repetere autem suas ac suorum necessariorum pecunias atque bona, ut ex illis in exsulio vivere possent. Fractis ea petitione multorum animis, præsertim qui Collatinum etiam astipulari ei viderent, Brutus, ut erat vir imperterritus, atque iracundus, in forum procurrit, collegam suum proditorem vocitans, qui belli & tyrannidis occasiones iis largiatur, quibus exsulii viaticum decernare perniciosum utique fuerit. Convenientibus porro ibi civibus, primus omnium C. Minucius, homo privatus, in populo verba fecit. Brutumque & cives cohortatus est, curarent, ut pecuniæ ipsis in bello contra tyrannos potius, quam his in oppugnanda civitate auxilio essent. Veruntamen Romani libertatem, cujus causa bellum susceperant, adepti, statuerunt pecuniæ causa non amittendam, sed hanc unà cum tyrannis urbe V exterminandam esse. At verò Tarquinius de pecunia res minimè agebatur, sed ea petitione & populi animus explorabatur, & proditio adornabatur. Eam struxere legati, ac dum se bona partim vendere, partim custodire, partim mittere domum simulant, tantisper Romæ commorati sunt, dum duas familias, quæ honestæ cùm primis habebantur, corrupêre, Aquilliorum, & Vitelliorum, ex hac duobus ex illa tribus consilii socius sibi adscitis. Atque horum omnium avunculus erat Collatinus consul. Sed Vitellii alia privatim etiam necessitudine Brutum contingebant: sororem enim is eorum in matrimonio, ex eaq; complures liberos habebat. Ex his quoq; duos illi adultos jam, ut sanguine & quotidiana consuetudine junctos, ad se pertraxerunt, persuaseruntque ut in societatem proditionis venirent, ac sese generi Tarquinjorum præclaro, spesq; regias habēti insererent, patrisq; sui duriciem, & stultitiam missam facerent. Duriciei enim vocabulo summam ejus in malos severitatem appellabant: idemque VI stulticiæ, cujus simulatione se diu occultaverat, ut à tyrannis tutus esset, cognomentum ne in posterum quidem effugit. Postquam assensere adolescentes, & cum Aquillijs collocuti sunt, communi consilio statutum est, ut magno ac gravi jurejurando sese omnes invicem obstringerent, occisi hominis sanguine libato, ac visceribus degustatis. Ejus rei gratia in domum Aquilliorum convenerunt quæ cum deserta esset, atque tenebricosa, servus, Vindicius nomine (qui sanè non insidiandi causa, aut futuri providens eò venerat) sed cùm forte fortuna intus esset, veritus se ipsis subitò intrātib,

*Tarquinij legationes.*

*Coniuratio adversus reipub.*

in conspectum dare, post objectam ante se arcam sese abdiderat) & quæ agerentur vidit, & consilia eorum inaudivit. Decrevere autem consules interficere, ac literas, quibus id indicaretur, ad Tarquinium scriptas, legatis dedere: qui hospicio Aquilliorum tunc utebantur, & conjurationi intererant. His ita confectis cùm discessissent, Vindicius clanculum inde se subduxit, incertus quidnam ageret: ut cui ea res fortè oblata ancipitem cogitandi curam attulisset. nam vel apud Brutum patrem filios tanti piaculi accusare, vel apud avunculum eosdem Collatinum, existimabat (ut erat) rem esse atrocem: & privatim, cui tutò res arcana tanti momenti posset aperiri, noverat neminem: nihil verò minus, quã silentio eam involvere valebat. Tandem conscientia rei actus instituit Valerio eam exponere: maximè viri ejus facilitate humanitateq; adductus, ad quem omnibus qui vellent, aditus esset, cujusq; fores omnibus paterent, & qui nullius quantumvis abjectæ sortis hominis sermonem usumq; aspernaretur. Ad quem postquam Vindicius ascendit, omniaque ei recensuit, fratre Valerii Marco, & uxore præsentibus: perterritus Valerius, quo cautius ageret, hominem à se non dimisit, sed in conclavi includit, custodiendumque uxori sub ostium mandavit: fratrem misit, ut aula regis circundata, literas, si posset, acciperet, servosque observaret. Ipse cum clientibus & amicis, quos circa se plurimos semper habebat, famulorumque magno numero, ad domum Aquilliorum perrexit. Qui cùm domi tum non essent, nemine id cogitante, per fores irrupit, literasque eo loco, quo divertebant legati, invenit. Hoc eo agente, cursu domum sese Aquillii corripuerunt, ac apud januam in eum incidentes, literas eripere conati sunt, comites Valerii vim propulsaverunt, collaque eorum vestimentis injectis implicantes, vi & ægrè pulsantes pulsatique per angiportus in forum cum iis sese propuerunt. Idem apud aulam regiam accidit, ubi Marcus literis, quæ in vasis quibusdam portabantur, manum injecerat, & ex regiis ministris quotquot poterat secum in forum rapiebat. Postquam tumultus à consulibus sedatus est, jussu Valerii Vindicius in publicum productus est: accusationeque peracta, recitatæ sunt literæ. Cùm nihil haberent rei quod contradicerent, reliquis omnibus tristicia perculsis, & tacentibus: à nonnullis, qui rem Bruto gratam se facere putabant, exsulii mentio illata est: & Collatinus etiam effusis lacrymis bonam spem reis ostendebat, quam Valerii silentium augebat. Sed Brutus utrunque filiorum nominatim compellans: Age, dicebat, Tite, age, Tiberi, cur ad objectum crimen nihil respondetis: Vbi tertio interrogati nihil responderunt, ibi demum conversa adlictores facie: Vestrum, inquit, jam est reliqua exequi. Hi statim correptos adolescentes, vestibus spoliaverunt, manus in terga retorserunt, corpora virgis ceciderunt. Ferturque reliquis id spectare non sustinentibus, ipsum neque oculos aliò avertisse, neque miserationem quicquam de ira severitateque vultus ejus diminuisse; sed filiorum supplicium iracundis oculis inspexisse,

*Vindicius conjurationis index.*

VII

*Bruti in filios severitas.*

VIII

xisse, tantisper dum in terram prostrati, ac securi percussi fuerint: tum reliquis collegæ judicio permissis, eum discessisse eo edito facinore, quod neque laudare pro merito, neque vituperare satis quisquam possit. Nam aut virtutis excellentia ab animo extra se rapto omnes affectus prohibuit, aut magnitudo perturbationis doloris penitus expertem eundem effecit: quorum neutrum parvum, aut humanæ naturæ est, sed divinum alterum, alterum belluinum. & tamen æquius est in judicando existimationem ejus viri sequi, quam propter imbecillitatem ejus, qui judicet, virtutem in dubium vocari. Sane Romani majus opus existimant Bruti, quod rempublicam recuperarit atque constituerit, quam Romuli, quod urbem condide-

IX rit. Cæterum digresso, ut diximus, Bruto, rei gestæ admiratione aliquandiu omnes stupor, horror, silentiumque tenuit. At Collatini mollicies & cunctatio Aquilliis animum reddit, ut & spacium sui excusandi peterent, utque ipsis Vindicius servus ipsorum redderetur, neque esset penes accusatores. Quæ cùm concedere jam vellet Collatinus, & concionem propterea solveret: Valerius neque dimittere hominem, suorum stipatorum turbæ immixtum volebat, neque sinebat populum missis factis proditoribus, abire. Tandem manus Aquilliis injiciens, Brutum invocavit, clamitans, iniquè Collatinum agere, qui cùm necandorum filiorum necessitatem collegæ imposuisset, ipse mulieribus proditores & hostes patriæ condonandos putet. Indignante ibi consule, Vindicium que abduci jubente, lictores turba discussa manus ei injecerunt, eisque qui eum abducebant, verbera imposuerunt: Valerii amici pro eo propugnaverunt: populus clamore Brutum in rem præsentem advocavit. Is igitur ut venit, facto ad reditum ejus silentio: De filiis, inquit, meis ipse satis amplæ potestatis judex fui: de reliquis suffragia liberis civibus permitto: dicat qui velit, & populo persuadeat. Tum veri nihil oratione fuit opus, sed misso in suffragium populo omnium sen-

*Collatino abdicanti Publicolæ suffectus.*

X tentiis damnati proditores, securi percussi sunt. At Collatinus, qui jam ante propter necessitatem, quæ cum regibus ipsi intercedebat, in suspitionem venerat, cujusque etiam nomen civibus Tarquinium abominantibus invisum erat, his actis cùm planè offendisset populum, ultrò magistratu se abdicavit, urbeque excessit. Eam ob causam iterum comitiis habitis, Valerius cum magno honore consul est creatus, dignam sui in civitatem studii gratiam adeptus. Cujus ille existimans deberi fructum etiam Vindicio aliquem, decrevit ut is primus omnium libertorum civis Romanus esset, & in quam ipse voluisset curiam adscitus suffragium ferendi jus haberet. Reliquis libertis longo post tempore Appius gratiam populi captans idem permisit. perfecta autem manumissio, in hunc usque

XI diem *vindicta* dicitur, ab isto (ut ajunt) Vindicio. His actis, bona regia diripienda civibus dederunt, domum solo æquaverunt, aulamque campi Martii partem, quam amœnissimam possederat Tarquinius, Deo consecrarunt. Erat tum fortè ibi seges demessa: ja-

*Campus Martius.*

centibusque adhuc in agro manipulis, cùm vel triturare eam, vel ullos alios ad usus adhibere propter consecrationem religio esset; concursu facto manipulos in profluentem deportaverunt: arboresque etiam excisas eodem abjecerunt, solumque Deo protinus vacuum & fructu carens dedicarunt. Fluvius ea, ut erant confertim alia supra alia immissa, seque impellebant, non procul avexerit, sed eo usque tantum, dum quæ primo erant injecta, solidæ materiæ impacta substituerunt: ita cùm quæ subsequebantur exitum non invenirent, sed prioribus tenerentur implicarenturque, congeriem eam vis fluminis auxit, corroboravitque, ingesto multo limo, qui & fundamentum moli præbuit, & eam inter se conglutinavit, & quæ eo allidebantur, molem non labefactarunt, sed leviter tantum materiam compresserunt atque compegerunt. hac magnitudine & cohærentia effectum est, ut major moles accederet, fierique arca, quæ pleraque secundo flumine delata exciperet. Nunc ea moles, insula est sacra infra urbem, habetque templa Deorum, & porticus, & vocatur Latina lingua, *Media inter duos pontes*. Quidam accidisse hoc tradunt non tum, cum Campus Tarquinii consecratus est, sed postea temporis, Tarquinia finitimum ei loco agrum concedente: fuisseque eam Tarquiniam Vestalem, & adeptam hujus rei gratia magnos honores. quorum in numero fuerit, quod soli mulierum ipsi licebat testimonium ferre, & nubere permissum erat, quam tamen licentiam ipsa repudiavit. Hæc sunt quæ illi de his fabulantur. At Tarquinium cum spem proditione recuperandi regni dimisissent, Etrusci promptè receptum, reduxerunt cum magnis copiis. Contra eos Romani consules cum exercitu civium profecti, aciem in locis sacris instruxerunt, quorum alterius Vrsus lucus alterius Æsuvium pratum nomen fertur. Commisso prœlio Aruns Tarquinii filius, & Brutus Romanorum consul infestis equis concurrerunt, non fortuitò, sed odio iráque incitati, alter auctorem sui exsulii: alter tyrannum patriæ ulturus: magisque animi ardore, quàm ratione in congressu usi, neutro corporis sui tegenti curam habente, simul occiderunt. Initium certaminis tam dirum, nihilo mitior finis subsecutus est: æqualibus utrinque datis acceptisque cladibus, tempestas prœlium solvit. Hic incertus pugnæ eventus solicitum animi tenuit Valerium, cùm videret suorum cædibus militum animos concidisse, hostiumque eosdem strage extolli: adeo occisorum multitudo dubiam æqualemque calamitatem reddiderat: & tamen utrosque sua damna, quæ propius cernebant, certiores de sua clade, quàm de parta ex hostibus quod remotiora tantum conjectura assequebantur, victoria faciebant. Nox ea quieta utrique exercitui fuit: ut par erat tanto confecto prœlio. Tum perhibent concusso luco, magnam ex eo vocem excidisse, quæ indicaverit, unoplures de Etruscis quam de Romanis cecidisse. Fuitq; sane ea vox divina. confestim enim ea audita Romani clamorem ingentem audacter sustulerunt. Etrusci magno terrore perculsi, è castris sese proripuêre,

*Insula in Tiberi.*

*Bellum contra Tarquinium & Etruscos.*

XII

XIII

puêre, ac majori ex parte dispersi sunt: reliquos, quorum numerus erat paulò quinq; milibus inferior, Romani supervenientes in suam potestatem redegerunt, castraq; diripuerunt. Cadaveribus dinumeratis, undecim millia, ac trecentos hostium occubuisse inventum est. Romanorum uno minus. Pugnatum tradunt pridie Kalen. Mar-
XIV tias. Triumphavit de hoc bello Valerius primus omnium consulum quadrigis invectus in urbem: fuitque hujus triumphi aspectus splendidus atque magnificus: non quod quidam dixerunt, odiosus & spectatoribus molestus, non enim tanto studio eum posteri æmulati essent, idque per tam multos deinceps annos. Gratus fuit populo etiam honor, quem Valerius habuit collegæ in funere ejus sepulturaque exornanda: Tam verò accepta fuit funebris ejusdem oratio, tamque cara, ut inde tractum sit, ut omnes boni ac magni viri, cùm fato concesserint, ab optimis laudentur. Affirmant etiam hanc Valerii funebrem orationem Græcis ejusdem generis antiquiorem fuisse: nisi hoc quoque Solonis est inventum, ut Anaximenes rhetor autumat. Enimverò id contra majus Valerio odium offensionemque parabat, quod Brutus (quem libertatis parentem populus censebat) solus imperare noluerat, sed iterum collegam sibi assumpserat: hic verò, dicebant, omnia ad se unum referens, non Bruti consulatum, nihil ad se pertinentem, sed Tarquinii regnum excepit. Quid autem attinebat oratione laudare Brutum, re ipsa Tarquinium imitari, solumque cum omnibus fascibus ac securibus progredi è tam magna domo, quanta ne regis quidem fuit, quam iste dejecit? Nam profectò Valerius domum nimis insolenter ædificatam habitabat sub Velia: imminentem foro, & de qua propter altitudinem prospectus usquequaque pateret, ad quam difficulter posset accedi extrinsecus, itaque cùm descenderet, sublimis ejus erat
XV conspectus, fastusq; in incessu & comitatu regius. Hac in re manifestum reddidit ille, quantum expediat homini in imperio & magnis rebus administrandis constituto, aures habere, quæ non adulationem, sed ejus loco liberam & veram orationem admittant. Narrantibus enim ei amicis, quod plerisque videretur præter officium suum agere, non contendit cum iis, neq; stomachatus est: sed è vestigio eadem ipsa nocte conductis multis fabris, demolitus est domum suam, & solo protinus æquavit: Itaque facto die Romani cùm id vidissent, ac eo convenissent, earum habuere, & mirati sunt viri ejus magnanimitatem; ædium interim molem & pulchritudinem desiderantes, ob invidiam, quod hominibus etiam usu venit interdum, immerito dejectarum. Consul autem apud alios, tanquam proprio lare carens, habitabat: accipiebant enim amici Valerium, donec populus locum ei dedit, domumq; priore minus splendidam ædifica-
XVI vit: quo loco nunc templum est, & Vicus publicus dicitur. Porro autē volens nō modò seipsum, sed & magistratum de terribili mansuetū & gratū populo reddere, secures à fascibus sustulit: ipsosq; fasces, si quādo in concionē prodiret, populo submisit, atq; inclinavit:

*Laudationes funebres.*

*Poplicola domum suam demolitur.*

*Fasces demisit.*

co in-

eo indicans, omne in populi manu esse imperium, eumque morem adhuc tenent ii qui magistratus gerunt. Neque animadvertit vulgus, non eum deprimere seipsum, sed hac moderatione invidiam amoliri, & quantum videretur sibi licentiæ ipse auferre, tantum potentiæ eo sibi adjicere: quippe populus perlibenter se ei submittebat, eumque ferebat, adeo ut & *Poplicolæ* nomen ei fecerit, quo cognomento *studiosius & cultor populi* significatur: idque nomen priscis ejus nominibus quia prævaluit deinde, nos quoque eo in vita ejus viri narranda deinceps utemur. Proinde Poplicola facultatem dedit ambiendi consulatus liberam iis qui vellent: ante tamen, quàm collega ei daretur, incertus futuri metuensq; ne is vel ob invidiam vel per insciitiam ipsi refragaretur, ad constitutiones optimas præclarissimasque suam unius potestatem adhibuit. Primò senatum supplevit, paucitate hominum laborantem: nam partim sub Tarquinio, partim in pugna proxima multi obierant, dicunt autem adscriptos in eum ordinem ab ipse fuisse CLXIV. Deinde leges condidit ex quibus ea maximam vim multitudini adjecit, qua reo à consulibus ad populum provocationem concessit. Altera, quæ eos qui injussu populi magistratum occœpissent, morte multari jubebat. Tertia, qua opitulatus est pauperibus, vectigalibus civium sublatis: effecitque ut promptiores omnes ad conductiones publicas accederent. Lex autem lata contra eos qui consulibus dicto audientes non fuissent, ipsa quoque popularis, & non minus in rem populi quàm potentium scripta videbatur. multam autem ea contumaciæ statuit, precium quinque boum, & duarum ovium: eratque precium ovis, oboli decem, bovis, centum. Nondum enim eo tempore in frequenti usu apud Romanos erat pecunia; sed pecoris & jumenti copia divites censebantur. Itaque adhuc facultates *peculia* nominantur: & antiquissimo nomismati bos erat insculptus, aut ovis, aut sus: nomina quoque suis filiis inde imposuerunt Suillorum, Bubulcorum, Caprariorum, Porciorum. Cùm autem ad hunc modum popularis fuisset; & in re modica moderatus, in aliis supplicium gravius statuit. lege enim sanxit, ut qui tyrannidem affectaret, eum cuilibet indicta causa liceret occidere: occisorem autem cædis absolvebat, si demonstrasset occisi delictum. Quoniam enim fieri non potest, ut, qui tantam rem molitur, omnes lateat: & tamen fieri potest, ut deprehensus judicio se vi eripiat, quod judicium vi aliquando impediri posset: ejus loco cuivis volenti fontem puniendi potestatem dedit. Laudatus est etiam quæstoriæ legis gratia. Cùm enim necessariò cives ad bellum gerendum pecunias de suis facultatibus conferrent, neque ipse eas administrare, neque amicis id munus dare voluit, noluitque omnino pecunias publicas in privati domum deferri: itaque Saturni templum ærarium fecit, & adhuc is est ejus usus, duosque juvenes quæstores creare populum jussit. Primi quæstores facti sunt P. Veturius, M. Minucius. Magna vis pecuniæ tum in ærarium illata est. Censa enim sunt hominum millia CXXX. vi-

*Poplicola unde.* XVII

*Leges Valeriæ.*

XVIII

*Primi quæstores.*

duis

XIX duis & orbis parentum liberis remissa pensione. Secundum hæc, collegam sibi adsumpsit Lucretiæ patrem Lucretium, eique ut seniori, prioribus partibus cedens, fasces concessit: mansitque is honor majoribus natu ab eo usque ad hæc tempora. Paucis post diebus Lucretio vita functo, iterum habitis comitiis, consul creatus est M. Horatius. isque reliquo anni tempore Poplicolæ collega fuit. Tarquinio autem alterum in Etruria contra Romanos bellum movente, magnum ostentum factum traditur. Cùm regnaret adhuc Romæ Tarquinius, templumque Iovis Capitolini jam ferè absolvisset, quadrigas fictiles, quas in culmini ejus ponere, sive augurio aliquo, sive consilio suo adductus statuisset, Veientibus (sunt autem hi in Etruria) fabris faciendas locaverat: paulò post ipse regno excidit. Fabri quadrigas cùm effinxissent, & in fornacem posuissent, non id accidit, quod solet luto, ut in igne positum humore absumto densetur atque in se coeat; sed intumuerunt, seque extulerunt, & cum robore ac duricie tantam molem adeptæ sunt, ut ægrè, ablato fornaci culmine, & destructis parietibus eximi inde potuerint. Quod signum cùm essent interpretati aruspices felicitatem, potentiamq; iis portendere, apud quos quadrigæ eæ essent: reposcentibus eas Romanis, Veientes decrevêre non reddere, responderuntque, Tar-

XX quinii eas esse, non eorum qui Tarquinium expulissent. Paucis interjectis diebus, equorum certamina Veiis sunt edita. Et cætera quidem solito studio spectata sunt. Verum is qui quadrigis vicerat, currum victorem coronatus ipse paulatim è circo agebat: equi autem consternati, nulla ejus rei apparente causa, sive divinitus acti, sive id fortuito accidit, auriga abrepto summa celeritate Romam versus contenderunt: qui cum nihil neque contendendo habenas, neque adhortando equos proficeret, impetu eorum concedens, usque ad Capitolium ab illis est raptatus: ibiq; abjectus apud portam, *De Capitolio.* cui nunc Ratumenæ nomen est. Hujus rei miraculo metuque compulsi Veientes, fabris ut quadrigas traderent Romanis, mandave-

XXI runt. Cæterum Capitolium Iovi Tarquinius Priscus vovit in bello adversus Sabinos: ædificavit autem Tarquinius Superbus, sive filius, sive nepos ejus qui voverat: neque tamen dedicavit, sed parum adhuc à perfectione id tum aberat, cùm ipse Roma excidit. Postea quam absolutum plane, &, ut debuerat, exornatum fuit: cupiditas ejus dedicandi Poplicolam incessit. Sed plerique optimatum id ab eo fieri, indignum putabant: ut & eos honores quos erat leges ferendo, magistratusque gerendo adeptus, tanquam debitos & proprios minus ei invidebant, ita hunc alienum non putabant debere addi. Quare auctores fuerunt Horatio, ut dedicationem ipse sibi vindicaret: & cùm necessitas in militiam proficisci coegisset Poplicolam, huic decreto dedicationem injungentes, in Capitolium eum adduxerunt: quippe qui intelligerent, se Poplicola præsente potiores non fuisse futuros. Quidam dicunt sortitis inter se consulibus, Po-

XXII plicolæ invito militiam, huic dedicationem obtigisse. Quomodo

res ea

res ea habuerit, licet vel ex his conjectari, quæ inter dedicandum acta sunt. Idibus Septembris, quæ dies incidit in pleniluniū mensis ejus, quem *Metagarnionem* Græci vocant, dedicationis causa cùm frequentes in Capitolium omnes convenissent: Horatius facto silentio, peractis pro more omnibus, fores tangens, verba dedicationis solennia dixit. Ibi frater Poplicolæ Marcus, jamdudum foribus adstans, & occasionem captans: Filius, ô consul, inquit, tuus in castris ex morbo decessit. Omnibus hoc auditu grave fuit. At Horatius nihil perturbatus, hoc tantum dicto, Projicitote ergo, quo volueritis, mortuum; ego enim luctū non admitto: cætera peregit. Neque erat verum id quod nunciabatur: sed Marcus finxerat, quo à dedicatione Horatium deterreret. Admiratione igitur digna viri constantia est, sive impostura tanta celeritate sensit, sive fidem dicto habens, non commotus tamen est. Eadem fortuna dedicationis XXIII etiam secundo fuit Capitolini Iovis templo. Primum enim a Tarquinio, uti demonstravimus, ædificatum, ab Horatio dedicatum, ignis bellis civilibus absumpsit. Secundum Sylla refecit, eoque ante dedicationem mortuo, Catuli nomen templo inscriptum est. Hoc etiam cùm Vitelliana seditione periisset; Vespasianus, eo quoque ad reliquam suam felicitatem addito, tertium denuo extruxit, perfectumque vidit: non autem vidit idem haud diu post periit. sed in eo fuit quàm Sylla fortunatior, quod is ante dedicationem, Vespasianus ante interitum sui templi vita excessit. statim enim sub mortem ejus, Capitolium incendio conflagravit. Quartum quod nostro extat tempore, est a Domitiano & ædificatum, & dedicatum. Ferunt Tarquinium impendisse in fundamenta templi, librarum argenti quadraginta millia. Ast ad rependendum inaurationis pretium, templi ejus quod nostro tempore est exstructum, non sufficerent ditissimi hominis privati opes: ea enim duodenis talentorum millibus, eoque amplius, æstimatur. Columnæ excisæ sunt ex Pentelico lapide, quas ipsi Athenis vidimus longitudine pulcherrimè quadrante ad crassitiem: sed Romæ iterum dolatæ non tantum adeptæ sunt splendoris, quantum amisere concinnitatis, pulchritudinisque, penitusque ad gracilitatem redactæ. Hujus Capitolii magnificentiam qui miratur, idem si in ædibus Domitiani unicam porticum, aut basilicam, aut balneum, aut conclave pellicum vidisset: id quod est dictum Epicharmi in prodigum:

*Non tu humanus es, qui vitro laboras, nam gaudes dare:*

in Domitianum utique deflecteret, ac diceret, Non tu es pius, neque liberalis: habes vitium, quod nimium ædificandi luxu gaudes, visque Midæ instar omnia tua esse aurea ac lapidea. Sed de his hactenus. Tarquinius porrò post magnum illud prœlium, in quo filium XXIV singulari certamine cum Bruto congressum amiserat, Clusium confugit, opemque imploravit Lartis Porsenæ, cujus & potentia inter reges Italiæ maxima & bonitatis liberalitatisque magna erat opinio. Is promisso auxilio, primum Romam legatis missis recipi Tarquinium

*Porsena Tarquinium recipit & invat.*

quinium jussit: post cùm Romani non obtemperarent, bellum iis indixit, tempusque & locum, in quem esset cum exercitu invasurus, constituit, eoque venit cum magnis copiis. Erant tum consules creati, Poplicola II. & T. Lucretius. Poplicola Romam reversus, primo statuit magnanimitate Porsenam superare: eoque jam appropinquante, Sigliuriam urbem condidit, magnisque impensis munivit, & septingentos eo colonos misit, tanquam qui bellum facile & intrepide sustineret. Sed Porsena acriter oppugnatis muris, custodes repulit: iique fugientes secum hostes in urbem attraxissent, nisi ante portas Poplicola auxilium suis ferre occupasset. Ibi juxta fluvium commisso prœlio, hostes numero urgentes sustinuit, tantisper dum audacius pugnans, acceptis aliquot vulneribus, è prœlio elatus est. Quod idem cùm Lucretio collegæ accidisset, Romani animis collapsi, fuga in urbē saluti suæ consuluerunt. Ruentibus autem cum impetu per pontem sublicium hostibus, parū sanè abfuit quin

XXV Roma caperetur. Primus Horatius Cocles, ac cū eo duo viri præclarissimi, Herminius & Lartius, hostibus se in Ponte adversos opposuerunt. Coclitis cognomentum Horatio oculorum alter in bello amissus præbuit: alii ita appellatum censent, quod compressum nasum ita habuerit, ut nullum inter oculos interstitium apparuerit, supercilia; inter se coierint: & cùm eum vulgo vellent Cyclopem vocare, errore linguæ Coclium dixisse, idq; deinde obtinuisse. Is Cocles ante pontem stans, hostes tamdiu repulit, dum sui à tergo pontem rescinderent: tum se, ut erat armatus, in fluvium abjecit, enatavitque ad ulteriorem ripam, hasta Etrusca natem sauciatus. Cujus virtutem admiratus Poplicola, statim decrevit ut universi Romani victum ei, quanto singulis in unum diem usus erat, conferrent: deinde tantum agri donavit, quantum circumarare uno die posset: ad hæc statuam ex ære ei in templo Vulcani posuerunt, claudicationem viri, quę ex vulnere ei accidit, honore compensantes. Interim

XXVI & Porsena urbem urgebat, & fames invadebat, & alius Etruscorum exercitus sua sponte in agrum impressionem faciebat. Tertium tum consulatum gerebat Poplicola. Is Porsenæ custodia urbis & quiete resistendum censens, contra Etruscos eduxit, pugnaq; commissa eos fudit, cæsis hostium quinque millibus. Mucii quoq; facinus quia à multis variè narratur, exponam eo modo, quo maximè perpetratum credo. Erat Mucius vir omni genere virtutis præditus, belloq; optimus. Is cùm statuisset Porsenam per insidias interficere, Etrusco habitu sermoneq; in castra ejus pervenit: circumienſq; regis solium, ut tum consederat cum suis, non satis ipsum cognoscens, & percontari veritus, eum quem regē esse inter assidentes regi putabat, stricto gladio occidit. Deprehensus in eo facinore, cùm de eo quæreretur, dextram foculo ardenti, qui Porsenæ sacrificaturo tū erat allatus, superposuit: dūq; caro uteretur, ipse truci & immoto vultu Porsenam usq; intuitus est, dū admiratione adductus, missū eū fecit, gladiumque de solio suo porrigēs reddidit. Eū sinistra manu accepit Mucius,

*Horatius Cocles.*

*Mucij facinus.*

atque

atque inde Scævolæ cognomen, quo *læva manu utens* intelligitur, ei factum ajunt, seque respondit superatum virtute Porsenæ, cujus minas vicisset, gratificandi causa ea indicaturum, quæ ut renunciaret, nulla potuisset vi adigi. trecentos Romanos eodem consilio in castris Porsenæ oberrare, occasionemque operiri: se verò, quem ut primò rem tentaret, sors destinaverit, non iniquo animo ferre, quod ab ejus cæde aberraverit, viri boni, Romanorumquo amicitia quàm bello dignioris. Hæc audita & credidit Porsena, & ad pacificationem inclinare cœpit: non tam, opinor, metu trecentorum istorum, quam admiratione spirituum ac virtutis Romanæ. Hunc virum omnibus uno ore Mucium, & Scævolam appellantibus. Athenodorus Sando in opere, quod ab Octaviam Cæsaris sororem scripsit, Postumum quoque nominatum autumat. Equidem Poplicola non XXVII tam gravem hostem Porsenam existimans, quam virum cujus amicitia & societas magni facienda esset Romanis, non detrectavit eo judice cum Tarquinio causam disceptare: sæpenumeroque fretus virtute Porsenæ eum provocavit, demonstraturum se promittens pessimum eum hominem, justè regno spoliatum fuisse. Ad quod cùm responderet asperius Tarquinius, nullum se rei arbitrum admittere, omnium minimè Porsenam, si quidem is auxilium pollicitus nunc fidem mutaret: indignatus Porsena causamque Tarquinii damnans, enixè insuper filio Arunte pro Romanis intercedente, bellum solvit ea conditione, ut Romani terra Etrusca, quam ceperant, decederent, & captivos redderent, ipsi perfugas reciperent. Hujus pacis stabiliendæ gratia, Romani dederunt obsides prætextatos patricios decem, totidemque virgines, in quibus fuit etiam Poplicolæ filia Valeria. Iam fide eo modo interposita, ab omni belli appara- XXV tu Porsena destiterat: cùm virgines, quas à Romanis obsides datas III esse diximus, lavandi causa ad aquam descenderunt eo loco, quo in lunæ formam curvatum litus, maximè placidum ac tranquillum fluvium præbebat. Hîc cùm nullam circum se custodiam, neminem adesse, aut navigio ibi vehi animadverterent, per fluvium quantumvis magnum, & vortices profundos enatandi ardor eas invasit. Quidam unam ex ipsis Cloeliam dicunt equo trajecisse, reliquasque natantes cohortatam fuisse. Postquam salvæ ad Poplicolam redierunt, equidem neque admiratus est earum facinus, neque probavit; fidem suam quàm Porsenæ minorem, facinus istud virginum, fraude perfidiaque Romanorum perpetratum esse creditum iri dolens. itaque omnes comprehensas, ad Porsenam remisit. Quod ita futurum cùm præsensisset Tarquinius, collatis adversum eos, qui virgines ducebant, insidiis, in trajectu pauciores majori numero est adortus: iisque se defendentibus, Valeria Poplicolæ filia per medios pugnantes se proripuit, & à tribus servis unà elapsis servata est, reliquæ non sine periculo pugnantibus permixtæ fuerunt. At Porsenæ filius Aruns eo cognito, celeriter auxilium Romanis tulit, eosque pulsis hostibus conservavit. Porsena cùm adductas ad se virgines vidit, XXIII quæ

*Cloelia & virginum obsidum facinus.*

quænam tanti facinoris autor reliquis fuisset, quæsivit: auditoque Cloeliæ nomine, placido eam ac hilari vultu intuitus equo quem adduci jusserat unum de regiis pulcrè exornatum, donavit. Hoc testimonii loco adducitur ab iis, qui solam Cloeliam equo flumen transisse asserunt: alij negant, tantumque in honorem virilis ejus fortitudinis id ab Etrusco factum volunt. Statua equestris Cloeliæ posita est eo loco, qua sacra via itur ad Palatium. quidam tamen Valeriæ eam vindicant. Præterea autem Porsena ut cum Romanis in gratiam rediit, cùm aliis in rebus suam civitati magnificentiam demonstravit, tum suis præcepit, ut nulla alia re quam armis acceptis secum, castris excederent: eaque cibariis & omnis generis bonis repleta Romanis tradidit. Itaque etiam hodiè cùm bona publica venduntur, primò omnium Porsenæ bona proclamantur, ad perpetuam conservandam memoriam ejus viri beneficiorum. Posita quoque fuit juxta Curiam statua ejus simpliciter & antiquo
XXX modo facta. Secundum hæc Sabinis in agrum Romanum irrumpentibus, M. Valerius, Poplicolæ frater, consul est creatus, collega Postumio Tuberto: ibi maximis rebus gestis præsentia & consilio Poplicolæ, Marcus duobus prœliis Sabinos superavit, in quorum posteriori, nullo Romano amisso, tredecim hostium millia cæcidit. Quare præter triumphos, hoc ei honori tributum est, ut in Palatio ei domus publicis ædificaretur sumtibus. Præterea cùm eo tempore ædium fores omnes intorsum ductæ aperirentur, fecerunt ut: hujus solius foras janua propelleretur: nimirum quod is (ut erat ejus honoris dono indicatum) semper reipublicæ curam gereret. Græcorum januas omnes olim foras solitas rejici tradunt testimonio à comœdiis sumto: ibi enim foras proditurus, intus ostium pulsant, ut qui ad domum accedunt aut adstant, strepitu exaudito;
XXXI caveant sibi, ne lædantur à foribus in vicum dejectis. Sequens annus Poplicolam quartum consulem habuit: expectabaturque bellum à Sabinis & Latinis, qui societatem coiverant. Sed & religio animos populi incesserat, quod omnes tum gravidæ mulieres, mutilos partus abortu edebant, neque quicquam perfectum pariebatur. Quamobrem Poplicola cùm ex præscripto Sibyllinorum librorum Ditem placasset, & edidisset quædam jussu Pythiæ spectacula, urbe in meliorem de Diis spem reducta, etiam terrorum ab hominibus oblatorum curam habuit: videbatur enim magnus hostium apparatus, magnaque coitio esse. Erat apud Sabinos Appius Clausus, vir & divitiis potens, & robore corporis fortitudineque insignis, præsertim verò virtutis fama. eloquentiaque primas gerens: sed & is invidiam (quæ omnibus viris magnis infesta est) non effugit, cujus causam arripiebant æmuli, quod bellum dissuaderet, idque interpretabantur ab eo fieri rei Romanæ augendæ, patriæque in servitutem & sub tyrannidem redigendæ studio. Quos ille sermones cùm gratos esse in vulgus, seque invisum esse belli turbatoribus militiæq; cupidis sentiret, judicio rem com-

*M. Valerii de Sabinis triumphis & honores.*

*Appius Clausus a Sabinis ad Romanos transfit.*

mittere veritus, ac societate & potentia amicorum ac necessario-
rum fretus, eorum auxilio seditionem movit, atque ea res moram
belli Sabinis injecit. Poplicola autem non cognita modo hæc ha- XXX
bere operæ esse ducens, sed & seditionem istam excitare & incitare, II
viros idoneos subornavit, qui Clauso hæc dicerent: Poplicola tibi,
quem virum bonum & justum judicat, nullo malo ulciscendos cives
tuos censet, quantumvis iniqua passo: quod si tuæ salutis causa ve-
lis homines tibi infensos fugere, & Romam migrare: ita te pu-
blicè privatimque accipiet, ut tua virtute, & splendore Romano
dignum est. Hoc Clauso sæpius secum expendenti maximè opus
facto creditum est. Itaque cohortatus amicos, ijs quoque mul-
tos in eandem sententiam adducentibus, ad transitionem concitatis
familiarum (quæ apud Sabinos præ reliquis à tumultibus alienæ,
& vitæ tranquillæ deditæ erant) quinque millibus, cum his, libe-
risque & uxoribus, Romam profectus est, cum Poplicola re ante
communicata: ab eoque benevolè & promtè ei hospitium, & omnia,
ut æquum erat, sunt exhibita. Nam & familias statim civitate do-
navit, & unicuique homini duo agri jugera dedit juxtæ Anienem flu-
vium. Clauso autem jugera viginti quinque largitus est, ipsum-
que inter Senatores adscripsit: quod Reipublicæ gerendæ initium
ille adeptus, ita prudenter usurpavit, ut in principum post dig-
nationem potentiamque pervenerit, gentemque Clausiam nulla inter
Romanos obscuriorem à se reliquerit. Ad hunc modum migra- XXII
tione Clausiæ factionis seditione sublata, homines turbulenti, po- III
pularemq; auram captantes: non passi sunt rem in ocio & pace con-
sistere: quiritantes indignũ, si Clausus quod præsens non obtinuis-
set suadendo, nunc exsul factus, hostisq; consequeretur, ut ne darent
Romani injuriarum pœnam. Itaq; magno cum exercitu profecti, a-
pud Fidenas consederunt: positisq; ante Romam in insidijs duobus
peditum gravis armaturæ millibus, quos locis umbrosis & cavis ab-
diderant: decreverunt, ubi primum illuxisset, paucos equites emit-
tere, qui apertè prædas agerent: his imperatum erat, ut cùm urbi ap-
propinquassent, fugam simulantes hostes in insidias adducerent.
Quæ eodem omnia die cùm è transfugis Poplicola cognovisset, ce-
leriter ad omnia se paravit: copiasque ita partitus est, ut Postumius
Albus gener ejus cum armatorum peditum tribus millibus eadem
vespera exiret tumulisq; sub quibus in insidijs positi erant Sabini,
occupatis, eos observaret. Lucretius autem collega cum civium ex-
peditissimis animosisq; equites prædatum missos invaderet. Ipse re-
liquas copias ita duxit, ut hostes circumdaret. Forte fortuna den- XXI
sa nebula aerem obscuraverat: ita sub auroram Postumius cum cla- IV
more in eos qui in insidijs latebãt, ab edito loco tela conjecit: equi-
tibus hostium provectis Lucretius suos immisit: Poplicola hostium
castra adortus est. Quo effectum est, ut omnibus locis Sabini affligc-
rentur atque interirent. & qui suo in loco non pugnam capessebant,
sed fugæ se credebãt, eos statim Romani interficiebant. Spesq; ipsis

*Poplicolæ de Sabinis victoria.*

fugæ

fugæ fuit perniciosissima, quod alij alios incolumes putantes, locum suũ tuendi pugnandiq; cura neglecta, pars è castris ad insidiatores, pars ab his ad castra currentes, contraria fuga in eos quos fugiebant incidere, aut in auxilij indigentes eos, quos sibi opem laturos putarant. Ne occidione occiderentur Sabini, Fidenatum propinquitas effecit, ijs maximè salutaris, qui è castris, dum ea capiebantur, elapsi erant. qui Fidenas non pervenerunt, omnes aut cæsi sunt, aut capti. Hanc victoriam Romani, soliti alioquin omnes magnas actiones Deo alicui adscribere, soli duci acceptam tulerunt: eratque audire eos, qui pugnaverant, dicentes, Poplicolam claudos cæcosque, & tantum non captos hostes, sibi tradidisse, ut gladijs eos conficerent. Ex spolijs etiam, captivisque pecunia facta, populi vi-
XXX res auctæ sunt. Poplicola autem acto triumpho, consulibusq; de-
V signatis Reipub. cura tradita, statim diem suum obiit: vitam, quantum ejus maximè homini cõtingere potest, ijs quæ honesta bonaq; habentur, finiens atq; claudens. Populus tanquã vivo nihil eorum, quæ meritus fuerat persolvisset, sed omnem adhuc deberet gratiam decrevit, ut corpus ejus publica sepultura afficeretur, quadrantemque unusquisq; honoris ergo ad eam rem contulit. Mulieres quoq; communi sententia seorsim inita, totum annum eum luxerunt: quæ res magno ei honori atque decori fuit. Sepultus est ipse quoque, civibus ita decernentibus, intra urbem apud Veliam: isq; sepulturæ honor toti ejus genti concessus est. Sed nunc eorum quidẽ nemo ibi humatur: funus tantum eo ducitur, feretroq; depositò ibi, facem aliquis accensam accipiens, ut primum subjecit, mox aufert: ostendens, licere quidem hoc in loco eum terræ mandari, se tamen eum honorem ultro dimittere. eoque facto mortuus inde aufertur.

*Mors & funus Poplicolæ.*

## *SOLONIS ET POPLICOLAE Comparatio.*

XXX Nonne igitur in horum comparatione virorum peculiare quip-
VI piam, & quod in nulla superiorum acciderit, contingit? Nimirum quod alter alterius imitator, alterq; alterius testis fuisse invenitur. Intuenti enim tibi in Solonis de felicitate sententiã ad Crœsum dicta, facilè constabit eã Poplicolæ magis quàm Tello convenire. Hũc enim cùm propter honestũ obitum, virtutẽ, & fœlicem prolembeatissimum fuisse asserat: tamen neque ipse in suis carminibus ejus, tanquam boni viri ullã mentionẽ fecit, neq; filij ejus, aut magistratus ullus celebratur. At Poplicola & vivens virtutis causa inter Romanos potẽtia gloriaq; primas obtinuit, & mortuo eo, præclarissimæ adhuc prosapiæ Poplicolarum, Messalarum, aliorumque Valeriorum, à sexcentis usque annis nobilitatis suæ splendorem ab ipso repetunt. Ac Tellus quidem ab hostibus locum suum servans & pugnans, quod est viri boni officium, occisus fuit: Poplicola cæsis hostibus, id quod majoris est, quàm perire, felicitatis. vidẽs suo ductu, suisque auspiciis patriam victricẽ, honoresq; adeptus, actis trium-

*Poplicola felicitas.*

phis eum vitæ finem habuit, quem optandum & beatum Solon prædicat. Iam quod Solon his quæ adversus Mimnermum de vitæ longitudine disputantur, acclamationis loco addidit. xxxv II

*Mors mea ne careat lacrymis: linquamus amicis*
*Mœrorum, ut celebrent funera cum gemitu:*

id Poplicolam beatum pronunciat. Is enim moriens non amicis tantum aut necessarijs, sed toti civitati, multis millibus hominum, fletum, desiderium sui mœstitiamque reliquit. Romanorum enim mulieres eum haud aliter luxerunt, quàm si filium, fratrem, patremve omnes communem amissent. Solonis sunt hæc quoque:

*Vt mihi sit, cupio, sed parta pecunia juste:*
*Nam cuivis ultrix stat sua pœna malo.*

Poplicolæ autem contigit, non modò ut dives citra noxam esset, sed & ut divitijs pulcrè in egenis juvandis uteretur. Quamobrem si Solon omnium sapientissimus, Poplicola etiam beatissimus omnium habendus est: quæ enim bona ille optavit, tanquam maxima & pulcerrima, ea hic & adeptus, & ijs usque ad exitum vitæ usus est. Hæc sunt quibus Poplicolam exornavit Solon. Vitissim xxxv Poplicola Solonis gloriam illustravit, cùm quod Solon de rep. III præcepit, ejus ipse exemplum in republicæ populari forma constituenda optimum proposuit. Nam & magistratus fastum amputavit, utque is gratus omnibus, molestus esset nemini, effecit: & legibus Solonis usus est multis. Cujus generis sunt, quod populo jus creandorum magistratuum tribuit: quod reis provocationem ad populum, ut Solon ad judices, concessit: & quanquam nullum alium præterea senatum constituit (id quod Solon fecerat) tamen cum, qui erat, senatum auxit ac ferè duplicavit. Ab eodem etiam quæstorum institutum manavit: videlicet ne is qui summæ rerum præesset, vel si bonus esset, pecuniæ tractandæ occupatione à majoribus negotiis expediendis detineretur, vel si malus, occasionem peccandi faciliorem habere, simul & res ipsas, & pecuniam in sua potestate tenens. Odium tyrannorum in Poplicola acrius XXXVI fuit. Solon enim deprehensum in jus trahere jubet, noster etiam IX indicta causa necari concedit. Et cùm rectè glorietur Solon, se oblatam sibi ab ipso rerum statu tyrannidem, cum potuisset non invitis etiam civibus suscipere, respuisse: non minus egregium est Poplicolæ factum, qui magistratum tyrannicum cùm occepisset, popularem reddidit, eoque etiam intra modum usus est. Videturque id prior Solon sensisse: argumento sunt hæc:

*Pareat ut populus ducibus, sic demique fiet,*
*Si nimium haud laxes frœna, nimis ve premas.*

*Poplicola Solonis de republ. sententiam expressit.*

*Pecuniarum ejectarum amputatio.*

Hoc Solonis proprium est, quod novis tabulis maximè libertatem civibus confirmavit: nihil enim proderat legibus æqualitatem statui, qua æs alienum pauperes excluderet; & ubi maximè libertate frui viderentur. ibi divitibus potissimum servirent, in judiciis, magistratibus, & orationibus eorum mandata, tanquam famuli, exequen-

quentes. Id verò majus, quod cùm semper novas tabulas seditio comitetur, Solon tamen ea re loco remedii extremi quidem ejus, sed tamen efficacis, opportunè & cum fructu usus, etiam eos qui erant tumultus sedavit, virtute sua & autoritate rei infimiam ac
XL calumniam supprimens. Quod ad totam reipublicæ administrationem pertinet, splendidius quidem fuit Solonis principium: dux enim fuit, non alios secutus est, & pleraque suo arbitrio ipse, non cum aliis egit: alter verò finem felicem, & optandum consecutus est. Nam & suam ipse Solon reipublicæ constitutionem inspexit everti, Poplicola autem, urbem bono in statu usque ad civilia bella conservavit. Et Solon leges suas in ligno incisas & perscriptas, protectorisque indigentes relinquens, simul atque eas condidisset, Athenis discessit: alter Romæ manens, magistratum gerens, remque publicam administrans, fundavit eam, & in turo collocavit. Præterea Solon cùm quæ futura essent prævidens, Pisistratum impedire vellet; tamen ei ab hoc non est concessum, sed nascenti tyrannidi succubuit. Poplicola regnum quod vires diuturnitate temporis sumserat, excidit & demolitus est: præter virtutem & voluntatem, qua Solonis propositum adæquabat, successu etiam vi ad
XLI perficiendam rem adjutus. In rebus porro bellicis, quæ nos de Solonis in bello Megarico actis supra retulimus, est qui neget Daimachus Platæensis: Poplicola maximas victorias pugnans ducens- *Gloria bellica, & civilis.*
que exercitum retulit. Ad civiles porro actiones Solon quasi ludens accessit, insaniam prætexens cùm esset de Salamina dicturus: alter summum ultro in periculum se dedit, contra Tarquinium insurgens, ac proditionem deprehendens: autorque præcæteris ut de improbis supplicium sumeretur, neque elaberentur judicio, non ipsos modò tyrannos urbe expulit sed & spes eorum excidit. Cumque ad hunc modum in rebus, quæ certamen, animi fervorem, & in resistendo vim requirebant, fortiter se acriterq; gessisset, melius adhuc ea confecit, quæ pacato colloquio, & obsequio ad persuadendũ
XLII indigebant: quod ostendit, cùm Porsenam, virum inexpugnabilẽ & formidandũ prudenter ad amicitiã perduxit. Atqui Solon, inquies, amissam Salaminẽ Athenẽsibus recuperavit Poplicola terra, quam Romani ante ceperant, excessit? Enim verò ratione habita temporis actiones expendendæ sunt. Oportet autem eum, qui rempublicã gerit, varia consilia agitare, ac perspicere, qua potissimum ratione una quælibet res facillimè possit expediri. itaq; sæpe ille parte aliqua dimissa totam rei summam conservat, parvoq; cedens, majora consequitur. id quod tum Poplicolæ usu venit. Nam agrum alienũ concedens, patriã tutò conservavit: & quibus magnũ erat urbẽ posse tueri, in eorum potestatẽ castra ipsa obsidentiũ hostiũ redegit: judicioque controversiæ hosti commisso præter victoriã ea etiãaccipit quibus redimere victoriam operæ preciũ fuerat. Nam virtutis ac probitatis suæ opinione in quam de toto populo adduxerat Porsenã, Poplicola effecit, ut & is & pacem cum Romanis jungeret, & omnem belli apparatum tolleret.

# IN POPLICOLAM.

*DE hujus ætate annotare nihil est necesse, cùm notissimum sit tempus, quo Regibus exactis Romæ, Consules institutum fuit præesse.*

Cap. 1. Credereturque genus.) *Cur Poplicolam potius, quam (ut vulgo legunt) Publicolam scripserim, nihil attinet dicere: est quæ jam ante à Sigonio demonstratum. De quo autem hic Valerio loquitur Plutarchus, ei Volesus prænomen fuit: & eorum trium Sabinorum, qui totius gentis clarissimi cum Tatio rege Romam commigrarunt, primus nominatur à Dionysio libro secundo.*

Cap. 5. Consilii sociis sibi adscitis.) *Lapus duas aut tres domos corruptas habet. Fatcor sanè me ambigere: est enim in Græco τρεῖς ἔχοντας βελευτὰς. & ἔχοντας stare non potest, ἔχοντες vel ἔχοντα potest. Posterius hanc sensum dabit, duos in Aquilia, tres in Vitellia senatores familia fuisse, idque non improbo. nam aliter βελευτὴς pro* conspirante *explicandum est, haud scio quàm commodè. Sed sensum utcunque expressi. Porro an Brutus cognomen Iuniæ gentis ab hoc Bruto incœperit, non pronuncio, est quidem fortasse probabile.*

Cap. 10. Reliquis libertis longo post tempore) *Imo etiam in senatum libertinos recepit. Vide Livium ad finem noni: & Diodorum libr. 20. ubi de Appis Claudii Cæci censura loquitur.*

Cap. 11. Insula est sacra.) *Dionys. lib. 5. expressius, Æsculapio sacram tradit. Historia est lib. Livii 11. apud Valer. lib. 1. cap. de Miraculis. Meminit & Plinius cap. 1. lib. 29. & Festus lib. 9. in Insula. Quod autem latinè* Media inter duos pontes *vocetur, non memini me usquam legere alibi. Insulam omnes vocant: ut videantur hæc verba periphrasis insulæ esse, non diversa appellatio.*

Cap. 12. Vrsus lucus.) ἔρσου ἄλσος. *apud Livium quidem lib. 2. hoc ipsum describentem, & apud Valer. lib. 1. cap. 8.* Arsia *sylva legitur, quos Lapus est secutus. ex Dionysio nihil colligere possum, qui eam pugnam in Vinio prato ad Horatii cujusdã herois lucũ factũ scribit.*

Cap. 18. In aliis.) ἐν τῷ μετελῷ quæ vox inculcata est perperam, & sententiæ repugnat. nisi quis ita delirat, ut affectatæ tyrannidis culpam in mediocribus delictis usptam haberi potuisse somniet.

Cap. 20.) Apud portam cui nunc Ratumenæ.) *Sic & Plinius habet lib. 8. c. 42. hoc factum commemorans: & Sex. Pompejus lib. 16.*

Cap. 21. Sive filius sive nepos.) *Non otiosè hoc dixit. Nam & Livius fatetur dubitari, filiusne (ut ipse putat) an verò nepos Prisci Superbus fuerit. Posterius ostendit multis rationibus Dionys. Halicarnass. lib. 4.*

Cap. 22. Ex Pentelico lapide.) Πεντέλη, *Pentele pagus est Atticæ, ut docet Stephanus. Pausan. lib. 1. descript. Græciæ, demonstrat esse montem Atticæ Pentelicum ubi sint lapicidinæ. Hujus lapidis etiam Cicero ad Atticum meminit, lib. 1. de Hermis Pentelicis. Id propter Lapum, & ejus correctorem annotavi.*

Cap.

Cap 24. Sigliuriam urbem condidit.) *Sic quidem est in Graco, sed non video quid sit* Sigliuria. *Suspicor* Signiam *fuisse scribendum Non quidem nescio, Tarquinium Superbum ejus coloniæ auctorem à Livio poni: sed potuit vel alios auctores secutus fuisse Plutarchus, vel ea colonia tum instaurari, vel augeri, & corroborari à Poplicola. Equidem ad annum (ut ego & plerique numeramus)* C. V. CCLIX. *hoc est decimotertio post anno, Livius scribit Signiam coloniam, quam rex Tarquinius deduxerat, suppleto numero colonorum iterum deductam esse. Apud Dionysium* Συγκήειον (Syncerium,) *deducta colonia legitur, præsidij causa contra Latinos & Hernicos, in secundo Poplicolæ consulatu. quicquid sit, apparet haud procul Roma, ejusque propugnaculum fuisse id quod Poplicola condidit, oppidum, ex narratione quæ statim subjicitur.*

Cap. 25. Herminius & Lartius.) *Malui* Lartium *quàm* Lucretium, *Livium & Dionysium sequens: & videbatur esse menda inculcato* Lucretii *nomine. Id obiter annotandum duxi, apud Polybium summa fides historicum lib. 6. legi mortem oppetisse in hoc certamine Coclitem.*

Cap. 30. Aedium fores omnes:) *Videndus Plinius cap. 15. lib. 36.*

Cap. 31. Appius Clausus.) ἄππιος, *hoc reliqui perspicuitatis causa: quia is est auctor gentis Appiæ. Alioquin Sigonio nihil repugno, qui in Annotat. Livianis* Actium (Attium *ego malim*, ἄττιον) *legendum docet. Ex* Clausis *autem* Clausios, *qui deinde* Claudii *dicti sunt, ortos patet.*

Vt ne darent Romani injur.) μὴ δῶναι ἄκλω ῥωμαίοις, ὧν ὑβρίζουν. *Lapsus hoc mendo seductus, nullum sensum loci extulit. Est autem legendum, id quod facile apparet,* ῥωμαίους, *accusandi, non dativo casu.*

Cap. 33. Postumius Albus.) *Balbus est in Graco,* βάλβος: *sed cognomen ego non esse hoc Postumiæ gentis puto. Postumios autem Albos cognomento fuisse, notum est & tritum.* Postumius *porro scribere malo, etymologiamq; sequi & Græcos etiam libros: quâ* Posthumios. *Non enim* à post & humus *fit* posthumus, *ut vulgo traditur, & ipse olim credidi: sed derivata est vox* postumus *à præpositione* post, *ut* inferus *ab* infra, superus *a* supra.

## IN COMPARATIONEM.

Cap. 36. Messalarum, aliorumque Valeriorum.) καὶ ἄλλοι οὐαλέριοι. *Sed ego mendum esse dico, nisi legas* καὶ ἄλλοι οὐαλέριοι. *Valerij enim, gentis est nomen, neque inter familiarum cognomina reponi potest. Sin ita, ut puto legatur, nihil erit incommodi: intelligentur enim reliquæ Valeriorum, qui hîc non recensentur, familiæ: ut Maximi, ut Corvini, ut Potiti, ut Flacci, ut Lævini, & cæteræ si quæ sunt.*

## PLVTARCHI THEMISTOCLES, GVILIELMO Xylandro, Augustano, interprete.

THEMISTOCLI genus obscurius fuit, quàm quod ad glo- I
riam conferre aliquid posset, patrem enim habuit inter Athenienses non admodum illustrem, nomine Neoclem, de curia Phreariorum, & tribu Leontide. Matre autem non legitima natum tradunt: estque in eam sententiam id carmen:

*Arbrotonum Threissa fui genus: ut peperisse*
*Me magnum Graecis dico Themistoclea*

Phanias quidem matri Themistoclis non Thraciam, sed Cariam patriam, neque Abrotono, sed Euterpe nomen fuisse asserit: Neanthes etiam urbem Cariæ, ubi nata fuerit, Halicarnassum nominat. Ideoque cùm spurii in Cynosarges, quod est extra urbem gymnasium Herculis, (nam is quoque inter Deos non legitimus habetur, ut qui mortali matre sit natus) convenire consuevissent, quibusdam ingenuis adolescentibus Themistocles persuasit, ut secum ad Cynosarges descenderent, ibiq; ungerentur: quo facto videtur callidè discrimen spuriorũ & legitimorum tustulisse. Lycomedarũ genti ipsum cognatũ fuisse, in promptu est. Nam Lycomedarum sacellum initationi destinatum, quod erat apud Phlyenses, ipse a barbaris incensum instauravit, ac picturis ornavit, ut Simonides tradit. In con- II
*Pueritia.* fesso est, adhuc puerum, magnos animi impetus habuisse, naturaque intelligentem, & magnarum rerum civilium que studiosum fuisse: ubi à discendo vacaret, nõ ut reliqui pueri ludicris aut ocio sese oblectare. sed orationes secum aliquas meditari & componere deprehendebatur. Erant autẽ eæ orationes vel accusatio, vel defensio alicujus puerorũ. Itaque dicere solebat præceptor, nihil eum puerum
*Studia.* mediocre, sed magnũ omnino vel bonum vel malum futurũ. Nam disciplinas quoq; eas, quæ vel formandorũ morum, vel voluptatis & elegantiæ causa discuntur, ægrè & nulla cum alacritate percipiebat: quæ verò ad prudentiam & actiones spectabant, eas satis apertè etiam præter ætatem colebat: nimirum natura sua fretus, eique obsequens. Itaq; postea temporis in liberalibus (quas vocant) & urbanis conversationibus subsannatus ab iis qui se eruditiores ferebant, coactus est insolentiori aliquantum dicto se tueri: lyræ quidem inquiens se concinandæ aut psalterij tractandi nescium, urbem contrà exiguam & ingloriam, quam accepisset, gloriosam & magnam efficere callere. Stesimbrotus Themistoclem auditorem A- III
naxagoræ fuisse, Melissoque physico operam dedisse ait: sed temporis rationem non observavit Nam contra Periclem, qui multis post Themistoclem annis natus est, Samios oppugnantem dux fuit Melissus: eidemque Pericli Anaxagoras fuit familiaris, Mnesiphilo itaque potius accedendum, qui Themistoclem Phrearij imitatorem fuisse perhibet: hunc autem neque rhetoricam neque naturalem

lem philosophiam professum, sed sapientiæ quam vocant (quæ est peritia in republica versandi, & prudentia ad actiones accommodata) operam dedisse, ac tanquam sectam aliquam à Solone propagatam conservasse: quam qui de judicialibus causis adhibuerunt, & ab actionibus ad dicendum id studium traduxerunt, Sophistæ sunt appellati. Huic quidem Themistocles, cùm jam ad Rempublicam accederet, se adjunxit. Sed primis juventutis suæ conatibus, varius fuit, atque inconstans, soli naturæ obsequens: quæ doctrina & institutione destituta, magnas utramque partem studiorum mutationes effecit, sæpiusque ad deteriora deflexit. Neque id dissimulavit ipse postea, è ferocissimis pullis optimos fieri equos dicens, si qua
IV opus est, disciplina formentur. Quæ his annectuntur à nonnullis narrationes, abdicatum fuisse eum à patre, matremque præ dolore ignominiæ filio illatæ voluntaria morte vitam finivisse, mendacia videntur: ac sunt contrà qui dicant, patrem, quod eum à Republica curanda dehortaretur, apud mare ei triremes antiquas ostendisse, projectas jam & neglectas, innuentem eundem esse populi animum in oratores, ubi inutiles ii esse cœpissent. Cæterùm videtur studium in Repub. versandi celeriter admodum juvenili ardore elatus Themistocles suscepisse: cupiditasque gloriæ vehementer apud eum invaluisse; ob quam initio statim primas affectans, odia potentum & primorum in civitate satis protervè in se concitavit: maximè autem omnium Aristidis Lysimachi filii, quem in omnibus contrarium habuit. Quanquam creditum est hanc eorum inimicitiam oppidò puerile habuisse initium, quod uterque formosum Stasilaum Teium amarent (ut Aristo philosophus refert) eamque æmulationem etiam ad Reipubl. administrationem adferrent. Enimverò vitæ & morum dissimilitudo, auxisse eam videtur. Aristides enim placidus natura, optimatumque studiosus, quique in Republica gerenda non gratiam, non gloriam, sed quod optimum, tutissimum, justissimumque esset, spectabat, sæpenumero coactus fuit Themistocli populum ad multa concitanti, magnasque rerum novationes molienti adversari, ejusque incrementis impedimento esse. Tanto enim gloriæ ardore abripi solitum Themistoclem tradunt, tantaque æmulatione rerum præclare gestarum flagrasse, ut juvenis adhuc, cùm pugna Marathonia contra barbaros facta, Militiadisque ducis gloria omnium in ore esset, cogitabundus plerunque visus sit, noctesque insomnes egerit, consuetis compotationibus abstinuerit: mutationemque vitæ admirantibus, & causam quærentibus, respondisse, *Miltiadis trophæum sibi somnum adimere.* Reliqui enim cladem barbarorum Marathoniam, belli finem esse censebant: at Themistocles eam initium majorum certaminum putabat, ad quæ se pro tota Græcia assiduè præparabat & urbem exercebat, quid futu-
V rum esse multo ante prævidens. Ac primo omnium, cùm mos esset Athenienſibus, proventus fecturarum argentariarum, quæ erant in Laurio, inter se dividere: solus ipse ad populum progressus, ausus

*Vt ad Rempublicam accesserit.*

*Bellum Ægineticum.*

est dicere, esse omissa divisione exista pecunia triremes parandas ad bellum Ægineticum. Id bellum dum in Græcia maximè vigebat, & multitudine navium Æginetæ mare tenebant. quo facilius assensum est Themistocli, non Darii, non Persarum metum obtendenti (procul enim hi aberant, neque magnum sui adventus metum offerebant) sed ira & contentione civium adversus Aeginetas opportunè ad eum apparatum abutenti. Suntque hac pecunia confectæ centum triremes, quarum in navali contra Xerxem prœlio usus fuit.

*Classis Athenienſium.*

Exinde sensim civitatem ad mare exercendum deduxit, quos terrestri bello ne adversus sui quidem similes satis roboris habere, navium verò præsidio & barbaros propulsare, & Græciæ imperium adipisci posse intelligebat: itaque cives ex militibus in acie stare solitis, nautas (ut ait Plato) & maritimos effecit; incurritque in calumnias ejus facti causa, quod cives hasta & clypeo spoliatos, ad transtra & remos detrusisset. Hæc autem confecit Themistocles, Militiade, vir qui non contradixerat, superato, si Stesimbroto credimus. Puritatem ne & integritatem civitatis eo facto læserit, an vero secus, iis qui altius hujusmodi res considerant, disputandum relinquo: certè salutem Græciæ partam mari, Athenasque jam labefactatas opera illarum triremium stabilitas fuisse, cùm reliqua sunt testimonio, tum ipse Xerxes affirmavit. Naumachia enim victus, integris adhuc, quas in terra habebat, copiis statim sese fugæ commisit, ut ad bellum gerendum impar: reliquitque post se Mardonium, magis, (ut mea fert sententia) detinendorum à persequendo Græcorum, quàm in servitutem redigendorum causa. VIII

*Circa pecuniam qualis Themistocles.*

Quærendæ pecuniæ studium ejus intentius nonnulli liberalitatis nomine excusant: quippe virum sacra frequenter facientem, splendidumque in accipiendis hospitibus, magnis opus habuisse sumtibus. Quidam contra sordium eum magnæque tenacitatis incusant, qui cibos etiam sibi missos vendiderit. Et cum Philides, qui alendis equis rem faciebat, pullum petenti denegasset, minatus ei fertur, se domum ejus mox equum Trojanum facturum: obscure innuens, concitaturum se adversus eum lites propinquorum & familiarium ejus. Cæterùm ambitione omnes æquales adeo antevertit, ut juvenis etiamnum, & obscurus ab Epicle citharœdo Hermionensi, qui Athenis in precio erat, summis precibus permoverit, ut is apud se artem faceret: id ambiens, ut multi domum suam venirent. Olympiam profectus, cum Cimone de cœ- IX

*Ambitio eius.*

narum, tabernaculorum, reliquique apparatus splendore contendens, Græcos offendit. Cimoni enim adolescenti, & illustri domo nato concedendam de his rebus palmam esse judicabant. Et Themistocles nondum cognitus, quique facultatibus non sufficientibus hæc existimaretur ultra quàm conveniret conari, arrogantiæ crimen incurrebat. Vicit tamen Tragœdis sumptus suppeditans, cum jam tum id certamen magno studio atque æmulatione ageretur: tabulamque victoriæ cum hac inscriptione posuit: *Themistocles Phrearij sumtibus, Phrynichus docuit, Adimantus præfuit.* Interea verò se multi-

multitudini probabat, qua singulorum civium nomina memoriter recitans, quà in contractuum, controversiis fidum se judicem præbens. Ferturque cùm esset prætor, Simonidi Ceo petenti aliquid iniquum respondisse: Neque vero aut tu bonus poeta, si præter carmen caneres, aut ipse probus prætor essem, si præterquam quod leges permittunt, tibi gratificarer. Eundemque Simonidem rursus facetè mordens: Non est, inquit, tibi cor, qui Corinthiis, magnæ urbis civibus convicia faciens, tibi ipsi imagines facis, homo adeo defor- X mis. Magnus jam factus, & multitudine gratus, tandem Aristidem sua factione vicit, eumque ostracismo extorrem egit. Iam Medis expeditionem in Græciam facere incipientibus, Athenienses que de duce deliberantibus, memorant reliquos omnes periculi gravitate perterritos, sua sponte imperii petitione abstinuisse: Epicydem autem Euphemidæ filium oratorem popularem, disertum quidem, cæterùm mollem animo, & pecunia superabilem, eam dignitatem affectasse, jamque creditum fuisse, fore ut communi suffragio imperium ei deferretur. Ibi Themistoclem veritum, ne ea res perniciei communi staret, Epycidem data pecunia de ambitione ista retraxisse. Laudatur etiam id, quod egit cum interprete misso inter regios nuncios, ad petendam terram & aquam legatos. Hunc enim ex decretò comprehendit, ac necavit, quod ausus esset Græcam linguam barbaricis mandatis utendam dare, item quod Arthmius Zelites eo referente cum liberis & toto genere ignominia notatus est, quia au- XI rum Medicum Græciæ intulisset. Sed maximum est, quod intestina Græciæ bella sustulit, civitatesque ad concordiam mutuam reduxit, persuadens eis, ut belli imminentis causa inimicitias in aliud tempus rejicerent: qua in re magnopere usum Chilei Arcadis auxilio traditur. Factus imperator, statim intendit cives triremibus imponere, suasitque urbe relicta, quàm longissime à Græcia in mari barbaris occurrerent. Multis autem repugnantibus, cum magno exercitu & Lacedæmoniis ad Tempe profectus est, propugnaturus ibi pro Thessalia, quę nondum ad Medos inclinare putabatur. Cęterùm Thessali cùm se regi adjunxissent, & ad Bœotiam usque omnia Medo favèrent, infecta re inde reverti coactus est. Id movit Athenienses, ut Themistoclis consilio de re mari gerenda magis adsentirentur: miseruntque eum cum navibus ad Artemisium, ut fauces custodiret. Ibi cùm Græci imperium Lacedæmoniis & Eurypiadi deferrent, Athenienses autem, quia numero navium reliquos simul omnes superabant, aliorum ductu bellare recusarent: Themistocles conspicatus, quod ea ex dissensione periculum impenderet, cùm ipse Eurypiadi imperium concessit, tum Athenienses placavit oratione, promittens fore, ut si se viros strenuos in bello præstarent, posthac ultrò Græci ipsorum dicto audientes se præberent. Quamobrem existimatum est, Græciæ salutis istum unicam causam fuisse, & qui præsertim hanc famam Athenensibus conciliarit, fortitudine ab XII iis hostes, animi moderatione socios victos fuisse. Postquàm autem

*Iustitia eius.*

*Belli Medici administratio.*

autem barbarorum classe ad eum locum, cui Aphetæ nomen est, delata, Eurybiades, multitudine navium quæ in fronte apparebant perterritus, insuper audito ducentas alias super Sciathum cursum flectere, id consilium cepit, ut quàm celerrimè intra Græciam reversus, Peloponnesum adiret, ac terrestres copias navibus circumjiceret: posse copiis regiis mari resisti nullo modo putans. Hic Euboenses veriti ne à Græcis destituerentur, clandestinum cum Themistocle colloquium habuerunt, misso cum magna pecunia ad eum Pelagonte: quam Themistocles acceptam Eurybiadi tradidit, ut Herodotus auctor est. Repugnabat autem Themistocli Architeles unus ex civibus ejus, præfectus sacræ triremi: qui cùm non haberet pecuniam unde nautas sustentaret, discessum agitabat. Contra hunc irritatos jam ante animos civium, Themistocles magis adhuc concitavit, ita ut ei concursu facto cœnam diriperent: indignè id animoque ægro ferenti, in cista mittit panem & carnes ad cœnam, subjecto illis argenti talento, mandatoque, ut ipse cœnaret, & postridie sociorum navalium curam haberet: ni faceret, traducturum se eum apud cives, quasi pecuniam eam ab hostibus accepisset. Hæc narratio Phaniæ est Lesbii. *Pugnæ ad Artemisium.* Quæ eo tempore cum navibus barbarorum XIII apud fauces commissæ sunt pugnæ, non eæ quidem ad rem decernendam magnam admodum momentum attulere, experientia tamen maximè Græcis profuerunt, inter pugnam re ipsa comperientibus neque numerosam classem neque signorum ornamenta & splendorem, neque clamores minaces, neque barbaricos pæanes quicquam habere, quod terrorem afferre debeat viris manum conserere scientibus, & pugnam audientibus: sed esse, his contemptis ipsa hostium corpora invadenda, & in hæc comminus depugnandum. Quod non male intellexisse videtur Pindarus, de pugna ad Artemisium dicens, Athenienses ibi splendida fundamenta suæ posuisse libertatis: audere enim est re vera principium victoriæ. Est XIV autem Artemisium littus Euboeæ supra Hestiæam ad Boream spectans (cui è regione ferè opponitur Olizon in ea terra posita, cujus dominus fuit quondam Philoctetes.) habetque templum exiguum Dianæ Orientalis: circa id arbores exstiterunt, & columnæ ex albo lapide fixæ sunt, qui lapis si manibus teratur, colorem odoremque croceum emittit. Fuit autem in una istarum columnarum hoc inscriptum carmen:

*Cecropia hoc quondam in pelago cùm classe juventus*
*Vicisset populos omnigenos Asiæ,*
*Medorum perijt q; exercitus: ista trophæa*
*Fixerunt memores, Virgo Diana, tibi.*

Monstratur etiam in littore locus inter multos arenæ tumulos, pulverem ab alto cinericium nigrumque eructans, tanquam igne ustum: ubi videntur navium fragmenta & cadavera cremasse. Sed XV cùm de re ad Thermopylas gesta cognovissent, videlicet Leonidam occubuisse, Xerxemque eos, qui terra essent, aditus tenere: intra Græ-

Græciam reversi sunt, Athenienſibus ſummæ rei præfectis, ac propter virtutem & rem egregiè geſtam exultantibus. Cùm oram continentis legeret Themiſtocles, quibus in locis portus & perfugia hoſtibus neceſſariò adeunda videbat, in lapides, qui partim tum ſortè aderant, partim ab ipſo in ſtationibus navium, & aquationibus poſiti ſunt, literis conſpicuis inſcriptis Iones hortatus eſt, ut ſi quidem fieri poſſet, ad Græcos tranſitionem facerent, à quibus originem traherent, & qui pro ipſorum libertate propugnarent: ſin minus, at ſaltem in pugna barbaros lederent & conturbarent. Hoc conſilio ſperabat ſe effecturum, ut vel deficerent Iones, vel iis in ſuſpicionem ſiniſtram apud barbaros adductis, ſeditio hoſtium exiſte-

*Iones ad defectionem ſolicitat Themiſtocles.*

XVI ret. Porro cùm Xerxes ſupernè per Doridem in Phocidem irrumperet, urbemque incenderet; Græci auxilium non tulerunt regioni: quantumvis Athenienſibus petentibus, ut defendendæ Atticæ cauſa in Bœotiam proficiſcerentur, ſicut ipſi mariti ad Artemiſium hoſti occurrerant. Quorum petitioni cùm nemo Græcorum ſatisfaceret, ſed omnes Peloponneſo intenti in eo eſſent, ut omnes copias intra Iſthmum conducerent, Iſthmumque ab uno mari ad alterum muro munirent: Athenienſes ſimul & ira, quod proditi, & metus atque mœſtitia deſertos inceſſit. Neque enim pugnam inire adverſus tot millia hoſtium conſilium videbatur: & quod in præſentia unicum facto opus erat, ut urbe relicta navibus ſe crederent, id pleriſque auditu etiam grave erat: qui ſi Deorum templa majorumque ſepulchra prodidiſſent, neque victoria, neque ſalute quicquam ſibi

*Athenienſes à ſociis proditi.*

*Athenienſes à ſociis proditi.*

*Athenæ ſuaſis Themiſtoclis deſertæ.*

XVII opus eſſe putarent. Fo rerum ſtatu Themiſtocles, cùm humanis rationibus ſe permovere poſſe populum diffideret, tanquam in tragœdia machinam aliquam attollens, ſigna divinitus miſſa, & oracula ſuis objecit. Oſtentum rapuit draconem, qui illis diebus ferebatur ex templo abiiſſe: ſacerdoteſque cùm invenirent liba, quæ ei opponebantur quotidie, intacta eſſe, in populum ea de re rumorem ſparſerunt, ita interpretante Themiſtocle, Deam urbe exceſſiſſe, viæque ad mare ducem ipſis factam. Oraculum etiam ad perducendum in ſuam ſententiam populum interpretatus eſt: nihil aliud ligneo muro, quàm naves intelligi: ideoque *Salaminem* etiam *divinam*, non *triſtem* aut *miſeram* à Deo vocati, ſcilicet quod à magna

XVIII Græcorum aliqua fortuna in poſterum ſit nomen habitura. Itaq; cùm rem tenuiſſet, decretum fecit, quo urbem Minervæ tutelari Deæ commendandam, omnes qui eſſent valida ætate, triremes conſcendere, unumquemque ſuos liberos, uxorem, mancipia quo maximè poſſet modo ſervare jubebat. Confirmato decreto, plerique ſuos parentes & mulieres Trœzenem tranſtulerunt, humaniter civibus eos accipientibus: fecerat enim Nicagoras apud eos decretum, ut hoſpites in ſingula eorum capita tributis duobus obolis, publicè alerentur, ut fruges pueris undecunque vellent, liceret decerpere, ut magiſtris merces doctrinæ pro ipſis ſolveretur. Cùm autem publica pecunia non eſſet Athenienſibus, Ariſtoteles ait per

Areopa-

Areopagitas effectum, ut triremes implerentur, qui singulis militibus octo drachmas dederint. Clidemus etiam hoc Themistoclis calliditate confectum tradit. nimirum descendentibus in Peiræeum Athenienſibus, amiſſam fuiſſe à ſtatua Minervæ ægidem: ibi Themiſtoclem cùm ſe ſimularet quærere, eamque perluſtraret, magnam vim pecuniæ inveniſſe, inter impedimenta reconditam, eaque in medium prolata, ſuffeciſſe viatica claſſiariis. Enavigantium ſpectaculum aliis miſericordiam movit, aliis fortitudinis admirationem, quod hi parentibus alio dimiſſis, nihil ad eorum luctus, fletus, amplexusque inflexis animis inſulam peterent. Et ſanè multi cives ſenectutis cauſa relicti miſerationem ciebant: etiam cicurium ac juxta enutritorum animalium geſtus dulcem in animis affectum excitabant, cum ululatu & deſiderio eos, à quibus alita eſſent, comitantium. Inter quæ narratur canis Xanthippi, ejus, qui Periclem genuit, non patiens ſe à domino deſeri, in mare inſiluiſſe, juxtaque triremem natando Salaminam perveniſſe, ibique ſtatim ab anima deſertum exſpiraſſe, humatumque eo loco, qui adhuc Cynoſſema, id eſt, canis ſepulchrum dictus oſtenditur. Magna hæc Themiſtoclis facta. Neque minus id quod cùm à civibus deſiderari Ariſtidem (quem ipſe ante bellum factione ſuperatum, oſtraciſmo in exilium egerat) ſentiret, eoſque vereri, ne propter iram barbaro ſe adjungeret, reſque Græcas everteret, decreto iis, qui ad tempus relegari eſſent, facultatem dedit revertendi, ac cum reliquis civibus ſalutem Græciæ procurandi. Eurybiadi porro, qui claſſis præfectus erat propter Spartæ dignitatem, trepidanti periculum adire, ſtatuentique ad Iſthmum navigare, quo loco etiam terreſtres Peloponneſi copiæ erant congregatæ, Themiſtocles contradixit. Quo in certamine celebria iſta ejus dicta ab eo prolata memorant; cùm Eurybiadi ad ſe dicenti, in certaminibus qui ante ſignum datum prodiiſſent, eos verberibus plecti: reſpondit, verum id eſſe, ſed & eos qui ſerius veniant, non coronari. tollentique baculum, & plagam minanti: Percute ſanè inquit, modò audi. tum Eurybiades mite ingenium admiratus, dicere eum juſſit. Ibi cùm ad inſtitutum de pugna ad Salaminam facienda ſermonem revertiſſet, quidam hominem urbe carentem, non rectè iis, qui patriam haberent, ejus deferendæ auctorem fieri dixit. Ad eum converſa oratione Themiſtocles: Nos quidem, inquit, homo improbe, domos & muros reliquimus rerum inanimatarum cauſa ſervitutem ſubire nolentes. Vrbs autem nobis eſt, qua nulla ſit in Græcia major: nimirum ducentæ triremes, quæ nunc adſunt vobis auxilio, ſalvos vos, ſi quidem velitis, ſervaturæ: ſin iterum diſceditis, nobis proditis, ſtatim audient Græci Athenienſes & urbem liberam, & agrum, eo quem dimiſerint, nihilo deteriorem adeptos. Hæc eo locuto, in eam cogitationem venit Eurybiades, ut metueret, ne Athenienſes ipſis deſtitutis diſcederent. Eretrienſi quoque cuidam contradicere conanti Themiſtocles: Num nam, inquit, etiam vos de bello verba facitis? qui inſtar teuthidum

*Ariſtides ab exilio revocatur.*

XIX XX XXI

piſcium,

XXII piscium, gladium quidem habetis, corde autem caretis. Sunt qui referant, Themistoclem in tabulato navis stantem, desuper de pugna apud Salamniam committenda peroraſſe: visamque tum noctuam, quæ ad dextram navium partem transvolarit, & in summitate mali consederit: eoque maximè effectum, ut sententia ipsius approbata, ad navalem pugnam Græci se paraverint. Sed posteaquam classis hostium juxta Phalerum Atticæ accessit, & vicina circum littora navibus texit ac rex ipse cum terrestri exercitu ad mare descendens, conjunctis copiis ingentem multitudinem suorum ostentavit: ibi verò Themistoclis oratio ex animis Græcorum efflu-

*Stratagema, quo Salaminiam pugnam fieri obtinuit Themistocles.*

XXIII xit, rursusq; ad Isthmum oculos Peloponnesii conjecerunt, ægrè ferentes, si quicquam aliud à quoquam diceretur, decreverunt autem noctu solvere, & erat hoc nautis indicatum. Hîc Themistocles, cui dolebat Græcos id agere, ut auxilio loci & angustiarum dimisso, à se invicem divulsi in urbes suas quilibet discederent; consilium iniit, negociumque, cujus Sicinum habuit administrum, tale composuit. Erat Sicinus de Persis captus, Themistoclis studiosus, liberorumq; ejus pædagogus: hunc ad regem Persarum furtim mittit, jubetq; ei dicere, Themistoclem Athenienſium ducem, regiam causam Græcorum rebus præferre: eum primum regi nunciare, Græcos fugam parare, hortari eum, ne ipsis facultatem faciat, sed turbatos, & ab exercitu terrestri sejunctos adoriatur, atque classem eorum perdat. Delectatus est eo nuncio rex, benevolentiaq; Themistoclis allatum credidit. itaque statim re cum navium præfectis communicata, dum milites in reliquas imponi possent commodè, ducentis navibus eos

XXIV ire, angustiasque totas, & insulas circumdare jussit, ne cui hostium fuga pateret. Quæ cùm ita agi primus omnium Aristides sensisset,

*Aristidis & Themistoclis congressus.*

ad tentorium Themistoclis accessit (non ille quidem amicus ei, quippe à quo civitate olim pulsum fuisse supra demonstravimus) progressoq; indicavit cingi à barbaris fauces & insulas navibus. Cujus cùm probitatem jam ante cognitam haberet Themistocles, hunc quoque ipsius tum adventum admiratus, quæ cum Sicino egisset, ei exponit, hortaturque, ut, quoniam fide & auctoritate plus se posset apud Græcos, conjuncto studio in id incumberet, ut eos ad conserendam in angustiis navalem pugnam adduceret. Aristides, collaudato Themistocle, reliquos duces ac triremum præfectos adiit, & ad pugnam incitavit. Adhuc dubitantibus, una Tenedia triremis, cui

XXV præerat Panætius, ab hostibus transfugiens, eadem narrat de circumjectis undique barbaris: itaque simul & animus Græcos & necessitas ad subeundam naumachiæ aleam perpulit. Vt primùm illuxit, Xerxes spectandæ classis & pugnæ causa edito loco consedit, supra Herculis fanum, ut ait Phanodemus, qua angustum fretum Eubœam ab Attica dividit: Acestodorus consedisse in confinio Megaricæ scribis, super eum locum, quæ *Cornua* dicuntur, aureo solio posito, multisq; juxta scribis, quibus ut describerent, quæ in pugna gererentur, negocium erat datum. Ad Themistoclem autem juxta præto-

prætoriam triremem sacris operantem, tres adducti sunt captivi, forma venustissima, vestium & auri ornatu splendidissimo: ferebantur que nati Sandauca regis sorore, & Autarcto. Quos ut vidit Euphrantidas aruspex, simulque magnus & clarus ignis è sacris eluxit, & sternutatio à dextra signum dedit: dextra Themistocli injecta, jussit eum factis Baccho Omestæ (quo cognomento crudivorus significatur) votis juvenes istos immolare: ita enim & victoriam Græcis, & salutem constitutam. Attonito Themistocle ac grave id vaticinium & immane existimante, Græci (ut ferè in summis certaminibus ac rebus adversis salutem magis ab inopinato aliquo casu, quàm certo consilio sperare homines solent) uno omnes ore Deum invocaverunt, adductisque ad aram captivis, coegerunt sacra ita, uti vates jusserat, perpetrari. Hæc de Phaniæ Lesbii, viri in philosophia & historiis minime rudis, monumentis transcripsimus. De numero navium barbaricarum, Æschylus, ut re sibi comperta, in tragœdia, cui Persæ titulus est, ita affirmat: XXVI

*Navium numerus.*

*Naves fuisse mille Xerxi, cognitum est*
*Mihi: quæ celeritate sed anteirent cæteras,*
*Numero fuisse bis centum, & septem scio.*

Atticæ naves fuerunt centum & octoginta: harum unaquævis classiarios milites habebat decem & octo, ex his sagittarios quatuor, reliquos gravis armaturæ. Videtur autem Themistocles non minus temporis quàm loci opportunitatem captasse: non enim ante rostra suarum navium hostili classi obvertit, quàm hora ea advenit, quæ semper solebat per fauces ventum validum, & fluctum immittere: quæ res Græcis navibus scilicet humilioribus, & ad cedendum aptis, nihil damni adferebat: barbaricas autem, quarum & puppes erant altæ, & tabulata sublimia, ipsæque magnæ molis, idem ventus & fluctus incumbentes impediebant, obliquasque Græcis objiciebant. Hi verò celeriter hostiles naves adoriebantur. Themistoclem (quem potissimum intelligere, quid facto usus esset, cogitabant) sequentes: eoque id magis, quod hunc Ariamenes classis regiæ præfectus, vir strenuus, & inter fratres regis longè præstantissimus justissimusque impetebat, de ingenti navi tanquam à muro sagittas jaculaque torquens. Hunc Ariamenem Aminias Deceleus, & Sosicles Pedieus, qui erant in eadem triremi, cum prora hujus cum prora ipsius concurrissent, rostrisque eæ ætatis cohæsissent, in ipsorum triremem transire conatum, hastis excepere, & in mare dejecere: corpusque ejus inter alia navium fruſtra salo jactatum Artemisia cognovit, & ad Xerxem attulit. Dum hoc modo certaretur, clarum lumen ab Eleusine effulsisse tradunt: campum etiam Thrasium clamore & sonitu fuisse repletum, usque ad mare, perinde ac si multi simul homines orgia celebrarent: & à multitudine vociferantium nubem paulatim à terra sursum ferri, deinde reverti & triremibus incumbere visum. Alii spectra se imaginati sunt videre, & simulacra armatorum virorum, qui ab Ægina manus Græcorum

*Pugna Salaminæ.*

XXVII XXV III

triremi-

triremibus prætenderent: quos Aeacidas esse conjectati sunt votis ad auxilium ferendum ante pugnam vocatos. Primos omnium Lycomedes Atheniensis triremis præfectus, navem cepit: cujus insignia amputata, Apollini laurigero suspendit. Reliqui barbaris pari multitudine occurrerunt, & in angustiis singulatim obviam factos, mutuoque sese impedientes adorti, resistentes, usque ad vesperam, tandem pulerunt, pulchramque illam & celebrem (ut Simonides ait) victoriam obtinuerunt: qua nulla alia præclarior res neque à Græcis, neque à barbaris mari gesta est. Ea victoria parta est com-
XXIX muni quidem omnium Græcorum, qui depugnavere, fortitudine, consilio tamen & solertia unius Themistocles. Secundùm hanc navalem pugnam, Xerxes incommodi accepti ira ad bellum redintegrandum instigatus, conatus est facto aggere, obturatoque medio freto, copias terrestres Salamiaam contra Græcos traducere. Tum Themistocles, ut animum Aristidis exploraret, simulavit se statuisse in Hellespontum navigare, & pontem ibi factum à Xerxe demoliri, itaque Asiam in Europa capere. Id improbatum graviter Aristidi, dicenti, nunc quidem pugnatum esse cum rege luxu soluto: quem si " incluserimus (inquit) in Græciam, ac virum tantas sub se copias ha- " bentem in metum & necessitatem extremam compulerimus, non is " præterea ociosus subter aureo umbraculo pugnam spectabit: sed pe- " riculo motus omnia tentabit, omnibusque rebus adierit, ut ea quæ " neglexit resarciat: & de tota re meliora consilia inibit. Quapropter " non is, qui nunc est pons, dejiciendus nobis ô Themistocles, sed (si " fieri possit) alio insuper constructo, barbaris quàm primum Europa " nobis expellendus est. Si hæc, respondit Themistocles, ita profutura videntur; agedum rationem omnes ineamus, idque machinemur, "
XXX ut confestim Græcia is excedat. Probata hac sententia, Arnacem unum ex eunuchis regis inter captivos repertum, ad Xerxem mittit, eumq; regi judicare jubet: Statuisse Græcos navali prœlio victores, in Hellespontum navigare, & pontem destruere: Themistoclem autem, cui regis res magnæ sint curæ, suadere, ut properè suum mare repetat, trajiciatque in Asiam, dum ipse moram socius injiciendo, à persequendo eos detineat. His auditis barbarus in summum adductus metum, celeriter discessit. Quàm prudenter hoc Themistocles & Aristides egerint, pugna Plataica contra Mardonium evidens factum est: ibi enim de summa rerum periclitatum fuit, cùm tamen adversus exiguam copiarum Xerxis partem dimicaretur. Virtutis palmam eo prœlio inter civitates Aeginetas meruisse, Herodotus auctor est: Themistocli autem, quanquam id invidiæ causa inviti nonnulli facerent, omnes primam rei bene gestæ gloriam attribuerunt. Nam cùm digressi ad Isthmum suffragia de ea re ad aram, jurati ferrent duces, unusquisq; eorum se ipsum, virtute proximum si- *Themistoclis gloria.*
bi Themistoclem fuisse pronunciavit. Lacedæmonii verò Spartam eum abduxêre, ibiq; Eurybiadi fortitudinis, ipsi sapientiæ præmium dederunt, coronam olivæ frondibus contextam, currumq; publico-

*Aristidis consilium de Xerxe fugando.*

rum omnium præstantissimum ei dono dederunt. juvenesq; trecentos miserunt, qui eum usque ad fines regionis deducerent. Proximis ab eo Olympicis ludis, cùm ipse in stadium venisset, ferunt omnes qui tum aderant, decertantium nulla ratione habita, in ipso spectando hospitibusq; demonstrando & applaudendo totam diem consumpsisse, adeo ut ipse quoque delectatus ea re, amicis confessus sit, se fructum laborum suorum, quos pro Græcia pertulisset, percepisse. Erat enim natura honoris cupidissimus, quod conjicere est ex iis, quæ de ipso feruntur. Nam cùm esset rei navali à civitate præfectus, nihil neque de privatis, neque ad rempublicã pertinentibus negociis cuiquam respondit, sed omnia in eum diem rejecit, quo erat abnavigaturus: ut multa simul negotia expediens, omnisq; generis hominibus colloquens, magnificus esse & plurimum posse judicaretur. Cumque inspiceret cadavera apud mare fluctu in littus ejecta, conspicatus quibusdam aurea monilia & torques adesse, ipse præteriens, amico comitanti ea ostendit, dixitque: Tu tibi ea accipe: non enim Themistocles. Antiphati cuidam, qui formosus, ante durum & insolentem se ipsi exhibuerat, tunc autem gloria hominis adductus colebat: Heus, inquit, adolescens, serò quidem, sed tamen simul uterque sapuimus. Dicebat, se ab Athenienſibus neque honore affici, neque admirationi ipsis esse: sed eos periculis ingruentibus ad ipsum confugere, quemadmodum sub platanum solent homines tempestate orta, quam facta serenitate carpant, atque vellicent. Seriphio quodam ei objiciente: Non ipsum sua, sed civitatis gloria illustrem: Vera, inquit, dicis. sed neque ego, si Seriphius fuissem, unquã clavus evasissem, neque tu, si Athenienſis. Cùm quidam dux beli alius eo, quod rem civitati utilem confecisse videretur, Themistocli se audacter opponeret, ac suas res cum ipsius actionibus compararet: Olim, inquit Themistocles, is dies qui festum excipit, cum festo contendit, eum diem occupationum & molestiarum plenum autumans, se autem orto, omnes per ocium iis quæ prius essent parata, perfrui bonis. ad hæc festus dies respondit: Est quidem ita, ut dicis: veruntamen nunquam tu exstitisses, nisi ego præcessissem. Ego quoque, inquit Themistocles, nisi quondam fuissem, ubi vos nunc essetis? locans in filium, insolentius matre atque exinde se quoq; patre utentem, plurimum eum inter omnes Græcos potentiæ habere inquit: reliquis enim Athenienses Græcis imperare: Athenienſibus se, sibi uxorem; huic filium. Omnino autem omnibus in rebus aliquid peculiare affectabat. Ideo prædium vendens, præconem jussit indicare, bonũ esse ejus vicinum. De procis filiæ suæ probum diviti prætulit: Malle se, inquiens, virum pecunia egentem, quàm pecuniam viro. Hujusmodi fuere dicta Themistoclis. Cæterùm iis, quas dixi, rebus confectis, statim urbem instaurare, atque muro cingere aggressus est, ephoris pecunia corruptis, ne id impugnarent instituta: ut quidem Theopompus auctor est: nam plerique eos dolo ab ipso circumventos tradunt. Venisse enim ipsum Lacedæmonem legatio-

*Quomodo urbem deceptis Spartanis munierit.*

gationis specie prætexta: ibi cum Spartani urbis munitionem ei objicerent, missusque consultò ab Aegina urbis præfectus eum accusaret: inficias ivit, mittique jussit Athenas, qui rem præsentem inspicerent: ita simul hac interjecta mora, tempus muro faciendo prorogans, & hoc agens, ut hi Athenienſibus pro ſe obſidum loco eſſent. Neq; eum conſilium fefellit. Veritate enim rei cognita Lacedæmonii, nulla affectum injuria, dimiſerunt, obſcurè modò indignantes.

XXX Secundum hęc Peiræeum ædificavit, portuum opportunitatem conſpicatus, totamq; urbem ad mare accommodans, ac quodammodo

IV contra inſtitutum priſcorum Athenienſium regum contendens. Hi enim ut à mari cives retraherent, & ad victum omiſſa navigatione paratum agriculturæ adſuefacerent, feruntur fabulam de Minerva ſparſiſſe: quod in contentione de ſolo terræ ea contra Neptunum judicibus olea demonſtrata vicerit. Themiſtocles autem non, ut Ariſtophanes Comicus perhibuit, Peiræeum urbi addidit. ſed totam urbem ad Peiræum, terramque mari adaptavit. Ea res populo vires contra optimates, audaciamque addidit, potentia ad nautas, remigum magiſtros rectoreſque navium translata. Itaque tribunal, quod in Pnyce poſitum mare ſpectabat, inferiori tempeſtate triginta tyranni ad terram obverterunt: rati maritimo imperio ſummam rerum ad populum deferri, paucorum vero principatum agricolis

XXXV minus eſſe moleſtum. Sed Themiſtocles de potentia in mari obtinenda etiam majus adhuc aliud excogitavit conſilium. Cùm enim à diſceſſu Xerxis, Græcorum claſſis Pagaſas ſubducta eſſet in hyberna; in concione ad Athenienſes dixit, habere ſe conſilium utile quidem & ſalutare ipſis, ſed id ſciri vulgo, opus non eſſe: juſſuſque ab ipſis, ut cum Ariſtide id communicaret, ac ſiquidem is approbaſſet, exſequeretur rem: indicavit ei, ſe induxiſſe in animum incendere navale Græcorum. Ariſtides ad populum progreſſus, conſilio Themiſtoclis non eſſe neque utilius aliud ullum, neque injuſtius dixit:

XXX quo ſermone moti Athenienſes, deponere id Themiſtoclem juſſerunt. In concilio Amphictyonum, cum Lacedæmonii retuliſſent

VI de excludendis eo conſeſſu urbibus, quæ in belli contra Medos ſocietate non fuiſſent; veritus Themiſtocles, ne Theſſalis, Argivis, Thebaniſque eo ſenatu ejectis, deinde omnino ſuffragiis Spartani prævalerent, eorumq; voluntati eſſet ſtandum: patrocinatus eſt iſtis civitatibus, ſententiamq; Amphyctiones ut mutarent, effecit: cùm oſtendiſſet, triginta tantum & unam civitatem belli participes fuiſſe, earumq; pleraſq; admodum exiguas: fore itaq; rem indignam, ſi omni Græcia à fœdere cõmuni excluſa, duæ modo aut tres maximæ civitates concilium hoc ſua in poteſtate haberent. Hoc præſertim facto Lacedæmonios offendit; ideoq; Cimon ab iis ad honores evectus eſt, & adverſarius in republica ei conſtitutus. Confœderatis etiam gravis erat, circum inſulas navigans, pecuniaſque exigens: quod intelligi ex his poteſt, quæ eum in poſcendo ab Andriis argento dixiſſe, & audiviſſe Herodotus ſcribit. Dicenti enim ſe duos ſecum

deos adducere, Suadelam & Vim; respondisse, apud se quoque esse duo magna numina, à quibus pecuniam dare prohibeantur, Paupertatem & Inopiam. Timocreon etiam Rhodius lyricus poeta, quodam in carmine acerbius in Themistoclem invehitur: quod is, cùm accepta pecunia aliis exsulibus reditum in patriam confecerit, ipsum hospitem suum amicumque propter pecuniam projecerit. Versuum ipsius hic est sensus:

*Timocreontis in Themistoclem carmina.*

XXX VII

*Seu te celebrem Pausaniam juvat*
*Cantare, seu nunc Leutychidam tibi*
*Acremve Xanthippum decoris*
*Tollere laudibus est voluntas:*
*Profectum Athenis me juvat à sacris*
*Virorum Aristidem canere optimum,*
*Præconiis summisque dignum*
*Carmine concelebrare nomen.*
*Odit malum Latona Themistoclem*
*Mendaciis notum Dea turpibus,*
*Injuriis famosum iniquis,*
*Labesque proditionis atra.*
*Timocreontem qui improbum hospitem*
*Corruptus argento haud voluit levi*
*Reducere Ialissium, avitos*
*Ad patriæque lares suavis.*
*Argenti at idem cùm tria munera*
*Cepit talenta, in perniciem ruens,*
*Multis perinjuste favendo*
*Exsulibus reditum paravit:*
*Multos cogit cedere patria:*
*Vitaque multos protinus exuit:*
*Pecunia ingentes acervos*
*Hac ratione sibique adeptus:*
*Carnes in Isthmo post epulum exhibens*
*Commune cunctis, ponere frigidas*
*Est ausus: omnes imprecati*
*Numina sunt inimica edentes.*

XXX VII

Idem multo lasciviore ac solutiore usus est in Themistoclem linguæ petulantia, cum is damnatus in exilium abiisset: composito carmine ejus rei gratia, cujus initium:

*Huc age carmini mihi Musa gloriam*
*(Num peto justa & æqua) apud Græcos para.*

Ferunt autem, Timocreontem ob suspicionem inclinantis ad Medos voluntatis extorrem actum, sententia etiam Themistoclis damnatum. Itaque in Themistoclem, ut is ejusdem criminis insimulatus est, hæc ille scripsit:

*Ergo Timocreon non jam (velut ante ferebant)*
*Cum Medis solus jungit amicitiam:*

Non

*Non mihi jam soli mutilanda est causa misellæ:*
*Debetur pœna & vulpibus hæc aliis.*

Iam invidia correpti cives, etiam libenter calumnias contra ipsum admittebant: cogebatur itaque crebra suarum actionum apud populum commemoratione molestus vulgo esse: indigneque ferentibus: Quid, ajebat, indignè fertis eos, quorum sæpe beneficia estis experti? Animos plebis contra se irritaverat etiam Dianæ templo extructo, quam *Aristobulen* cognominaverat, quod ipse optimè patriæ & Græcis consuluisset: id autem templum Melita posuerat prope suam domum, quo loco nostro tempore cadavera supplicio affectorum carnifices projiciunt, vestesque & laqueos, quibus eos exanimaverunt, eo efferunt. Fuit & imaguncula Themistoclis in eo templo dedicata, mansitque usque ad nostram ætatem: ex qua apparet, eum virum non animo tãtum heroico fuisse sed & vultu eum indicasse. Quapropter exostracismo facto, dignitatem ejus & excellentiam Athenienses diminuerunt: quemadmodum solebant agere cum omnibus iis, quos potentia nimia graves, & ad æqualitatem popularem non satis compositos esse judicabant. Neque enim supplicii genus fuit exostracismus, sed invidiæ adversariorum quodammodò satisfaciebat, eamque mitigabat, cùm excellentes deprimendo voluptas æmulis adferretur, odiumque per hanc ignominiam illatam quasi exhalaret. Themistocle urbe ejecto, & Argis commorante, Pausaniæ casus inimicis ipsum calumniandi occasionem præbuit: accusatusque est proditionis à Leobote Alcmæonis filio, Agraulææ tribus, adstipulantibus huic Spartanis. Etenim Pausanias cùm proditionem omnino istam moliretur, initio clam Themistocle, quantumvis amico, id consilium habuerat: cùm autem eum civitate excidisse, idq; graviter ferre videret, ausus fuerat eum ad societatem sui instituti meundam adhortari, litteris eum regis ostensis, instigans contra Græcos, improbam & ingratam gentem. At Themistocles & totam Pausaniæ petitionem repudiavit, & omne commercium ei denegavit: rem tamen ipsam neque apud quenquam evulgavit, neque judicium ejus detulit: sive destiturum eum incœpto ratus, sive alioquin deprehensum iri, ut qui res abundas & periculosas nulla cum ratione tentaret. Cæterùm Pausania propterea capitali supplicio affecto, repertæ quædam epistolæ litteræque ea de re, in suspicionem adduxerunt Themistoclem: & cùm Lacedæmoniorum clamoribus impetitus, tum absens ab invidis civibus accusatus est. Ipse primas calumnias fere litteris amoliri conatus scripserat ad suos cives: Se, qui imperare quidem cuperet, ad parendum autem neque natura esset, neque voluntate proclivis, nunquam profectò seiptum ac Græciam barbaro in servitutem fuisse traditurum. Nihilominus accusatores persuaserunt populo, ut viros mitteret, qui eum comprehenderent, & in judicium ad Græcos attraherẽt. Quod ipse præsentiens, Corcyram trajecit, quam tuo jam ante beneficio obstrictam sibi habebat. Iudex enim controversiæ eo-

*Exilium Themistoclis.*

*Pausaniæ proditio.*

rum contra Corinthios sumptus, ita eam dijudicaverat, ut Corinthios pendere Corcyrensibus viginti talenta, fructusque à Leucade, quæ utrorumque erat colonia, communes ambabus civitatibus esse jusserit. Inde in Epirum fugit: persequentibusq; Athenien sibus & Lacedæmoniis, ad Molossorum regem Admetum confugit. Quo quidem tempore in grave se & anceps discrimen dedit. Admetus enim quondam ab Athenien sibus quandam rem petens, Themistoclis tum in republica florentis opera contumelio sam repulsam passus fuerat: ideoque semper ei iratus rex, haud dubiè videbatur acceptam injuriam vindicaturus, siquidem eum comprehēdisset. Verùm in hac sua fuga Themistocles suorum recentem invidiam magis metuens, quàm regis antiquam iram, statuit supplicare Admeto, nova quidem & inusitata ratione: filium enim regis puerum amplexus, ad focum ejus se projecit: quem Molossi efficacissimum supplicandi modum existimant, & ferè solum repulsæ securum. Quidam ita edoctum Themistoclem à Phthia uxori Admeti ferunt, quæ filium suum ei ad focum apposuerit: alii ita instructum ab Admeto, qui supplicationem ita gravem fieri voluerit, ut, cur non dederet hominem persequentibus, necessitatem in excusando adducere posset. Eodem Themistoclidi Epicrates Acharnensis uxorem & liberos ejus misit, quos furtim Athenis abduxerat: ejusque facti causa post à Cimone in judicium pertractum hunc & morte affectum, Stesimbrotus scribit. Idem, nescio quo pacto, horum oblitus, aut oblitum fuisse Themistoclem judicans, postea scribit, eum inde in Siciliam navigasse, pollicitumq; Hieroni tyranno, si filiam suam matrimonio sibi jungeret, velle se ei Græcos subjugare: recusanteque Hierone, in Asiam abiisse. Hæc ita acta fuisse, non est verisimile. Nam Theophrastus in opere de regno scribit, missos ab Hierone ad ludos Olympicos fuisse equos qui certarent, tabernaculumque precio sum exstructum: ibi Themistoclem Græcis oratione habita ostendisse, tabernaculum id tyranni dejiciendum, equosque certamine prohibendos esse. Thucydides narrat, eum ad alterum mare profectum, à Pydna solvisse: ac tandiu quis esset, omnes, qui una in navi essent, celasse, dum navigium, vi venti ad Naxum insulam (quæ tum ab Athenien sibus oppugnabatur) detruderetur; ibi demum timore adductum se nauclero ac gubernatori patefecisse: partimque orando partim minando se coram Athenien sibus falsis criminibus periculum ipsis creaturum, quasi non ignotum initio, sed muneribus corrupti in navim accepissent, eo compulisse, ut prætervefecti Naxum, Asiam peterent. Magna vis pecuniæ furtim ex bonis ejus ab amicis est erepta, eamque is secum in Asiam abduxit. Cæterum istius, quæ inventa post ejus abitum, & in ærarium redacta est, summam Theopompus indicat centum talenta, Theophrastus octoginta: cùm quidem antequam Rempub. attigisset, bona ejus ne trium quidem talentorum precio æstimata fuissent. Cùm Cumam appulisset, ac multos animadverteret eorum, quibus res maritima erat commendata, sibi capien-

*Opes Themistoclis.*

*In Asia fugus Themistocles.*

XLII

XLIII

XLIV

capiendo intētos, præsertim verò Ergotelem ac Pythodorum (quippe cùm rex ducenta talenta precium ei edixisset, qui eum ad se adduceret: iis qui lucrum quacunque ex re expetunt, admodum commodum videbatur hominem investigare) Ægas quod est Aeolię oppidulum, confugit, omnibus ignotus, præterquam Nicogeni hospiti suo viro Aeolum ditissimo, & cui cum superioris Asiæ proceribus notitia intercederet. Apud hunc aliquot dies delituit: quibus exactis, secundum cœnam Olbius, filiorum Nicogenis pædagogus, sacris quibusdam peractis furore divinitus concitus, hunc versum contenta voce protulit:

*Nocti vocem, eidem consilia, victoriamq; adscribe,*

Post hoc vaticinium Themistocles, cùm se quieti dedisset, vidit in somnis draconem ventrem suum circumplicare, sursumque ad collum serpere, & ubi faciem ipsius attigisset, in aquilam mutari, alisque circundatis ipsum sublimem auferre; tum aureum caduceum apparere, seque supra eo firmiter constitui, ingenti terrore ac per-
XLV turbatione liberatum. Proinde Nicogenes, ut eum ad regem tutò mitteret, hujusmodi dolum comminiscitur. Cùm plerique barbari, tum verò præcipuè Persæ graviter eo à natura insito vitio laborant, quod de mulierum pudicitia in sinistras ac gravissimas suspiciones facile prolabuntur. itaque non modò conjuges suas, sed & empticias concubinas, & pellices accurata observant custodia, ita ut à nemine alio conspiciantur, sed domi inclusæ vitam exigant: in itinere autem faciendo eædem sub tētoriis circumcirca obseptis supra curribus vehuntur. Hujusmodi rheda confecta Themistocli, in eaq; vectus est: comites autem interrogati ab obviis, quid veherent, responderunt, Græcam se mulierculam ex Ionia cuidam regis cubiculario adducere. Thucydides & Charon Lampascenus narrant, Xerxe jam ante defuncto, ad filium ejus venisse Themistoclem: Ephorus, Deino, Cleitarchus, Heraclides, aliiq; complures ad ipsum Xerxem delatum scribunt. Videtur autem Thucydides annales potissimum se-
XLVI cutus, quanquam & hi ipsi non satis commodè sunt editi. Themistocles cùm jam in præsens discrimen venisset, primò omnium convenit Artabanum militum præfectum, eiq; exponit, Gręcum se esse, cupere autem cū rege de maximis rebus, & in quibus ille plurimum studii poneret, colloqui. Cui Artabanus: Leges (inquit) ô hospes, aliæ sūt apud alios homines, diversaq; apud diversos honesta judicātur: omnibus tamen ex æquo pulchrū videtur, suas ornare & conservare leges. Vos audio præ omnibus aliis rebus libertatem æqualitatemq; admirari. apud nos autem cùm multæ sint, ac pulchræ leges, ea omnium præstātissima est, quæ honorare regem, adorareq; eum, tanquā Dei omnia conservātis effigiem, jubet. Quare si nostros mores probas, & genua flectere corā rege vis, vidēdi tibi compellandiq; ejus facultas erit. sin aliter sentis, internunciis ad eum utendum tibi
XLVII est. Regi enim leges patriæ non permittunt, ut homini qui ipsi non supplicaverit, aures accōmodet. Ad hæc Themistocles: Ego verò,

Artabane, regis vestri gloriam atque potentiam augendi causa veni: itaque & ipse parebo vestris legibus. quando ita visum Deo qui Persas extollit: & propter me plures, quam nunc sint, erunt qui regem adorent quare nihil obstat, quo minus cum rege colloquar. Quod autem, inquit Artabanus, nomen tibi esse regi indicabo? animo enim, quàm privatus homo, altiori mihi videris esse. Tum Themistocles: Nomen, Artabane, meum nemo quisquam rege prior audiet. Hæc narratio est Phaniæ Eratosthenes in opere de Divitiis, narrationi id adjecit, fuisse Themistocli aditum ad Artabanum, gratiamque paratam ab hujus muliere quæ natione fuerit Eretrica. Vt ad regem introductus est, eoque adorato tacitus constitit, interpres jussu regis eum, quis esset interrogavit. Themistocles in hæc verba respondit. Venio ad te ô rex, Themistocles ego ille Athenienſis XL in exsilium pulsus à Græcis: Multa quidem mihi mala accepta habent ferenda Persæ: plura tamen iis bona, quod rebus Græciæ jam extra periculum constitutis, occasionem salva patria vobis gratificandi nō neglexi, sed meos à persequendis vobis prohibui. Ego quidem ita me planè composui, ut conveniens est fortunæ meæ: paratus enim adtum & ad beneficia à te accipienda, si benignè reconciliatus mihi jā ante sis: & si adhuc iraſcaris ob accepta damna, ad deprecandum. Tu autem cùm ipsos meos inimicos meorum in vos meritorum testes habeas, utere fortuna mea potius ad virtutis tui testificationem, quàm ad iræ expletionem. illud enim si feceris, supplicem tuum servabis: sin hoc, Græcorum hostem perdes. Ad hæc verba, quo divinitatis etiam aliquo testimonio auctoritatem iis pararet, insomnii in Nicogenis domo visi ad narrationem adjecit; recitavitque oraculum à Iove Dodonæo sibi datum, nimirum se jussum ad cognomine Deo ei proficiſci, intellexisse ad regem se mitti: nam huic cum Iove, magni regis nomen esse commune. Hæc cùm XLIX audivisset Persa, etsi admiratus animi magnitudinem in eo viro, audaciamque, nihil tamen respondit: seipsum verò apud amicos cùm beatum prædicasset, tanquam maximo sibi fortunæ beneficio oblato, comprecatus Arimanium, ut semper eum hostibus animum daret, quo optimos suorum ejicerent, fertur sacrificasse Diis, & inde statim ad pocula se contulisse: noctuque in medio somno præ lætitia ter exclamasse: Habeo Themistoclem Athenienſem. Prima luce convocatis amicis, Themistoclem ad eos introduxit, nihil quidem boni sperantem, quod videret aulicos nomine sui præsentis audito indignari, & maledicere. præterea Roxanes tribunus militum, cùm apud se transiret Themistocles, sedente rege aliisque silentibus, tacitè cum gemitu dixerat: Græcè serpens varie, te genius regis huc adduxit. Sed eum rex, cùm in conspectum sibi venisset, iterumque in genua procubuisset, comiter salutavit: dixitque, eum jam quidem sibi ipsi ducenta talenta meruisse: cùm enim ipse venerit, par esse ut id præmium, quod fuisset ei qui adduceret promissum, accipiat. multa autem, præterea alia se daturum promisit, bonoque animo

esse

L esse jussit, libereq; de rebus Græcis, quæ vellet, dicere. Ad ea Themistocles respondit, Hominis sermonem similem esse aulæorum. Quemádmodum enim ea si explicentur, figuras ostendant intextas: sin contrahantur & arctentur, easdem occultent ac corrumpant: perinde & orationi usu venire, petere itaque se dilationem dicendi. Quam cùm rex, ea comparatione delectatus, ipsi concessisset, annuum sibi spacium impetravit: eoque tempore cùm Persicam linguam perdidicisset, ipse deinde eum rege suis verbis collocutus est. Etsi autem ii, qui erant extra aulam, crederent, eum de rebus Græcis cum rege communicare: interim tamen, quia multa in aula, & de amicis regiis eo tempore nova statuebantur, invidia potentium laborare cœpit, suspicantium eum de ipsis quoque liberè quædam regi dicere ausum fuisse. Eam augebant honores longè quam aliis hospitibus ampliores ipsi à rege habiti. Nam & in venationibus aderat, & domi conversabatur, adeoq; matri etiam regis visus, familiarisq; factus erat: magicos etiam sermones jussu regis audiebat. Aliud argumentum eius apud regem potentiæ, hoc est. Demaratus Spartanus jussus à rege aliquid muneris petere, postularat ut liceret sibi imposito capiti diademate regio Sardes equo intrare: tum Mitropaustes regis consanguineus, manu Demarati apprehensa: Hæc quidem, inquit triara aliud caput, quod velet, habet nullum: neq; tu sanè accepto fulmine, ideo Iupiter eris. & cũ rex petitione hac ad iram cõcitatus, Demaratum à se repulisset, videreturq; nullomodo ei reconciliari posse; Themistocles precibus suis eũ homini placavit. Ferunt etiam posteriores reges, sub quibus maius rerum Persicarum cum Græcis factum est commercium, cùm aliquid à Græco homine peterent, in usu habuisse, ut ei per literas pollicerentur, majorem eum Themistocle apud se futurum. Ipsum Themistoclem memorant, cùm jam largiter posset, & à multis coleretur, splendido apposito quondã cœnę apparatu, ad pueros dixisse: *Equidem perieramus, ó pueri, nisi periissemus.* Pleriq; auctores tradũt, datas ei fuisse tres civitates, quarum è reditibus panem, vinum, & opsonia pararet. Magnesiam, Lampsacum, & Myũtem: duas addunt ad vestem & stragulam & amictum ei concessas Neanthes Cyzicenus, & Phanias, nimirum Percoten & Palæscepsia. Cùm rerum Græcarum causa ad mare descenderet Epixyes ei Persa, satrapa superioris Phrygiæ, insidiatus est, subornatis jampridem, Pisidis, qui eum interficerent, si Leonthocephalis (urbis est nomen, quasi caput leonis cicas, pernoctaret. At ei meridianti perhibent per somnum apparuisse matrem Deũm, ac dixisse: O Themistocles, cave tibi à capite leonum, ne in leonem incidas: ego autē pro hoc beneficio tuam Mnesiptolemã sibi famulã dari postulo. Themistocles perturbatus, factis Deæ votis, via communi relicta, aliaq; profectus, nocte jam facta tentorio posito quieti se dedit. Ibi cùm fortè unum ex jumentis, quæ tabernaculi tapetas portabant, in fluvium decidisset, famuli Themistoclis aulæa madefacta extendere, ac reficcarũt. Interim Pisidæ cum gladiis accurrerunt:

*Honores Themistocli ab rege habiti.*

cumque aulæa ad siccandum suspensa non satis recte viderent, putantes tentorii esse Themistoclis, atq; in eo seipsum dormientem reperturos, facto impetu ea revellere cœperunt, in eoque à custodibus Themistoclis deprehensi & capti sunt. Is hoc periculo evitato, visione Deæ admiratus, templum Dindymenes condidit Magnesiæ, eiq; filiam suam Mnesiptolemam sacerdotē constituit. Postquam LIII Sardes venit, degens in ocio templorū instrumenta, & donariorum multitudinem contemplatus est. Ibi in Magnæ matris fano conspexit virginem ex ære aquiferam, magnitudine bicubitalē, quam ipse quondam Athenas aquæ præfectus confectam ex ea pecunia, qua eos multavisset qui aquam subtraxissent, aliove derivassent, dedicaverat. Ea visa, sive ejus donarii captivitatem dolens, sive ut ostenderet Athenienſibus, quantum honoris & potentiæ apud regem sibi esset: Lydiæ præfectum compellavit, ab eoque flagitavit, ut ea statua Athenas remitteretur. Barbaro exasperato, seque regem de hac ejus petitione, certiorem per epistolam facturum minante, territus in gynæceum confugit, demeritisque argento dato pellicibus, iram præfecti delinivit: ipse in reliquis rebus eo cautior fuit, quod LIV jam etiam barbarorum metueret invidiam. Non enim per Asiam vagatus est, quod ait Theopompus: sed Magnesiæ habitans, maximorumq; donorum fructū percipiens, & non in minore honore, quàm Persarum præstantissimi quique, habitus, multum temporis securus ab omni metu transegit: rege ita superioris Asiæ negociis detento, ut non magnam Græcarum rerum curam gereret. Cujus animum postquam Ægyptiorum defectio, quam auxilio Athenienſium fecerant, triremesque Græcæ usque ad Cyprū & Ciliciam navigantes, Cimonque maris imperium obtinens, ad Græcos vicissim invadendos, ac adversus ipsum crescentiū prohibenda incrementa, converterunt: ibi tandem & exercitus contrahi, & duces hinc inde dimitti cœperunt: ac per nuncios Magnesiam ablegatos Themistocli rex mandavit, ut promissis satisfaceret. Quo allato nuncio LV Themistoclem neque ira adversus cives ad id bellum potuit accendere, neque tantus honor & potentia ad id capessendum impellere. Sed sibi id confici à se posse diffidens, præsertim tot tum præclaris ducibus rem Græcam administrantibus, & Cimoni supra modum prosperè rebus succedentibus: sive (quod verius puto) verecundia gloriæ rerū à se gestarū commotus, trophæorumq; suorum: rectissimè quidem statuit vitæ suæ convenientē finem imponere. Itaque cùm Deos sacrificiis veneratus esset, conductis in unū locum amicis suis, iisq; consalutatis, hausto (ut omnis fert fama) tauri sanguine, aut (ut alii perhibēt) præsenti veneno, mortē obiit Magnesiæ: cùm vixisset annos LXV. eorumq; majorem partem in administratione civitatis ac rei bellicæ exegisset. Memoriæ proditū est, regem audita morte, causaq; ejus, etiā addidisse aliquid ad viri ejus admirationē, amicosq; ejus & necessarios constanti & perpetua humanitate prosecutum esse. Reliquit Themistocles liberos ex Archippa, LVI

*Mors Themistoclis.*

*Liberi Themistoclis.*

Lysan-

Lysandri Alopecensis filia, Archeptolin, Polyeuctum, & Cleophantum: cujus tanquã equitis optimi, alioquin ad nullã rem utilis. Plato philosophus mentionẽ facit. De maximis natu ejus liberis: Neocles puer adhuc morsus ab equo periit: Dioclem Lysander avus adoptavit. Filias habuit complures: quarum Mnesiptolemam è posteriori uxore natã Archeptolis frater ejus, sed matre alia natus, uxorem duxit, Italiã Panthides Chius; Sybarim Nicomedes Atheniensis, Nicomacham Phrasicles fratris Themistoclis filius mortuo jam eo Magnesiam navi profectus, à fratribus ejus in matrimoniũ accepit, & minimã natu inter omnes patrui liberos Asiam educavit. Sepulcrum Themistoclis splendidum Magnesiæ in foro exstat. De reliquis ejus fides Andocidæ habenda non est, qui in oratione ad socios scribit Athenienses eas furto surreptas disjecisse: mentitur autem studio eos, qui penes paucos imperiũ esse volunt, adversum populum concitandi. Ne Phylarcho quidem credendũ, qui historiam in Tragœdiam mutans, tantũ non machinam aliquam attollit, producensque Neoclem quendam & Demopolin filios Themistoclis, movendorum affectuum causa ea fingit, quæ ficta esse quivis statim intelligat. Diodorus Periegetes in opere de monumentis scribit (ita tamen ut conjectari se magis, quàm certo scire non diffiteatur) juxta Portum Peiræei, à promontorio, quod est ponè Alcymum, porrigi quendam veluti cubitum, secundum quem si intro flectat quis cursum, quo loco mare objectu rupium tranquillum est, ibi justæ magnitudinis extare crepidinem, atque juxta saxum aræ formam habens, quod videatur Themistoclis esse bustum: censetque sibi etiam Platonem Comicum suffragari his versibus:

*Qua tumulus est apto editus tibi in loco:*
*Negotiatores salutabunt eum*
*Semper videbit adveh, & discedere*
*Eos videbit navium certamina.*

Posteritati Themistoclis ad nostram usque ætatem certi quidem honores Magnesiæ habiti perdurant: quos percepit etiam Themistocles Atheniensis familiaris amicusque noster cùm degeremus una apud Ammonium philosophum.

## IN THEMISTOCLEM ANNOTATA ab interprete.

*THemistoclem floruisse Olympiade* LXXV. *cùm apud Salaminam Persarum regem nobili illa naumachia vicit, notissimũ est cùm aliunde, tũ ex libri* XI. *Diodori Siculi initio. Et si eum sequi omnino volumus, incidit hoc in annũ* v. c. CCLXIIX. *Consules enim nominat Sp. Cassium, & Proculum Virginium. Secundũ alios incidit in annum* v. c. CCLXXIII. *& consules K. Fabium, Sp. Furium, cum quibus facit Gellius capite ultimo, libri* 17. *qui quarto post pugnam Salaminiam anno, trecentos istos Fabios ad Cremerã à Vejentibus cæsos affirmat. Sanè M. Tullius in Lælio & Bruto (quibus locis Themistoclẽ*

*cum Coriolano componit ) demonstrat, bellum Volscum Coriolani à Persico hoc Temistoclis non multum abfuisse: & hunc viginti post C. Marcij exsulium annis eandem fortunam expertum. quos locos lectori perspiciendos mando*

Cap. 1. Abrotanum Threissa. ) *Epigramma est, id quod Lapus non animadvertit. Priorem versum ex Athenaeo, apud quem libro decimotertio ex Amphicratis de viris illustribus commentario citatur hoc epigramma, ita legendum patet:*

ἀβρότονον θρῄσσα γυνὴ γένος ἀλλὰ, &c.

*Sanè Aemilius Probus vel quicunque libri ejus autor est, qui de excellentium Imperatorum vita scriptus ad Atticum circumfertur, patrem Themistoclis generosum, matrem Acarnanam facit.*

Ibid. Convenire consuevissent. ) συνετέλουν, *quod vocabulum videri potest fortassis innuere, eos sacrificandi causa eo convenisse. Nam & gymnasium fuit Cynosarges, & templum Herculis, & lucus ei circumjectus: ut etiam Livius lib. 31. testatur. Suidas quidem ibi exercitatos fuisse scribit, idq; etiam Plutarchus videtur sensisse.*

Cap. 4. In oratores, ubi inutiles. ) *Oratores & hic & alibi sæpe voco, quos Graeci* δημαγωγοὺς: *hoc est, eos qui in repub. versantur, & orationibus suis populum, suadendo, dissuadendove trahunt. Non fallit me, esse qui eo nomine etiam Erasmum Roterodamum reprehenderint, quod ita vertisset: qua de re alibi dicam. Neq; ego nunc me Gellij autoritate tueor, quæ non ubique valet: & fortassis ubi de Latinitate disputatur, nihil nisi propter alios Is lib. 3 c. 13.* δημαγωγὸν *oratorem in rep. transfert. Ipsum vocabulum quid significet, notum est. Est enim* δημαγωγεῖν. *si verbum de verbo reddas,* populum trahere *sive* ducere. *Id nulla re alia, quam dicendo, hoc est, oratione, magis fieri notũ est. Iam Cicero præclarè disputat, totam oratoriam civilis rationis partem, & quidem magnam esse. ut jam non in scholis aliquis desidens sophista, puerisq; præcepta artis dicendi tradens rhetor, aliquando oratoris nomine intelligi debeat: sed is qui gravibus de rebus, adeoque publicis disserat. Et enim oratores quoque dicuntur qui alias legati: hoc est, qui reipubl. nomine de pace, bello, alijsve gravibus rebus tractandis mittuntur: neque hoc apud Virgil. modo, aliosve poetas, sed apud summum oratorẽ Ciceronem: uti de Fabricio ad Pyrrhum misso: & secundo de Legibus de fecialibus, atque alibi. Tribuni quoque plebis* δημαγωγοὶ *Plutarcho & aliis crebro dicuntur, non alia de causa, quàm quod orationibus suis populum ducerent quo vellent: quarum exempla postulare nemo nisi ineruditus debet. Vt mirum videri, aut absurdum minimè debeat, si eos qui in repub. versantur, à præcipuo instrumento oratores dicamus (nam & Gellianum illud in repub. ubique addere, parum scitum erat: & alioquin ex circumstantiis facile intelligitur.) Quod qui reprehendunt: aut non legerunt, aut non intellexerunt illud apud Ciceronem Nævianum, ubi reipublicæ tam cito amissæ causas percunctanti, inter alia sic responsum fuit:*

δημαγωγοὶ Oratores.

Pro-

Proveniebant oratores novi, stulti, adolescentuli.

*Quid quod ῥήτωρ nonnunquam eo modo ponitur, ut δημαγωγὸς intelligatur, non in scholis declamitans aut docens, sed in foro & concione populo suadens aut dissuadens? Sic certè Plutarchus ipse cùm alibi, tum in Pericle: τῶν δὲ περὶ θουκυδίδην ῥωμητόρων καταβοώντων τοῦ περικλοῦς, &c. Sed satis hæc: sciolis tamen quibusdam occurrendum fuit, & monendi rudiores.*

Ibid. Stasilaum Tejum. ) *Cur Lapus* Stesileam Chiam *verterit, ipse viderit. Vel ex Aristida vita intellexisset maris hoc esse nomen. τίου est in Græco: lego τείου, vel τεῖου, est enim à* Teo *nobili Ionia in Asia urbe deductum gentile.* Anacreonta Tejum *qua syllabarum ratione dixerit Horatius, nemo nisi litterarum rudis ignorat.* τίος Tius, *Paphlagoniæ urbs,* Tianum *facit, ut* Cios Cianum: *Stephanus autor. & confirmant exempla quæ huc adferre non est opus. Idem infra Simonidi accidit, non* Cio Phrygiæ urbe, *sed* Ceo Insula, *æquali prope spacio à Sunio Atticæ & Eubœa distante, oriundo: hoc est* Ceo *vel* Cejo, *non* Ciano *Sanè in Aristida* στησίλεως *hîc ex eodem Aristione* κεῖος *appellatur, hoc est,* Ceus, *non* Tejus *Vtrum rectius hîc an ibi legatur, difficile est pronunciare. Cæterum Lapi errorem etiam ij, qui magni nominis Onomasticon ediderunt, secuti sunt: & de muliere acceperunt atque exposuerunt, quæ de mare Plutarchus (eum interim testem citans) scribit. Quid est, si hoc non est fumos vendere?*

Cap. 8. Quæ erant in Laurio. ) λαυριωτικὴν. *Sic etiam est in Nicia. Et Pausanias initio Atticorum Laurium locum maritimum Atticæ inter Sunium & Peiræeum vidit, ubi argentifodinæ Atheniensibus fuerint:* λαύριον. *Thycidides libro secundo,* λαύριον *in ora maritima montem indicat (* ἐν τῇ παράλῳ γῇ καλουμένῃ *) ubi argentariæ essent Atheniensibus secturæ. Suidas* λαύρειον *scripsit, quomodo & apud Herodotum legitur in hujus etiam rei narratione. lib. 7. Lapus totum omisit.*

Ibid. Nautas, ut ait Plato. ) *Locus est libri 4. de Legibus initio.*

Cap. 12. Cui Aphetæ nomen. ) *Intelligendas esse Magnesiæ Aphetas, qui locus est juxta Pagasas in sinu Pelasgico (de quibus Strabo lib. 9. & Stephanus) liquet vel ex descriptione Artemisii, quam mox addet Plutarchus: vel hîc ex mentione Sciathi, quæ est insula è regione Magnesiæ ac Pelasgici sinus. Quod annoto, cùm explicandi gratia, tum ne quis Suidæ loco quem apud Stephanum adduxi, deciperetur. Diodorus quoque Siculus diserte classem Xerxis ad* ἀφετὰς τῆς μαγνησίας *appulisse ait, cùm prius esset passa naufragium apud Sebiadæ Magnesiæ promontoriũ: quod idem est in Polymnia Herod.*

Ibid. Vt Herodotus. ) *Initio Vraniæ.*

Oraculum etiam. ) *Id de ligneo muro, & de divina Salamina oraculum, integrum est apud Herodotum in Polymnia.*

Cap. 17. Minervæ ægidem ) τὸν γοργόνειον, *intelligo* θυρεὸν, *aut tale aliquid: Lapus* apicem Gorgonis, *haud scio quam bene. Atque*

*ubi*

*ubi est* ἀποσκευαῖς, *quæ sunt* exercitus impedimenta, *idem* Thesauros, *nescio quos habet.*

Cap. 22. Qui instar teuthidum.) *Piscis est genus, quod ut Latinè dicatur non satis intelligo, insipidum & vilem fuisse, innuit hic locus, & testatur Schol. Aristophanis in Equitibus. Habuisse prominentem proboscidem, etiam hoc ex loco colligitur: & est ejus descriptio apud Athenæum haud procul à fine septimi.* Lolliginem *Iunius vertit. Viderint alij.*

Cap. 30. Suffragia ea de re ad aram jurati.) *Infra in Pericle mentio fit ejusdem consuetudinis. Mos Græcis fuit, præcipuè Atheniensibus, ut jurandi causa ad aram accederent: quod cùm alias, tum ex historia Xenocratis patet, quem jurare prohibuerunt Athenienses, cùm testimonium dixisset, & (ut mos Græcorum est) jurandi causa ad aras accederet. Cic. pro L. Corn Balbo, & Valerius Maximus in fine secundi.*

Cap. 32. Seriphio quodam.) *Herodotus in Vrania, Timodemum Aphidnæum nominat. Vt est apud Plutarchum, ita Plato etiam in capite libri 1. de Republ. Cic. in Catone, & alij.*

Cap. 33. Ab Aegina urbis præfectus.) πολίαρχος, Poliarchus: *si quidem sit proprium, dubitari enim potest: Interpretes quidem proprium retinuerunt. Paulo post* μορίαν *legendum, quæ vox* oleam *significat, non* μωρία, *Vide præter alios de hac voce Suidam.*

Cap. 34. Vt Aristophanes comicus.) *Locus est* Ἱππεῖσι *ibi* καὶ πρὸς τοῦτοις ἀριστώσῃ (τῇ πόλει) τὸν Πειραῖα προσέμαξεν. *Sicq; etiam hic legendum est, non* προσέμιξεν.

Seu te celebrem.) *Vsus hic sum mea libertate, & eo genere carminis verti versus Timocreontis, quo imitatione Alcæi Horatius multas scripsit odas, quarum primi initium,*

Vides ut alta, &c.

Leutychidas *autem pro* Leotychida *dicitur etiam apud Herodotum: intelligiturque rex Spartanorum, qui cum Xanthippo ad Mycalen barbaros vicit. Herodotus lib. 9. alij de* Alyso *vel* Ielisso (*utrunque scribitur*) *urbe Rhodi, diximus alibi. Alteri versus sunt trochaici catalectici senarij. Postremos elegis reddidi, omissos planè à Lapo. Quod si in his omnibus vertendis alicui non satisfeci, is sciat, me divinasse magis quam affirmasse: & æquus sit ipseq; (si quid habet) meliora afferat.*

Cap. 39. In Melita.) *Locus est Athenis, quem curia tribus Oecropidis: seu Oeneidis (hoc Stephanus habet, illud Suidas) habitabat. Mentio est supra in Solone de Salamina & Ajaci filiis. Meminit & Demosthenes in actione injuriarum adversus Cononem, & in Ranis Aristophanes:*

ὁ ἐκ μελίτης μαστιγίας.

*de Hercule ibi Scholiast. & Phocionis ædes in Melita fuisse, Plutarchus in vita ejus affirmat. Hoc dico, ne quis de Melita insula cogitet. Porro autem de exostracismo seu ostracismo, nihil attinet commentari*

*rari, cùm multis aliis locis, in Aristida præsertim & Cimone, copiosius rem exponat Plutarchus: originē ejus & morem eleganter Diodorus quoq; in hujus ipsius historiæ narratione explicat, neque ineptа sunt quæ ea de re in Miltiadis vita Aemilius Probus scribit. De Pausaniæ proditione perspicuè Diodorus lib 1. & prope finem libri primi Thucydides: obiter Iustinus in fine secundi, & noster in Aristida. Porro templum Dianæ Aristobules in Mytilena fuisse, etiam in libro de Herodoti malignitate noster docet, qui locus ex hoc est corrigendus, cùm βυλῆς ibi legatur pro Ἀριστοβούλης.*

Cap. 42. Ad focum ejus.) *ἑστίαν. Focorum Vestæ, & Larum, seu Penatum nota est religio. Nota & Ulyssis ad Aretam supplicatio & ad focum sessio Odyss. η. 153. Probus, eum se cum filia parvula regis in sacrarium quod summa colebatur caremonia conjecisse scribit.*

Cap. 45. Ad filium ejus.) *Artoxerxem, cui Longimanus fuit cognomen. Thucidides lib. 1. Probus, alii.*

Cap. 53. Virginem.) *κόρην. Proserpinam sic solent Græci appellare, atque haud scio an imaguncula ea Proserpinæ fuerit.*

Cap. 56. Plato Philosophus.) *Locus est in Menone.*

Cap. 57. Pone Alcimum.) *Videtur monumentum quodam Alcimi, fortè heroi, indicare. sed nihil habeo. neque enim is huc facit, cujus in Laconicis meminit Pausanias.*

## PLVTARCHI CAMILLVS, GVILIELMO XYlandro, Augustano interprete.

I CVM multa atque præclara de Furio Camillo memorentur, tum hoc præ reliquis mirum & peculiare ejus viri videtur, quod ne semel quidem consul fuit: cùm tamen magistratus gerens plerasque etiam summas res confecerit, quinquies dictaturam obiverit, triumphos quatuor duxerit, alter Romæ conditor scriptus fuerit. Verùm in causa fuit status reipublicæ ejus temporis. Populus enim cum senatu contendens, consules creari noluit, sed tribunos militum, penes quos summa rerum esset, constituit: qui etiamsi omnia pro consulari potestate agebant, tamen numeri causa is magistratus minus erat vulgo molestus. quippe quod sex, non duo tantum viri supremam potestatem obtinerent: id horum etiam, qui paucorum principatū graviter ferebant, animos quodāmodò placabat. Quo tempore Camillus cùm gloria rerū gestarum maxime vigeret, consul invito populo fieri noluit, quanquam II interim non semel comitia consularia essent habita. In reliquis autem magistratibus quos varios & multos gessit, eum se exhibuit, ut & potentiam cum omnibus communicaret, quanquā ipse solus rebus præesset: & gloriam ipse sibi cum nemine communē, etsi cum collegis imperans, haberet, quorū alterum eo effecit, quod moderatè ac citra invidiā præfuit: alterū prudentia consecutus est, propter quam primas cum tenuisse in consesso est. Cùm autē ea tempestate non-

*Tribuni consulari potestate.*

*Primum Camilli factum.*

te nondum illustris admodum familia Furiorum esset, ipse primus in magna illa contra Æquos Volscosque pugna nomen sibi paravit, sub dictatore Postumio Tuberto stipendia merens. Equo enim ante aciem provectus, vulnere in femur accepto nihil remisit: sed extracto vulneri jaculo, congressus cum hostium fortissimis, in fugam eos conjecit. Ab hoc facto & alijs honoribus ornatus, & censor creatus est, cùm is magistratus eo tempore in magna esset existimatione. III

*Censura ejus.*

Censuræ cujus egregium hoc opus commemoratur, quod cælibes & oratione, & mina multæ eo compulit, uti viduas (quæ tum propter bella erant multæ) matrimonio ducerent: necessarium verò, quod orbos parentum liberos pensionem, à qua prius fuerant immunes, solvere ærario jussit. Ad quod eum institutum adegerunt continentia bella, magnos sumptus requirentia: maximè autem Vejorum obsidio.

*Vejorum obsidio.*

Veij urbs fuit Etruriæ longè prima, cujus cives Vejentes dicuntur. Hi armorum & militum copia Romæ nihil concedebant: cùmque divitiis, vita delicata, luxuq; exsultarent, prioribus temporibus de gloria & potentia adversus Romanos multis ac præclaris certaminibus dimicaverunt: tum verò attriti magnis prœlijs contentione quidem pugnandi destiterant, arduis tamen ac validis muris, exitu auctis, urbeque armis, jaculis, omnisque generis apparatu repleta, obsidionem securo animo tolerabant. longam sanè, sed obsidentibus non minus operosam ac difficilem quam obsessis. Romani enim cùm consuevissent tantum per æstatem, quod est non longum adeo tempus, militiæ esse, & domi suæ hyemare: tunc primum coacti sunt jussu tribunorum militum castellis ædificatis castrisque munitis, in hostico hyemem cum æstate continuare. IV

Iamque annus septimus ejus belli erat in exitu: & male audiebant duces, tanquam segniter oppugnantes. ideoque ijs magistratu depositis, alij tribuni militum constituebantur. Fuit inter eos Camillus, cum magistratum iterum tunc gerens: neque eo tempore in obsidendis Veijs quicquam egit: bellum enim forte eo obtigit contra Falerienses & Capenates, qui Romanis, Vejenti obsidione occupatis crebrò in agrum Romanum incursiones fecerant, totoque Etrusco bello interturbârant. Hi multis suorum amissis intra muros à Camillo compulsi sunt. accidit deinde Albani lacus miraculum maximè flagrante bello, quod nulli eorum, quæ incredibilia auditu putantur, secundum animos hominum ignoratione causæ, & rationis de naturæ rerum scientia depromtæ, terruit. Appetebat jam autumnus finita æstate, quam neque pluviis, neque australibus ventis nimiam fuisse constabat. Qui autem sunt in Italia permulti lacus ac fontes, ij partim exaruerant protinus, partim ægrè aliquid humoris retinuerant flumina, ut semper secundum æstatem solent, cavis & demissis alveis fluebant. At lacus Albanus, qui montibus terrenis septus in se initium exitumque suum continet, nulla evidenti causa, sed nimirum divinitus auctus intumuit, ac montes attigit, ita quidem ut eorum cacumina adæquaret, nullo

*Tribunus militum Camillus.*

*Albani lacus miraculum.*

V

cum

cum æstu aut fluctu in sublime elatus. Id primò pastoribus mirum videri. Posteaquam verò abrupto óbice, qui isthmi instar à terra infra jacente lacum arcebat, ingens ob multitudinem & gravitatem sese fluctus dejecit, ac per agros & hortos ad mare proruit: non Romanis modò id terrori esse, sed ab omnibus Italiæ incolis pro maximo ostento haberi: plurimus verò de eo existere sermo in castris eorum, qui Vejos obsidebant, adeoque ad obsessos etiam fama de
VI ea re pervenire. Contraxerat fortè (ut solent in diuturnis obsidionibus multa cũ hostibus commercia & colloquia accidere) Romanus miles consuetudinem cum Vejente, homine antiquæ disciplinæ perito, & qui ob divinationis scientiam cæteris sapientia præstare crederetur. Hunc cùm videret Romanus, audito lacus incremento lætitia ingenti perfusum, obsidionem deridere: Non hæc modò, inquit, hoc tempore miracula evenisse, sed & alia his terribiliora Romanis signa oblata esse, ac velle se ea cum ipso communicare, si qua ratione, quandoquidem Respublica male habeat, privatim suis rebus consulere posset. Vejentem hunc sermonem libenter admittentem, ac spe audiendorum arcanorũ in colloquium venientem, miles Romanus paulatim dicendo ab urbe deductum, cùm procul jam à portis recessissent, arripuit (ut erat robustior) sublimem, pluribusq; ad hoc è castris concurrentibus, vi ca-
VII ptum tribunis militum tradidit. In hanc necessitatem constitutus ille animadvertensq; id quod esset in fatis, nulla posse ratione evitari, oracula de sua patria ante hac inaudita, protulit, non ante capi posse Vejos ostendens, quam lacu exundante Albano, hostes aquam ejus alio averterent, nec paterentur mari misceri. Hæc senatus cùm audivisset, ac consilii incertus esset, placuit Delphos sciscitatum sententiam Dei mittere. Legati fuère viri illustres, Licinius Cossus, Valerius Potitus, & Fabius Ambustus. Hi Delphos navigarunt, responsoque à Deo impetrato redierunt Romam. oraculum autem Romanis neglectum quorundam rituum in sacris Latinis à majoribus acceptorum objiciebat: jubebatque aquam Albano è lacu effusam, quantum ejus effici posset, rursus ad suum locum retorquere: sin id fieri nequiret, at fossis ac puteis in terram demissis, eo eam derivare, atque ita consumere. Proinde curanda sacra pontifices susceperunt: populus ad opus perficiendum profectus, aquam
VIII avertit. Senatus autem magistratibus sublatis, ad decimum belli annum dictatorem fecit Camillum. Is magistro equitum dicto Cornelio Scipione, initio magistratus voluit bello feliciter confecto ludos se magnos facturum, & templum Matris Matutæ dedicaturum. Hanc deam Græcis esse Leucotheam, maxime ex ritu sacrorum ejus conjicio. introducunt enim in fanum ancillam, eamque verberibus acceptam expellunt: sororum liberos pro suis in ulnas accipiunt: denique ea agunt, quæ Bachi nutricibus, & casui, in quem Ino propter pellicem venit, conveniant. Conceptis, sicut dixi, votis Camillus in Faliscos profectus, hos, & Capenates auxilio

*Camillus dictator Veios capit.*

eis venientes, magno prœlio superavit. Deinde Vejos aggressus, cùm videret eam urbem oppugnando difficulter capi posse, cuniculos agere instituit: solo circum urbem ad fodiendum commodo, & ad tantam altitudinem demitti opera sinente, ut hostium conspectum fallerent. Quapropter successu spei respondente, ipse foris urbem aggressus, hostem in muros elicuit: interim alii per cuniculos imprudentibus rei hostibus in arcem evaserunt, juxta templum Junonis, quod maximum ac religione summa cultum ea in urbe fuit. Memorant fortè eo ipso tempore ibi principem Etruscorum sacrificio interfuisse: aruspicemque inspectis extis magna voce pronunciasse, victoriam à Deo dari ei, qui sacra ista perficeret. Eam vocem Romanos in cuniculo latentes audivisse, ac confestim terra effossa cum clamore & strepitu armatos erupisse, hostibusque perterritis, ac fuga dilapsis, rapta exta ad Camillum attulisse. Verùm hanc quidem fabulam aliquis esse putet. Vrbe vi capta, Romanis immensas divitias diripientibus, Camillus ab arce quæ agerentur videns, primùm flevit: deinde cùm beatus ab adstantibus prædicaretur, manus ad Deos tetendit, itaque est precatus: Te Iupiter maxime, vosque dii bonorum malorumq; factorum inspectores testor, Romanos non injustè, sed injuriæ defendendæ causa, vindictam de hostibus, & urbe juris violatrice expetiisse. quod si tamen hæc quoque nostra felicitas aliquo incommodo sit compensanda, precor, ut hæc invidia pro civitate exercituque Romano quàm minimo meo damno placetur. Hæc locutus, cum (ut est moris Romani) se ac dextram circum ageret, concidit: omnibusque de casu perturbatis, ipse cùm se collegisset, voti se compotem factum dixit, minimoque casu summam fortunam compensatam. Diruta urbe, simulacrum Junonis transferre Romam, uti voverat, statuit: eamque ad rem conductis fabris, ipse sacra deæ fecit, precatusq; est, ut studium suum probaret, Romanisque propicia cum aliis ibi habitantibus diis esse vellet. Simulacrum verò Deæ ajunt velle se, atq; assentiri, respondisse. Livius narrat, Camillo Deam oranti quosdam ex adstantibus respondisse, velle Deam, & assentiri, ac libenter Romam sequi. Sed qui id miraculum ita (ut retuli) accidisse contendunt, magno argumento habent fortunam Vrbis: quæ à parvo & vili initio ad tantam gloriam, ac potentiam sine numinis præsentia sæpe, & cum miraculo sese ostendentis pervenire nullo modo potuerit. Porro autem adducunt alia quoque id genus prodigia, ut sudores simulacrorum sæpenumero effusos, gemitus exauditus, avertisse se & vultum terræ defixisse imagines: qualia & superiorum temporum homines multi memoriæ prodiderunt, & nos multa è nostræ ætatis hominibus audivimus mira commemoratu, ac quæ non sint temerè contemnenda à quoquam. Verùm in his rebus nimiam & credulitatem & incredulitatem periculosam efficit humana imbecillitas, cùm ea non intra certos terminos se continet, sed effertur vel ad superstitionem, inflatiusque de iis sentiendum,

XI

XII

XIII

X

*Votum victoris Camilli pium.*

*De miraculi disputatio.*

*Superstitio & contemptus caveri debent.*

vel

vel ad contemptum religionis. Optimum est cautionem adhibe-
XI re, ac NE QVID NIMIS. Porro Camillus sive rei gestæ magnitudine, quod urbem Romæ æmulam decimo obsidionis anno expugnavisset; sive ab iis, qui fortunas ipsius laudabant, ad insolentiam evectus, fastumque majorem, quàm qui in homine magistratum civilem ac legitimum gerente ferri posset: cùm alias superbum egit triumphum, tum currum albis quatuor equis junctis tractum conscendit ac eo per urbem invectus est. Nemo id dux neque ante, neque post Camillum fecit: quippe tale vehiculum sacrum censetur regi ac patri Deorum. Itaque ergo in calumniis
XII apud cives fuit, non adsuetos insolentiam suorum perferre. Alterum crimen ei exortum est, cùm legi latæ de dividendis civibus se opposuit. Rogationem enim tulerant tribuni plebis, de distribuendis in duas partes senatu populoque Romano: quarum altera Romæ maneret, altera cui id sorte obtigisset, Vejos transiret: quasi duabus magnis pulcrisque urbibus agrum & reliqua sua bona servantes; ditiores essent futuri. Ac populus quidem, multitudine jam & pecunia auctus, eam rogationem probabat, frequensque apud tribunal tumultuabatur, perferri legem eam poscens: senatus, reliquorumque civium optimus quisque, non divisionem, sed eversionem Romæ moliri tribunos rati, indigneque id ferentes, ad Camillum confugiebant. Isque contentione formidans, aliis
XIII prætextibus, occupationibusque populo injectis rem extraxit. Hæc cùm jam animos multitudinis à Camillo abalienassent, apertissimam ac maximam odiorum in ipsum causam, actio de prædæ decima parte consecranda populo præbuit: nactique sunt si non omnino justam, ac probabilem saltem occasionem. Voverat Camillus, cum iret ad oppugnandos Vejos, siquidem eam urbem cepisset, decimam prædæ partem Apollini. Capta urbe ac direpta (incertum civibusne molestiam exhibere veritus, an verò oblitus propter instantia negotia) voti religione eos obstrictos reliquerat. Post cùm dictatura abjisset, retulit ea de re ad senatum: ac vates etiam renunciavere, sacrificiis iram Deûm indicari, quæ expiari ac donis
XIV placari debeat. Cùm senatus decrevisset, ut quoniam præda semel divisa, denuo distribui non posset, at singuli tamen jurejurando adacti decimam ejus quod accepissent, in medium conferrent: multa molesta & violenta militibus acciderunt, quod homines paupertate & laboribus attriti cogebantur tantam eorum, quæ adepti in suos usus jam insumpserant, partem pendere. Camillus verò tumultibus eorum agitatus, excusationis melioris inopia confugit ad eam, quæ omnium erat absurdissima, oblitum se voti prætendens. At verò illi indignum dicere, si cives decimas suorum bonorum conferre cogerentur, cùm ipse hostium de facultatibus eas vovisset veruntamen facta à singulis collatione, uti debebatur, visum est auream crateram facere, eamq; Delphos mittere. Cæterùm auri erat in urbe penuria, ibi magistratibus deliberantibus, quaid ratione

*Triumphus Camilli.*

*Lex de dividendis civibus, & migratione Vejos.*

*Decima prædæ consecratur.*

*Matronarũ liberalitas.*

posset confici, mulieres habito seorsim consilio, mundum omnem suum aureum contulerunt ad donarium faciendum: fuitque auri pondus talenta octo. Quas senatus pretio persoluto remunerandas arbitratus, statuit ut defunctæ, perinde atque viri, in funere laudarentur: ante enim mulierem publicè laudari mortuam, receptum usu non fuit. Delecti ex optimatibus tres, qui donum Delphos ferrent, missique eò navi longa, classiariis optimis, & ornatu splendidissimo instructa. Hyems tum erat, & mare tranquillum. Sed tamen accidit, ut ii & in extremum periculum devenirent, & præter spem inde eriperentur. Nam apud Aeoli insulas, vento deficiente, Liparenses cum triremibus contra ipsos tanquam prædones maritimos impetum fecerunt: deprecantibusque Romanis, & manus protendentibus, navem quidem rostris impetere supersederunt, religatam tamen ad littus secum pertraxerunt, ibique & bona & corpora Romanorum, quos piratas judicabant esse, hastæ subjecerunt. Vnus Thimasitheus, qui tum summum apud Liparenses gerebat magistratum, virtute sua, potentiaque ægre obtinuit, ut eos missos facerent, ipseque privatim suis navibus deductis eos Delphos usque comitatus est, dedicationique crateræ interfuit: propterea ei honores meriti Romæ habiti. Cæterum tribunis plebis iterum de diducendis in duas urbes civibus legem referentibus, commodè bellum Falisco incidit: idque effecit, ut suo optimates arbitrio magistratus creare possent. Itaque Camillus cum quinque aliis tribunus militum creatus est, quod res viderentur ducem requirere, cui præter peritiam authoritas etiam & gloria adessent. Accepto populi suffragiis imperio Camillus, cum copiis in Falisco profectus est, ac Falerios obsedit, urbem munitissimam, ac omnibus modis ad bellicas res instructam. Quam etsi capi sine magno labore, multoque tempore spacio non posse intelligebat: tamen cives suos detinere in eo negotio, ne domi per otium desidentes orationibus turbulentorum hominum ad seditiones concitarentur. Hoc enim remedio apte usi sunt semper Romani, imitatione medicorum, qui ea, quæ tumultibus in corpore movendis faciunt, foras avertunt. Adeo nihil faciebant obsidionem oppidani, munitionibus undique circundatis fidentes, ut præter eos, qui muros custodiebant, reliqui omnes in urbe tunicati oberrarent: pueri autem eorum in literarium ludum commearent, & circum muros deambulandi exercendique corporis gratia à præceptore ducerentur. Nam exemplo Græcorum, communem puerorum magistrum habebant, ut ii statim ab initio unà quasi gregatim educarentur. Is igitur magister capta ex officio suo occasione civibus insidias struens, pueros quotidie extra portas urbis eduxit, principio non procul, inde reducens intro ad exercitationes, deinde paulatim ulterius cum ipsis progressus, eò adsuefecit, ut crederent omnia esse tuta: tandem cum universis ad excubias Romanorum accessit, seque & ipsos tradidit, duci-

*Egregium in proditorem Falerienſem Camilli factum.*

ducique ad Camillum jussit. Adductus, & in medio constitutus, puerorum se horum magistrum esse dixit, studium tamen gratificandi Camillo, officio suo antiquius habuisse, ideoque venire,
XVIII & Falerios per hos pueros ei in manum tradere. Indignum hoc visum facinus Camillo, conversusque ad eos qui aderant: Gravis est, inquit, res bellum, ut quæ multis injustis, multisque violentis factis conficiatur: & tamen apud bonos viros habentur etiam belli quædam leges: nèque tantopere victoria expetenda est, ut non fugienda sint officia, quæ per scelus ac malitiam offeruntur. Magnum enim Imperatorem suæ virtutis, non alienæ improbitatis fiducia, convenit bellum gerere. Hæc postquam dixit, lictoribus mandavit, ut proditori vestes deriperent: manusque in tergum revincirent: pueris autem virgas, flagellaque darent, quibus eum ferientes in urbem compellerent. Iam verò oppidanos, ut primùm proditos se a magistro puerorum senserunt, ingens, & quantum comitari tantæ calamitati par est, luctus occupaverat, virique illustres, & mulieres ad muros & portas temerè discurrebant; cùm pueri magistrum adducentes nudum vinctumque, & verberibus afficientes adfuere, Camillum servatorem suum, Deum-
XIX que & parentem invocantes. Itaque non parentibus modò puerorum sed & reliquis civibus hoc videntibus subiit admirati, atque desiderio prosequi justitiam Camilli: concurrentesque in concionem, legatis ad eum missis, deditionem fecerunt. Qui ut jussu Camilli Romam profecti coram senatu constituerunt, à Romanis victoriæ justitiam præferentibus edoctos se esse dixerunt esse, uti deditionem libertati anteponerent, confessi non tam viribus inferiores se, quàm virtute à Romanis victos esse. Cùm senatus eos ad Camillum remisisset, judiciumque ejus rei ipsi mandasset, accepta à Faleriis pecunia, paceq; cum tota Falisco rum civitate juncta, exercitum abduxit. Milites autem, qui prædæ sibi bona Faleriorũ cessura speraverant, postquam Romam vacuis manibus est reditum, Camillum apud reliquos cives traduxerunt, tanquam populo infensum, & qui pauperes rem facere malignè prohiberet. Vt verò tribuni plebis iterum de distribuendis in duas urbes civibus rogationem
XX proposuerunt, populumq; ad ferenda suffragia vocarunt: Camillus neque odiorum rationem habuit, neq; in liberè dicendo quicquam sibi reliquum fecit, aperteque tantùm sua contentione contra plebem valuit, ut legem istam, quantumvis inviti, antiquarent. Quo facto tantam in se populi iram ille concitavit, ut ne domestica quidem calamitas ipsius (filiorum enim alterum vis morbi tum ei abstulit) eam lenire potuerit. & sanè casum, ut erat homo ingenii mansueti ac benigni, haud mediocriter ipse tulit: vocatusq; in jus, domi cum mulieribus inclusus delituit. Postulatus est à Lucio Appulleio, quod Etruscam prædam peculatus esset: & feruntur apud eum visæ januæ æreæ quæ bello captæ fuerint. Populi verò animi contra ipsum erant exasperati, ac palam præ se ferebant, quacunque oblata

*Deditio Faliscorum.*

*Odia in Camillum renascuntur.*

occasione suffragia contra eum laturos. Ergo convocatis amicis, militiæque collegis ac socijs, quorum erat non exiguus numerus, oravit, ne ipsum injustè falsis criminibus circumvenirj, inimicisque ludibrio proponi paterentur. Qui ut inter se deliberare, non posse se ei, quo minus damnaretur prodesse, multam verò pro ipso solvere velle, respondерunt: indignitate rei victus, irato animo statuit in exilium proficisci; salutatis igitur uxore & filio, tacitus à domo sua ad portas urbis abiit: ibi constitit, conversusque retrò, sublatis versus Capitolium manibus, compre-

*Camillus subexecratus exsulatum abiit.*

catus est deos: Vt si injustè, libidine populi invidiaque circumscriptus patria excideret, celeriter Romanos pœnitentia ejus facti corriperet, omnibusque hominibus innotescеret, opus eos habere Camillo, eumque desiderare. Ita Camillus, imprecationibus XXI contra suos cives, Achillis exemplo, conceptis, patria abiit: damnatusque est absens quindecim millibus æris: quæ summa in argento efficit denarios mille ac quingentos. As enim tunc pro pecunia usurpabatur: & denarius inde nomen habet, quod decem ases æris valeret. Neque verò quisquam Romanorum est, qui non ita judicet, vota Camilli continuo rata Iustitiam fecisse, vindictamque injuriæ acceptæ eum expertum, non gratam quidem, sed ut molestam, ita illustrem tamen & memorabilem: ita statim ultio Romam divinitus corripuit, tantumque eo tempore cladium, periculorum, ac turpitudinis incidit: sive id fortuito casu evenit, sive quoddam numen est, quod virtutis malam gratiam expertæ curam gerat. In primum magni mali signum rapta est mos XXII

*Prodigia.*

censoris, qui appetente Iulio mense vitam clausit: maximè enim Romani venerantur, ac divinam putant censuram. Deinde Marcus Cedicius, homo non magni nominis, neque senatorii ordinis, probus tamen ac bonus vir habitus, antè quàm in exilium abiret Camillus, rem tribunis militum dignam cura renunciavit. Præterita nocte se transeuntem via Nova, vocatum ab aliquo: cùm se convertisset, vidisse neminem, vocem verò humana majorem audivisse: ita

*Galli in Italiam ut venerint.*

dicentem: Age Marce Cedici, indica magistratibus ut brevi Gallos expectent. Hæc audita tribuni risum jocumque putaverunt: paulo-que post Camillus patria excidit. Gallos tradunt Celtici generis XXIII fuisse: quibus cùm propter multitudinem hominum patriæ solum alendis non sufficeret, quæsitum novam habitationem profectos: fuisse autem permulta millia virorum, validæ ætatis, & bello utilis, plura adhuc eos millia liberorum & mulierum secum traxisse. Horum alios superato, qui est ad Septentrionem, Oceano, ad Reiphæos montes perveniisse, & in extremis Europæ finibus consedisse: alios inter Pyrenæos montes atq; Alpes, prope Senones & Celtorios diu sedes suas habuisse. Hos multo post tempore cùm vinū gustassent, tum primum ex Italia ad ipsos allatum, adeo omnes ejus potus miraculo, incognitaque prius voluptate ad furorē compulsos, ut sublatis armis, acceptisque secum parentibus, ad Alpes contenderint:

derint: terramque illam omnibus aliis prosterilibus & incultis ha-
XXIV bitis, quæ siverint, quæ eum fructum proferret. Id quoque tradi-
tum est, ab Arunte Etrusco primum ad eos allatum vinum, ab eo-
que præsertim ad invadendam Italiam concitatos eos esse, viro no-
bili, & ingenii neutiquam mali, eumque ad hoc factum hic casus,
ut ajunt, impulit. Tutelã gesserat Lucumonis pueri parentibus or-
bi, divitiis inter cives facilè primi, ac formæ præcipuæ. Hic ab Arun-
te educatus, cùm adolescentiã attigisset, ad domũ ejus ventitare non
omisit, simulans, tutoris sui consuetudine se delectari: interim uxo-
rem ejus corrumpebat, eumq; vicissim ipsa deperibat. Diu admo-
dum amor eorum clam fuit, donec eo usque adolevit, ut cùm jam
nèque deponere eum, neque occultare possent, Lucumo apertè co-
natus sit eam à viro abstractam secum habere. Aruns re ad judices
delata, amicorum numero, pecuniæq; largitione, & sumptibus à Lu-
cumone victus, patria excessit: cùmque de Gallorum rebus auditu
accepisset, ad eos se contulit, expeditionisq; in Italiam dux eis fuit.
XXV Galli, facta irruptione, statim omnem eam regionem occupaverunt,
quæ quondam Etruscorum fuit: quæ nimirum ab Alpibus ad utrum-
que mare pertinet. quam Etruscos obtinuisse, nomen etiam testa-
tur: mare enim quod ad Septentriones vergit, Adriaticum ab ur-
be Etrusca Adria dicitur: alterum quod est meridiei oppositum, a-
pertè Tyrrhenum (sunt autem Tyrrheni iidem qui Etrusci) appel-
latur. Omnis ea regio arborifera est, & pecori pascendo apta, fluviis-
que rigatur multis, fueruntque in ea urbes octodecim magnæ ac
pulchrè, ædificatæ ita, ut & ad pecuniam parandam commodè, & ad
vivendum splendidè haberent. quas omnes Galli Etruscis pulsis
obtinuerunt. Verum hæc quidem longe superioribus temporibus
XXVI acta sunt. Tunc autẽ urbem Etruriæ Clusium Galli oppugnabant:
cujus cives Romanorum fidem implorantes, legatos ab iis & literas
ad barbaros petierunt. Missi sunt tres de Fabiorum genere viri illu-
stres, magnisque in urbe honoribus præditi. eos barbari propter
nomen Romæ humaniter exceperunt: intermissaque oppugnatio-
ne, in colloquium venerunt. Ibi percunctantibus causam belli
Clusinis illati Romanis, Brennus rex Gallorum ridens: Injuria,
inquit, Clusini nos afficiunt, qui cum agri parum colere possint,
possidere plurimum volunt, nobisque peregrinis & pauperibus ni-
hil ejus concedunt. Eadem vos Romanos injuria affecerunt olim
Albani, Fidenates, Ardeates, nuper Vejentes, Capenates, ac pleri-
que Falisco rũ Volscorumque: quos quidẽ vos, nisi suorũ bonorum
vobis copiã faciant, bello petitis, in servitutẽ redigitis, deprædami-
ni, urbesq; eorum evertitis: non injuste id quidẽ, sed antiquissimam
omniũ legẽ secuti, quæ bona inferiorũ præstantioribus tribuit; atq;
à Deo incipiens, usq; ad belluas se extendit, quibus ipsis quoq; à na-
tura inest, ut validiores inter eas plus habere infirmioribus velint.
Proinde Clusinos in obsidione habitos desinite misericordia prose-
qui, ne Gallos doceatis humanitate sua opitulari iis, quib. à Roma-

*Clusium Galli oppugnant.*

nis est vis facta. Hoc ex sermone satis intellexerunt legati, Brennum à pacificatione esse alienum: in oppidumque digressi auctores Clusinis fuerunt, ut secum contra barbaros in aciem exirent: incertum illorumne fortitudinis periclitandæ, aut suæ ostentandæ causa id fecerint. Excursione à Clusinis facta, & pugna prope murum commissa, unus ex Fabiis Q. Ambusius nomine, ut equo insederat, Gallo cuidam forma & mole corporis conspicuo multum ante alios provecto, obviam se dedit. Ac primo quidem quis esset ignoratus est, fervente prœlio, aspectumque fulgore armorum circa eripiente: ut verò victor Gallum dejectum spoliavit, Brennus eum agnovit: Deosque testatus, contra jus omnium hominum commune eum, legatus cùm venisset, hostis vicem obiviſſe, statim receptui cecinit. Inde omissis Clusinis exercitum Romam versus duxit: ac ne belli cupidus injuriam sibi illatam gratam veluti occasionem ejus arripuisse videretur, misit Romam, qui Fabium sibi ad supplicium dedi poscerent: ipse paulatim progressus est cum suis. Romæ in senatu cùm alii Fabium accusarunt, tum maximè Feciales, religionem prætendentes, senatuique suadentes, ut piaculum perpetrati sceleris in unum auctorem ab omnibus civibus averteret, Feciales istos Pompilius Numa regum placidissimus ac justissimus instituerat, qui & pacis custodes essent, & de causis, propter quas jure bellum posset suscipi, cognoscerent ac statuerent. Cùm senatus judicium causæ ad populum rejeciſſet, ac Feciales itidem reos accusarent: adeo multitudini religio contemptui ac deridiculo fuit, ut Fabium cùm fratribus præterea tribunos militum crearent. Galli eo comperto irritati, nihil prius celeritate consilii exsequendi habuerunt. Itaq; summa cum properatione profecti, cùm essent omnium per quorum regionem iter faciebant, animi multitudine, splendore apparatus, vi ac ferocia eorum consternati, actumque jam de agris suis esse, interitum urbibus imminere putarent: præter omnium spem nihil hostiliter egerunt, nihil ex agris abstulerunt, urbesque prætereuntes, Romam se petere clamaverunt, solisque Romanis bellum facere, cæteros amicorum numero habere. Tanto impetu barbaris ruentibus, tribuni militum suos quoque in bellum eduxerunt, numero quidem non inferiores (erant enim non minores quadraginta millibus armati) plerosque tamen rei bellicæ imperitos, ac qui tum primum arma contrectarent. Prœterea religiones quoq; neglexerant, neq; aut litaverant, aut de iis, quæ ante pugnam opus est, aruspices consuluerant. Multitudo quoq; imperatorum ita rei benè gerendæ obfuit, ut quod maximè cùm ante quidem sæpe ad leviora bella dictatorem creassent, haud ignari, quantum periculoso tẽpore conduceret omnia secũdum arbitrium unius hominis agi, qui in suis manib. jus omne haberet, magistratumq; nulli judicio obnoxium gereret. Neq; parum damni rebus attulit injuria Camillo facta, cùm jam in imperio subditis non velle gratificari neque adulari, periculosum esset. Progressi ab urbe Romani nonaginta

*Fabius Ambustus ius gentium violat.*

*Feciales.*

*Galli Romam bello petunt.*

XXVII

XXVIII

XXIX

ginta ſtadia, apud Aliam fluvium conſederunt, qui haud procul à caſtrorum loco in Tiberim influit. Ibi barbaris obviam factis male inſtructa acie congreſſi turpiter pugnaverunt, ac fuſi ſunt Lævum cornu ſtatim à Gallis in flumen compulſum & deletum eſt: qui in dextero ſteterant, cedentes impetui hoſtium à planicie ad tumulos ſe ſubduxerunt, ac minus incommodi paſſi ſunt, & plerique ipſorum Romam inde perfugerunt: reliqui defatigatis cædendo hoſtibus ſuperſtites, noctu Veios fuga petierunt, Roma jam deplorata, quam cum omnibus, qui ibi eſſent, interiiſſe putarent. Pugnatum eſt poſt ſolſtitium æſtivum, ac pleniſunium, qua die ante etiam Fabiorum clades accidit, qui trecenti ejuſdem generis ab Etruſcis occiſi fuerunt. Obtinuit deinceps, ut ob poſteriorem hanc cladem ille dies à fluvio Alienſis diceretur. Sintne dies alioqui nefaſti ſtatuendi, atque utrum injuria Heſiodum reprehenderit Heracletus, alios bonos, alios malos dies facientem, velut ignorantem unam omnium eſſe naturam, alibi à nobis diſputatum eſt: hoc autem loco videor non inconvenienter aliquot exempla hujus rei ſubjecturus. Bœoti quinto die ejus menſis, qui ipſis Hippodromius, Hecatombæon Athenienſibus eſt, duas præclariſſimas victorias paraverunt, quibus libertatem Græcis attulerunt: unam in Leuctris, alteram apud Geræſtum (amplius centum ante annis) devictis cum Lattamya Theſſalis. Rurſus Perſæ menſis Boedromionis die ſexto in Marathone tertio apud Platæas ſimul & Mycalen victi ſunt à Græcis, vigeſimoquinto in Arbelis. Athenienſes navali apud Naxum prælio, duce Chabria, vicerunt circa pleniſunium ejuſdem menſis: in Salamine, circiter vigeſimum diem, veluti in libro de Diebus demoſtravimus. Etiam Thargelion menſis apertè infelix barbaris fuit: eo enim menſe Alexander ad Granicum regis duces ſuperavit: ejuſque menſis vigeſimoſeptimo Carthaginenſes à Timoleonte apud Siciliam victi ſunt: circa eundemque diem Troja capta cenſetur, ut eſt ab Ephoro, Calliſthene, & Phylarcho proditum. Contrà Metagitnion, quem Panemum Bœoti dicunt, Græcis inauſpicatus fuit. Hujus enim die ſeptimo pugna ab Antipatro victi in Cranone, protinus perierunt: priuſque in Chæronea infeliciter, cum Philippo conflixerunt. Eodem die, eodemque anno qui cum Archidamo in Italiam trajeciſſent, à barbaris ibi occiſi ſunt. Carthaginenſes vigeſimum nonum cavent, ut qui ſemper iis plurima ac maxima damna attulerit. Neque ſum neſcius circa tempus id, quo Myſteria Athenis celebrantur, Thebas ab Alexandro diruta: & Athenienſes præſidium Macedonum accepiſſe circiter vigeſimum Boedromionis diem, quo ſacra pompa in honorem Bacchi ducitur. Eodem die Romani duce Cæpione caſtris ſunt à Cimbris exuti: & deinde Lucullo ductu Tigranem & Armenios vicerunt. Rex Attalus, & Pompeius Magnus, ſuo uterque natali mortuus eſt, omninoque poteſt oſtendi, multos iiſdem diebus utranque fortunam expertos. Cæterum is dies apud Romanos unus inter nefaſtos habetur, aliæque duæ ſingulis menſi-

*Alienſis Romanorum clades.*

bus, metu, & religione propter id quod tum accidit latius, ut fieri solet, propagato. Sed de his rebus disputatum est à nobis accuratius in libris Quæstionũ Romanarum. Secundum Aliensem pugnam, si statim fugientes subsecuti Galli fuissent, nihil obstitisset, quo minus Roma cum omnibus, qui in ea erant, funditus perierit. tantum terrorem ii, qui fuga elapsi erant, iis, qui in urbe manserunt injecere, tantaq; vicissim perturbatione & insania repleti sunt. Nunc barbari incredibili victoriæ magnitudine attoniti, & ex nimio gaudio in stuporem prolapsi, dum se ad divisionem bonorum in castris repertorum convertunt, spacium effugiendi turbæ se ex urbe propipienti, & iis, qui in urbe manebant, sperandi ac sese parandi locum dederunt. Hi igitur relicta urbe, Capitolium telis ac munitionibus firmaverunt, ac in primis sacra pleraque eodem transtulerunt: Vestales autem virgines, rapto secum igne, & reliquis sacris aufugerunt. Quanquam non desunt, qui præter ignem perennem nihil ab iis custodiri tradant. Numamq; regem instituisse, ut is, tanquam omnium rerum principium, coleretur. Nam in tota rerum natura nihil majorem vim movendi igne possidet: omnium autẽ rerum ortus aut motus est aut motu constat: reliquæ verò materiæ partes calore deficiente, ociosæ jacent ac veluti mortuæ, ignisque vim, tanquam animam, desiderant, atque ea quocunq; modo accedente, ad agendum ipsæ & patiendum aptæ fiunt. Itaque Numam, ut virum solertem, ac qui propter sapientiam cum Camœnis commercium habere creditus sit, ignem consecrasse, & perpetuum custodiisse, tanquam imaginem virtutis æternæ, quæ omnia administrat. Alii ignem, ut & apud Græcos, in vestibulo templi ardere lustrationis causa censent, reliqua sacra intus abscondi, neque à quoquam præter Vestales virgines conspici ea fas esse: in iis autem arcanis esse Trojanum illud Palladium, ab Ænea in Italiam allatum, multorum sermonibus est traditum. Alii fabulam addunt, Dardanum è Samothracia asportatum Palladium, cùm Trojam condidisset, in ea urbe consecrasse: Æneam id, quo tempore Troja capta est, clam sustulisse. ac usque ad migrationem in Italiam adservasse. Qui sibi majorem harum rerum notitiam arrogant, duo dicunt dolia haud ita magna esse ibi reposita: alterum apertum & inane, alterum plenum & obsignatum: solis autem sacris istis virginibus licitum ea videre. Alii hos errare putant, eo deceptos, quod tum Vestales pleraque sacra in duo dolia conjecta, terra obruerint sub templum Quirini: cui loco etiamnum *à dolis* sit nomen. Porrò ipsæ iis sacris, quæ potissima habentur & maxima, secum acceptis, præter fluvium fugerunt. Ibi Lucius Albinus, vir de plebe, qui inter fugientes unus infantes uxoremq; suam cum rebus necessariis plaustro vehebat, cùm conspexisset virgines Vestales sacra Deũm in sinibus gestantes absque famulis incedere, ac male habere; statim uxore & liberis de plaustro depositis, ipsas imposuit, & effugiendi in aliquam Græcarum urbium occasionem præbuit. Eam Albini in Deos pietatem adversissimo tempore demonstra-

*De Vestalium sacris.*

*L. Albini religio.*

XXX II III XXX XXXV IV

monstratam, non erat æquum silentio præterire. Reliqui sacerdotes senesque consulares & triumphales, cùm urbem relinquere non sustinerent, sacris & splendidis induti vestibus, præeunte carmen Fabio pontifice maximo, seipsos pro patria diis devoverunt; utque erant ornati, in foro eburneis sellis eventum exspectantes consede-
xxxv runt. Tertio post prælium die Brennus ad urbem cum exercitu venit: cumque & portas apertas, & muros præsidio vacuos invenisset. primò quia non credebat adeo penitus de suis rebus Romanos desperasse, insidias & dolum metuit: pòst rei veritate cognita porta Collina ingressus, Romam cepit, paucos ab ortu ultra trecentos ac sexagesimum annos habentem: si modò credibile videtur, certam aliquam temporis ejus rationem superstitem esse, cùm, quæ eo tempore incidit confusio, etiam de rebus postea gestis controversias præbuerit. Videtur sanè calamitatis istius Romanæ obscura quædam statim in Græciam pervenisse fama. Heraclides enim Ponticus, qui non diu post illa tempora vixit in libro de anima scribit, rumorem ab occiduis mundi partibus allatum, quod exercitus ab Hyperboreis advenerit, urbemque Græcam, Romam nomine, positam ibi quodam loco ad magnum mare, ceperit. Cæterùm Heraclidem fabulas & figmenta scribere alioqui solitum, non miror vero de capta urbe sermoni, rei exaggerandæ causa, Hyperboreos & magnum mare adjecisse, Aristoteles philosophus satis testatum fecit, auditu se de Roma à Gallis capta percepisse, eamque à Lucio recuperatam scribit. fuit autem servata non à Lucio, sed Marco Camillo: sed hæ
xxx sunt conjecturæ. Brennus Roma occupata, Capitolium custodia
vi cinxit, ipse per forum descendens miratus est viros ibi cum ornatu suo tacitos sedere. Vt visi sunt neque assurgere hostibus venientibus, neque vultum aut colorem mutare, sed ociosè ac sine metu in sellis, quas eo posuerant, reclinatos mutuò sese intueri: miraculo fuit hæc rei novitas barbaris, diuque majestate virorum moti accedere & tangere eos veriti sunt. Tandem unus ausus est ad M. Papirium adire, manuq; leviter admota, barbam ejus contrectavit, ut erat promissa, ac demulsit; ei Papirius scipione graviter incusso caput comminuit: barbarus stricto ense eum interfecit; idque factum reliquorum etiam cùm senum, tum obviorum quorumque cædes secuta est. Multi deinde dies diripienda urbe sunt cõsumpti: post eam incenderunt, irati iis qui Capitolium tenebant, quod & vocantibus non paruissent, & impetum facientes de munitionibus jaculati sauciassent: igitur & urbem perdiderunt, & deprehensos cujuscunque
xxx vel ætatis vel sexus trucidarunt. Cùm autem obsidio Capitolii
vii longior esset, Galli rei frumentariæ causa, relictis cum rege, qui Capitolium obsiderent, regionem circum depopulari, pagosq; vastare, non simul omnes irruẽtes, sed (ut successu animi ipsis creverant, neque timebant quicquã alii alio sub ducibus certis & cohortibus dispersi instituerunt. Maximũ, & compositissimũ corũ agmen Ardeam petiit: qua in urbe Camillus vitam ociosam & privatã exsul degebat, idque

*Roma à Gallis capitur.*

*Camillus Ardea Gallis insidiatur.*

idque modo optabat ac cogitabat, non quomodo hostes falleret atque effugeret, sed qua ratione capto tempore eos ulciscereturQuare cùm videret Ardeates multitudine hostibus pares, nihil tamen audere, propter imperitiam ducum atque molliciem, primò junioribus ostendit, non debere eos Romanorum infelicitatem, fortitudinem Gallorum putare: neque ea, quæ imprudentia sua illi passi essent, horum opus, qui nihil ad victoriam contulerint, sed fortunæ sese ostentantis specimen interpretari Equidem præclarum esse, etiam cum periculo profligare bellum alienæ & barbaræ gentis, quæ eum victoriæ finem statuat, ut ignis in morem victos aboleat: se autem ipsis, siquidem audere, alacresque esse velint, per occasionem victoriæ nullo cum discrimine parandæ facultatem præbiturum. Hanc orationem ejus cùm juventus Ardeas approbasset, ad XXX magistratus & consules urbis se contulit: his etiam assentientibus, VIII armavit omnes quorum ætas erat militiæ apta, atque intra muros continuit, ut hostes, qui prope jam aderant, lateret. Qui postquam apros populati, prædaque ingenti onusti, in campo castra securè, neque ulla custodia munita posuerunt, noxque ebrios, & silentium oppressit: Camillus de his ab exploratoribus certior factus, Ardeates eduxit, locumque qui intra urbem ac castra erat, silentio transgressus, media nocte ad castra venit, magno clamore, turbarumque ab omni parte concentu perturbans homines ægrè à crapula & somno ad tumultum excitatos. Perpauci metu excussa crapula, armis sumptis Camillo se objecerunt, ac pugnantes ceciderunt: plerique vino adhuc & somno gravati inermesque occisi sunt: pauci è castris noctu fuga elapsi, palati per agros interdiu ab equitibus immissis oppressi sunt. Hoc facinus celeriter fama circum urbes annuncia- XXX vit, animosque multorum valida ætate militum, qui post Roma- IX nam cladem confluxerant, excitavit, maximè Romanorum, qui ab Alienſi strage fuga servati, Veios se contulerant. Hi secum lamentabantur, fortunam, tanto duce Romanis adempto, ejus præclaris factis Ardeam exornasse, urbe, quæ eum virum genuisset atque educasset; pessundata: Nos verò, dicebant, imperatoris inopia, alienis muris nos tuemur, ac Italiam prodimus, age mittamus Ardeam, & nostrum imperatorem poscamus, aut ipsi sublatis armis ad eùm proficiscamur: non enim neque is jam exsul, neq; nos cives sumus, patria amissa atque ab hostibus occupata. His ita constitutis, miserunt ad Camillum, qui eum orarent, uti imperium susciperet. At Camillus non ante id se facturum respondit, quàm cives, qui in Capitolio erant, lege lata id approbassent. se enim eos adhuc superstites patriæ loco ducere, eorum se jussis obtemperaturum promptè, injussu nullas se in res ingressurum. Mirati sunt omnes religionem XL probitatemque viri. Sed qui nuncium in Capitolium perferret, nemo erat, imò verò fieri omnino non posse putabant, ut cùm urbem hostes tenerent, nuncius in Capitolium veniret. Erat inter juvenes Romanos Pontius Cominius, medio loco natus, gloriæ & honorum studio-

*Camillo imperium à Romanis oblatum.*

*Pontij Cominij audax factum.*

ſtudioſus: is ultrò id negocium ſuſcepit. Ac literas quidem nullas accepit, ne deprehenſo ipſo, de conſilio Camilli hoſtes certiores fierent: abjecto autem veſtitu ſumpto, & ſuberibus ſub eo occultatis, interdiu propè ad urbem uſque citra periculum acceſſit: jam noctis tenebris ſe intendentibus cùm ad urbem veniſſet, neque liceret per pontem tranſire, quod is præſidio à Gallis tenebatur: veſtes & erant neque multæ neque graves) circumvolvit, corporiq; ſuberibus ſubjectis, Tiberim tranavit, & ad urbem venit: obſervatiſque luminum & ſtrepitus indicio vigilantibus, iis præteritis, qua altiſſimum erat ſilentium, ad Carmentalem portam venit. Eo loco maximè præruptus Capitolii collis eſt, & ſaxo circum arduo atque aſpero circundatus. per id, qua erat parte acclivius, ægrè omnibus inſcientibus aſcendit, cuſtodibuſque munitionum cùm ſe quis eſſet indicaſſet, ad
XLI magiſtratus eſt ductus. Convocato ſtatim ſenatu, introductus, Camilli victoriam, de qua nihil reſciverant, edidit, conſilium exercitus expoſuit, utque Camillo imperium confirmarent, hortatus eſt: nemini enim alii eorum qui foris eſſent cives dicto audientes fore. Re audita ſenatus, captoque conſilio, Camillum dictatorem dicit, Cominiumque eadem via remittit, iſque feliciter, ſicut ante, inſciis hoſtibus reverſus ad ſuos quæ decreviſſet ſenatus, renunciavit. Ita Camillus dictator iterum factus, omnium ſumma cum expectatione Veios venit, invenitque in armis viginti millia hominum: ad hæc contraxit auxilia inſuper à ſociis alia, & ſe ad invadendum hoſtes
XLII comparavit. Interim Romæ quidam de barbaris fortè eà tranſeuntes, quà Pontium in Capitolium evaſiſſe demonſtravimus, cùm deprehendiſſent multa manum pèdumque veſtigia, ut innixus ille ſaxis fuerat, aut ea manibus comprehenderat, etiam terram quæ præcipitiis adhæſiſſet, multis in locis detritam atque delapſam: ad regem ejus rei indicium deferunt. Iſque cùm acceſſiſſet & inſpexiſſet, conſilium ſuum uſque ad veſperam tacitum habuit: veſpera facta, conductis in unum leviſſimis quibuſque & ad ſcandendos montes aptis Gallorum, ita infit: Viam quidem, qua hoſtes aggrederemur, ipſi nobis oſtendunt ignorantibus, docentque eam non eſſe invium, neque inſuperabilem. Turpe verò nobis eſt initio confecto finem non addere, ſed eum locum quaſi inexpugnabilem relinquere, quem ipſi qua ratione capi poſſet nobis demonſtrant. Qua enim facilè fuit uni adſcendere, eadem ne multis quidem uni poſt alium adſcendere difficile erit: imò multis ſimul id conantibus & robur & auxilium aderit. Porrò autem unicuilibet dona & honores ſua vir-
XLIII tute meriti dabuntur. His regis dictis permoti prompte ſuam operam Galli polliciti ſunt. Circa mediam noctem multi ſimul ad ſaxum ſe contulerunt, ac ſurſum per loca ardua & aſpera enixi ſunt, magno cum ſilentio: magisque quàm ſperaſſent, conatu ſuccedente, eò uſque evaſerunt, ut primi jam in ſummo conſtituti, ad ipſas munitiones invadendum, excubitoreſque ſomno captos adoriendum ſe pararent. Neque enim homo quiſquam, neque canis adventum

*Inſidiantes Capitolio Galli repelluntur.*

eorum

*Auferum indicium.*

eorum sensit. Sed anseres sacri Junoni, qui ibi in templo erant, aliàs largo cibo neutriti, tum verò egrè ipsis hominibus cibo suppetente, neglecti & mali habiti: cùm id animal natura etiam sensus celeres habeat, & omni strepitu terreatur, tum fame etiam insomnes irrequietique redditi, confestim introitum Gallorum senserunt: & contra eos cum cursu & clangore lati, Romanos somno exciverunt: jam barbaris etiam, cùm non fallere se intelligerent, minus strepitu abstinentibus & majori vi irruentibus. Expergefacti ergo Romani, raptis, quod cuique telum fortè in promptu erat, obviam hosti currunt. Primùm omnium Manlius, vir consularis, robore corporis & viribus animi præstans, duobus simul hostibus occurrens, alterius gladium attollentis dextram gladio amputavit, alterum scuto in faciem percussum de saxo proturbavit: tum in muro consistens cum his qui ad eum confluxerant, reliquos hostes repulit, qui neque numero multi ad arcem evaserunt, neque quicquam tanto conatu dignum effecerunt. Ad hunc modum evitato periculo, prima luce præfectum excubiarum ad hostes de Saxo præcipitem dederunt: Manlio autem præmia victoriæ ejus virtute partæ tribuerunt, magno honori magis quàm usui futura: universi enim quantum ad quotidianum victum sumerent, ei contulerunt, frumenti selibram, farris singuli, & vini quartarium. Exinde barbarorum res minus esse secundæ cæperunt. Nam & inopia commeatuum laborabant, frumentatum ire metu Camilli non ausi: & ex multitudine cadaverum hinc inde abjectorum per urbem, ipsos in ruderibus habitantes pestis intestina urgebat: aerque inspiratus corporibus exitio erat, quem siccitate & acrimonia pernicioſum cinis combustæ urbis profundus æstu & ventis axagitatus exhalabat. Maximè autem oberat ipsis mutatio consuetę habitationis, qui ex opacis locis, & æstate tuta refugia habentibus in regionem humilem, & autumnali tempore aeris temperiem incommodam ipsis habentē transiverant. Ad hæc diuturna obsidio Capitolii molesta erat, in qua septimū tum mensem agebant: neque jam præ multitudine humare cadavera poterant, tanta in ipsorum castris ives grassabatur. Neque verò cum obsessis melius agebatur, apud quos & fames ingravescebat, & ignoratio eorum, quæ Camillus ageret, mœrorem excitabat: barbaris enim accuratè urbem custodientibus nemo ab eo Romam commeabat. Quamobrem utrisque ita laborantibus mentio de pactione primò inter excubitores facta est: deinde cùm ita optimatibus placuisset, Sulpitius tribunus militum cum Brenno in colloquium venit: transactumque est ut Galli, acceptis auri pondo mille, statim ex urbe & regione Romana decederent: jurejurandoque ea pactio confirmata est. Auro illato, in ponderando primum occultè, post etiam apertè mala fide auctum est à Gallis, aurum auferentibus, & momentum libræ in diversam partem impellentibus: cumque Romani de eo quererentur. Brennus tanquam insultans, & deridens eos, gladium simul & baltheum suum detractum in lancem ad pondera addidit:

XL IV

*Manlij fortitudo.*

XL V

XL VI

*Pactio inter Romanos & Gallos.*

didit: Sulpicioque percontanti, quid hoc rei esset? *Quid*, inquit *nisi*
XL *victis dolor*: quod dictum deinde in proverbium abiit. At Roma-
VII norum alii indignati, ac suadere, ut auro recepto discederetur, & ob-
sidio perferretur: alii mediocrem injuriam tolerandam dicere, ne-
que id turpe putandum, quod amplius darent, quando id pactum hoc
aurum turpiter quidem, necessitate tamen compulsi penderent. De *Camillus Romam recuperat.*
quibus cùm & inter se, & cum Gallis altercarentur, jam cum exerci-
tu ad portas urbis Camillus aderat: auditoque quid ageretur, jussis
reliquis composito agmine paulatim sequi, ipse cum proceribus
properè ad Romanos contendit. Ibi omnibus locum ei tacitè hono-
rificeque dantibus ac suscipientibus, velut par erat, dictatorem, au-
rum de libra sublatum lictoribus dedit, Gallos autem, accepta se-
cum libre & ponderibus, discedere jussit: addito, Romani moris esse
non auro, sed ferro patriam liberare. Indignanti autem Brenno, ac
pactionem rescindi querenti respondit: Non esse justam eam neque
ratam, quam sui se dictatore jam ante creato, nulloque alio magi-
stratu valente, injustè pepigissent: nunc ergo apud se dicerent, si
quid vellent, se enim cum justo imperio adesse, ac fontibus ve-
niam, si eam peterent daturum: sin minus, pœnas de eis sumpturum.
XL Hic cum tumultuaretur Brennus, ac jam res ad manus perventura
VIII videretur, strictique utrinque gladii essent, & (quod fieri necesse erat
inter domorum rudera & vicos versantibus, iisque locis, ubi instru-
endæ aciei spacium non esset) alteri alteros hinc indè truderent: bar-
barus, celeriter quid agendum esset cognito, paucis amissis, suos in
castra reduxit: noctu cum exercitu urbe discessit, ac sexaginta stadia
progressus, ad Gabinam viam castra posuit. Orto die Camillus præ-
sto fuit cùm Romanis splendidè armatis, animoque confirmatis. Pu- *Gallica cast.*
gnatum est acriter, idque diu; tandem barbari fusi, castra eorum ca-
pta sunt: eorum quos cædi fuga erupuerat, alii statim trucidati ab
insequentibus, pleriq; ab incolis circum jacentium pagorum & ur-
bium, excursione facta, necati sunt. Ita Roma de improviso capta,
magis adhuc contra omnium opinionem liberata est. Barbari eam
septem omnino mensibus obtinuerunt: occupaverunt enim paucis
XLIX post idus Quinctiles diebus; circiter idus Februarias ejecti sunt. At
Camillus triumphū egit, ut dignum erat eo, qui patriæ perditæ salu-
tē attulisset, ipsamq; sibi civitatem restituisset: nam & qui fugerant,
cū liberis & uxoribus suis reversi Romam sunt, & qui obsessi in Ca-
pitolio propemodū enecti fame fuerant occurrerunt iis, ac voluptā-
tis præsentis incredibilis novitas lacrymas utrisq; expressit. Sacerdo-
tes etiā quicunq; sacra aut occultaverant aut secū abstulerant, recu-
perata attulerunt, civibusq; ostenderūt, gratissimū spectaculum ma-
gno cum gaudio intuentibus, ipsosq; Deos una secum Romā reverti
existimantibus. Sacrificiis in honorem Deūm peractis, urbeque se-
cundū vatū præcepta lustrata, templa Deorum restituit Camillus,
ædēq; Ajo Locuto posuit, reperto eo loco, ubi nocturna vox divini-
tus Marcū Cediciū de adventu barbarorū monuerat. Difficulter sanè,

ægre-

ægreque areæ templorum repertæ sunt, magno studio Camilli, ac sacerdotum labore. Vt verò urbem dirutam penitus instaurari oportuit, ad id opus multitudini parum animi fuit, cunctatique sunt, quippe qui omnibus rebus spoliati, & pecunia corporisque viribus destituti, in præsentia magis levatione aliqua post tanta mala, & quiete se recreare, quam laboribus conficere opus habebant. Itaque paulatim ad Veios, urbem omnibus rebus instructam incolumemque, animis vulgo inclinatum est, tribunisque plebis in concione ea dicendi, quæ populo grata essent, occasiones datæ. Iamque audiebantur sermones, qui plebem contra Camillum concitarent: Hunc scilicet ambitione, gloriæque privatæ cupiditate adductum, cives urbe jam adornata privare, cogereque habitare eos in parietinis, tantique incendii reliquias de novo ædificare: nimirum ut non modò dux Romæ, imperatorque, sed conditor etiam; Romulo ea laude detruso, dici posset. Ergo metuens tumultum senatus, Camillum nisi circumacto eo anno deponere dictaturam non est passus: cùm nullus alius dictator ultra sextum mensem eum magistratum gessisset. Ipsi dictis lenire ac consolari populum, ostendereque majorum sacella & sepulcra, locorum sacrorum, & templorum memoriam ejus renovare, quæ Romulus, quæ Numa, aliusve regum consecrasset. inter sacra autem imprimis caput hominis recens occisi, cum Capitolii fundamenta ponerentur, inventum commemorare. nimirum ei loco fatis portentum, fore ibi caput Italiæ. ignem etiam Vestæ objicere, quod hunc finito bello à Vestalibus iterum accensum, ipsi extinguere rursus vellent, urbem deserendo, opprobrio ipsis futuram, sive eam ab aliis habitari advenis & exteris, sive vastam jacere, ovesque eo loco pasci contingeret. Hæc apud singulos privatim, & in concione crebrò deplorantes, rursus infringebantur multitudinis querelis, præsentem lamentantis inopiam, obtestantisque, ne se cogerent, qui tanquam è naufragio nudi, & omnium rerum egeni convenissent; reliquias potius urbis exitium passæ compingere, quàm alia urbe integra & parata, quam præ manibus haberent, uti. Visum itaque est Camillo, in concionem advocato populo, de ea re deliberationem proponere. Ibi cùm ipse multis cives ad manendum in patria cohortatus esset, multi etiam alii, quibus erat volentibus, in eandem partem verba fecissent, tandem Lucium Lucretium, cui primo loco dicenda pro more erat sententia, surgere jussit, ac, quid statueret ipse, pronunciare: tum reliquos post illum ordine. Facto silentio, ac jam orationem inchoaturo Lucretio, forte fortuna centurio foris adducens cohortem, quæ diurnas egerat custodias. cùm per forum transirent, clara voce signiferum jussit eo loco consistere, ac signum statuere: ibi enim optime mansuros. Hæc vox cùm opportunè eo ipso esset pronunciata tempore, quo ad incertum rei, de qua consultabatur, exitum omnium cogitationes erant suspensæ: Lucretius, adorato, qui id omen obtulisset, Deo, assentiri se ei dixit: singulique ejus sententiam sunt secuti. Mirabilis

*De migratione Veios faciendæ contentio.*

*Roma instauratur.*

LI

quo-

quoque animorum mutatio apud plebem exstitit, mutuò se ad o-
LII pus cohortantibus civibus. Areæ ædificiorum non divisione, nec ordine certo distributæ sunt: unusquisque pro suo arbitrio & ad ædificandum facultatibus sibi occupavit. itaque festinatio in causa fuit, ut vicis non directis, sed domibus inter se promiscuè concurrentibus urbs extrueretur: & intra annum tota novis muris, privatisque ædificiis absoluta fuit. Quos Camillus ad sacra loca reficienda & terminanda adhibuit, hi omnibus confusis cum Palatium circumeuntes ad Martis pervenissent tugurium, id quidem sicut & reliqua, incendio barbarico absumptum invenerunt: loco tamen purgato amotis ruderibus, in lituum Romuli inciderunt inter cineris acervos delitescentem. Lituus est baculus ab altera parte curvus, quo utuntur ad cœli regiones describendas, cùm augurii capiendi causa consederunt: eoque usus erat Romulus, ut auguriorum observantissimus. eo mortuo pontifices, tanquam rem sacram, inter ea, quæ tangi nefas esset, reposuerant: ac tum superstitem ut invenere, reliquis incendio perditis rebus, in bonam spem de Roma adducti sunt, eo signo Romæ perpetuam incolumitatem portendi existimantes.

*Bellum Romæ ab Æquis, Volscis, Latinis & Tuscis illatum.*

LIII Nondum planè hoc negocio confecto, bellum incidit, Æquis simul, Volscisque & Latinis in agrum Romanum impressionem facientibus, Etrusisque Sutrium, sociam populi Romani urbem, obsidenti bus. Quo in bello cùm tribuni militum, qui rei summæ præerant, castris ad Marcium montem positis, à Latinis in obsidione haberentur, metuque amittendorum castrorum Romam auxilium postulatum misissent: Camillus tertium dictator creatus est. De hoc bello duæ referuntur narrationes. quarum eam, quæ fabulosa est, priori loco exponam. Latini (ut ajunt) Romam missis legatis, filias eorum virgines ingenuas in matrimonium suis postulaverunt, incertum studióne gentes, ut fuerant antiquitus, denuo inter se conjungendi, an ut belli occasionem arriperent. Quæ petitio cùm anxios, consiliique incertos Romanos teneret: (nam & bellum metuebant, quia nondum à Gallica clade vires recepissent: & peti non mulieres, sed obsides, reique nomen affinitatis prætendi suspicabantur) ancilla nomine Tutula, sive (ut alii volunt) Philotis consilium magistratibus dedit, ut secum juvenculas alias ancillas, ac forma liberali præditas, sponsarum nobilium modo exornatas, ad Latinos mitterent;

*Ancilla Romam bello liberat.*

LIV reliqua sibi curæ fore. Senatus ei consilio paruit, delectasque, quæ ad eam rem Philotidi probarentur, ancillas, veste & auro ornatas ad Latinos misit, non procul ab urbe castra habentes. Noctu reliquæ quidem gladios Latinis subtraxere: at Tutula (sive ea Philotis est) caprificum altam conscendit, & obtenta retrò veste, Romanis face accensa signum dedit: ita enim rem cum primoribus composuerat, nemine civium conscio. Quare & milites jussi à magistratu exire, tumultuati, vixque tandem mutuò se nominatim invocantes, signa secuti sunt. Venêre autem ad castra, inopinantibus & sopore pressis

LV hostibus: majorique eorum parte occisa, castris potiti sunt. Factum

*Nonæ Capratinæ.*

est hoc Nonis Quinctilibus, quæ nunc Iuliæ sunt: in memoriamque facinoris solenne illud festum agitur. Primò enim confertim urbe exeuntes, multa communium ac tritorum apud Romanos nominum, ut sunt Caii, Marcii, Lucii, & alia id genus, inclamant: imitantes eam quæ tum mutua inter properandum fuit invocatio. Deinde ancillæ eleganti habitu circumeunt, iocisque obvios impetunt: est & pugna inter ipsas, quo indicatur, tum quoque ipsas contra Latinos suis auxilio fuisse. Cùm epulantur, sedent sub umbraculis ex ficulneis frondibus contextis: & diem Nonas Capratinas nuncupant: nimirum à caprifico, à qua facem illa ardentem sustulerat. Alii pleraque hæc propter Romulum instituta ferunt: is enim concionem habens ad Capræ paludem extra urbem (ut in vita ejus narravimus) subitò caligine & turbine venti coorto, aut, ut alii putant, Solis defectu accidente, è conspectu hominum sublatus est ea ipsa die: ideo *Capratinis Nonis* à Capræ palude nomen esse putant.

*Camilli victoria de Latinis.*

Altera de qua mentionem feci, narratio, & quam plerique LVI auctores probant, talis est. Camillus tertium Dictator factus, cùm accepisset exercitum cum tribunis militum à Latinis & Volscis obsideri, coactus est etiam eos, quorum ætas jam ad bellum gerendum præterisset, armare. Longo autem itinere circumiit Marcium montem, ignaris hostibus, ac à tergo eorum cum exercitu consedit, multisque ignibus accensis præsentiam suam suis indicavit. Itaque obsessi animo recepto hostes adoriri, ac prœlium committere statuerunt. At Latini & Volsci ab hostibus circumdati, consilio alias copias domo adventãtes operiendi, simul & Etruscorum auxilium expectantes, castris sese continuerunt, vallumque multis lignis undique sepierunt atq; obstruxerunt. Quod sentiens Camillus, verituſque ne idem sibi casus accideret in quem hostes aduxerat, ante capere tempus decrevit. Itaque ante lucem multis ignibus ad hoc præparatis, cùm ventus vehemens à montibus incubuisset, summo mane copias eduxit: reliquisq; militibus mandato, ut ab omni parte jacula immitterent, & cũ magno clamore irruerent, ipse cum iis, quos ad incendendam sepem hostium ligneam instruxerat, ea parte, qua potissimum ventus castris hostium accidebat, tẽpus cõmodum exspectavit. Commisso prœlio, cùm & Sol ortus esset, & ventus ve LVII hementius flaret, dato impetus signo, sepem jaculis ignẽ ferentibus complevit; flamma à materia copiosa, ligneisq; munitionibus nutrita, in orbem omnia corripuit atq; hausit. Latini, quibus nihil erat in promptu, quo ignem restinguerent, castris jam totis incendio occupatis in arctum compulsi, coacti sunt se inde in armatos ac pro castris in acie stantes hostes immittere: itaq; eorum pauci effugẽte cædem: qui in castris manserant, incendio perierunt: tandem Romani, igne exstincto, opes hostium diripuerunt. His actis, relicto in castris filio Lucio, qui captivos & prædam custodiret, ipse in fines hostium irrupit. Aequorumq; urbe capta, & Volscis deditione acceptis, recta ad Sutrium copias rapuit, ut id obsidione Etruscâ liberaret: neque enim

enim de iis quæ ibi acta fuissent, cognoverat. At Sutrini, qui deditionē jam hostibus fecerant: omnibusq; bonis spoliati, singulis tantum cū vestimentis dimissi erant, in itinere cum conjugibus & liberis Camillo occurrerunt, suamq; apud eum fortunā lamentati sunt. Horum miserabili adspectu Camillus ad misericordiam cōmotus, cùm Romanos quoq;, Sutrinis eos obtestantibus, lacrymas effundere, & casum eorum indignè ferre videret: statuit nulla interposita mora statim calamitatem Sutrinorum ulcisci, eaq; ipsa die ad Sutrium accedere: cogitans fore, ut in hostes, qui in urbem divitem, omnibusque bonis abundantem recēs cepissent, ac neq; in ea quenquam hostem reliquissent, neque aliunde expectarent adventurum, omnino dissolutos & sine omni custodia securos incideret. idque ejus consilium eventus comprobavit. Non enim proficiscens modò Sutrium hostes fefellit, sed etiam ad portas pervenit, murosq; occupavit, nemine eorum animadvertēte: nullas enim stationes habebant, sed per domos dispersi vino & conviviis indulgebant. Itaq; cùm jam occupatam à Romanis urbem intelligerent, adeo pleriq; crapula torpebant, ut ne fugam quidem capere possent, sed turpissima morte intra domos deprehensi perirent, aut sese hostibus dederent. Ita Sutrium eadem die bis captū, his, qui cepissent, ademptū, & iis qui amiserāt, opera Camilli redditum est. Triumphus, quem de his bellis duxit, non minorem ei gratiā ac decus, quàm duo priores conciliavit: nam etiam qui summa ejus viri invidia flagrabant cives, solitiq; erant omnes ejus victorias fortunæ magis quàm virtuti adscribere, tunc rebus ipsis gestis coacti sunt gloriam hanc prudētiæ ac industrię ejus acceptā ferre. Inter eos qui Camillo invidebant atq; adversabantur, præcipuus fuit Marcus Manlius, cui Capitolini cognomen inditū erat, quod Gallos noctu arcē invadentes primus omnium repulisset. Is cùm virtute gloriam Camilli superiorē parare non posset: alia via, cui multi ante ipsum institerant, potentiam omnem in repub. ad se unum transferre tentans, popularis esse cœpit, maximeq; debitoribus opitulari, aliorum contra creditores suos causas defendendo, alios nexos abduci secundum legem, prohibendo, quo effecit, ut continuò egenorum magnā circa se manū haberet, qui ferociendo, ac in foro turbas movendo optimatibus magnum metum injicerēt. Dictator hujus rei causa dictus Quinctius Capitolinus, Mālium in carcerem conjecit: plebe autem vestem mutante (id quod fieri consuevit magna publicaq. calamitate) Senatus tumultum metuens, vinculis eum liberari jussit. Neq; is dimissus meliorem se præbuit: sed vehementius populum suum facere, urbemq; seditionibus agitare intendit. Rursus tribunus militum creatur Camillus. At Manlio in jus vocato, accusatoribus ejus magno impedimento fuit conspectus Capitolii, cùm de foro is locus cerneretur, unde ille nocturno certamine Gallos propulsaverat: ipseq; reus manus eo protendens, ac cum lachrymis memoriam suæ pugnæ renovans, commiserationem intuentibus moveret: adeò ut judices, quid agerent, incerti, sæpius

*Sutrium Camillus recipit.*

*M. Manlius tyrannidem affectans, necatur.*

judicium differrent, cùm neque apertè convictum criminis dimittere vellent: neque legibus uti contra reum possent, re ab eo gesta obtutui omnium eo in loco adversante. Quod cùm animadvertisset Camillus, judices extra portam in lucum Petelinum conduxit, unde Capitolium videri non poterat: ibi & accusator reum Manlium peregit, & memoria factorum, conspectu Capitolii adempto debilitata, judicibus concessit ut præsens flagitium justa ira prosequerentur. Damnatus igitur Manlius, inque Capitolium adductus, de Tarpeio saxo dejectus est: locusque unus eidem homini & eximiæ gloriæ monumentum, & pœnæ ultimæ fuit. Romani ædibus ejus solo æquatis, templum in ea area Junoni Monetæ posuerunt: in posterumque, ne quis patricius in arce habitaret, publico decreto sanxerunt. Exinde Camillus tribunatum militum sextum sibi oblatum recusavit, utpote ætate jam admodum provectus, invidiamque, & quæ tantam gloriam, totque prosperos successus sequitur, mutationem fortunæ metuens: adhæc morbo per eosdem dies afflictus, quam excusationem evidentissimam habebat. Neque vero populus missum eum fecit, sed clamans, neque equitem se eum, neque pedestri acie pugnantem, sed consiliarium modò & ducem desiderare, coegit ut imperium susciperet. & cum uno collegarum Lucio Furio statim exercitum adversus hostes duceret. Ii erant Prænestini & Volsci, sociorum populi Romani agrum magnis copiis depopulantes. Camillus cùm castra hostibus opposuisset, trahendum bellum censuit, ac se confirmato corpore, ubi tempus pugnæ incidisset, adfuturum dixit. Lucio autem Furio gloriæ cupiditate ad prœlium committendum ita inflammato, ut ab ea sententia deduci nullo modo posset, eoque etiam centuriones instigante: veritus ne juvenes invidia adductus à re bene gerenda detinuisse judicaretur, invitus quidem ei ut in aciem educeret, permisit: ipse propter valetudinem cum paucis in castris remansit. Cæterùm cùm Lucius pugna temerè commissa pulsus esset, fugam Romanorum sentiens Camillus, non se continuit, quin lecto exiliens cum suis comitibus ad portas castrorum fugientibus obviam rueret, ac per eos ad insequentem usque hostem prorumperet: itaque & qui castris jam appropinquabant, statim pedem referentes, ducem secuti sunt, & priores firmato gressu ante eum in orbem coierunt, mutuò sibi fidem dantes, non defuturos sese Imperatori. ita hostes à persequendo desistere coacti sunt: Postridie Camillus eduxit in aciem, & hostes prœlio fudit: fugientibusque instans, eodem impetu castra cepit. Secundum hoc factum allato nuncio, Satricum colo niam Romanorum ab Etruscis captam, colonosque omnes occisos esse, majorem ac graviorem copiarum partem Romam misit, ipse cum iis qui & ætate & animo maximè vigebant, Etruscos urbem habentes adortus vicit, & partim cecidit, partim expulit. Reversus inde Romam cum ingenti præda, ostendit eos omnium prudentissimos esse, qui imbecillitati & senectuti imperatoris peritia fortitudine

*Junoni Monetæ.*

*Camillus VI. trib. militum.* LXII

*L. Furij temeritas.* LXIII

*Prænestinos & Volscos vincit Camillus.*

*Satricum receptum.* LXIV

neque

neque prædíti non diffiderent, sed eum potius recusantem languentemque sibi præficerent, quàm juvenem imperium affectantem. Itaque cùm de Tusculanorum defectione esset renunciatum, missus est ad eos recipiendos Camillus: eique unus de quinque collegis additus, quem ipse voluisset. Delegit autem præter omnium opinionem, reliquis præteritis, L. Furium, eum qui invito nuper ipso cum hostibus congressus, rem male gesserat. Videtur autem id eo consilio fecisse, ut & eum casum occultaret, & virum hunc ignominiæ e- LXV ximeret. Porrò Tusculani callidè peccatum suum correxerunt. Nam & agros cultoribus haud aliter quàm in pace frequentibus repleverant. & apertis urbis portis, pueri in scholis discebant, artifices in tabernis suo quisque operi incumbebant, multitudo urbana in foro togati obambulabant, magistratus diversoria Romanis sedulò parabant: perinde ac si neque commisissent quicquam mali, neque exspectarent. Camillus, rebellionem quidem ab aliis factam nihilominus credebat, pœnitentiam tamen eorum miseratus, jussit ut Romam irent, ac Senatus iram deprecarentur: ipseque pro eis deprecator ibi factus, impetravit, ut non modò delicti gratia ipsis fieret, sed & civitas daretur. Hæc sunt sexto tribunatu militum ejus LXVI præclarissima facta. Postea cùm Licinius Stolo in urbe magnam seditionem concitasset, qua plebs contra patres insurgens contendebat, ut duo consules crearentur, quorum alter ex plebe esset, non uterque patricius: creatis tribunis plebis, comitia consularia ne fierent, multitudo impedit. Quare cùm non constitutis magistratibus, majores impenderent turbæ, Camillus quartùm Dictator à Senatu dictus est, invitâ plebe. Et ipse quoque haud libenter accepit eum magistratum quod nollet contentionem suscipere contra homines, quos tam multis atque arduis in bellis libertatem quandam resistendi parasse intelligebat: plura enim ipse eorum opera militiæ, quàm patriciorum domi effecerat, à quibus tunc invidiosè dictatorem se dictum sentiebat, ut aut populi potentiam ipse infringeret, LX aut, si non obtinuisset, suam majestatem abjiceret. Veruntamen conatus præsentibus malis mederi, cognito die, quo legem perfer- VII re suam tribuni plebis in animo habebant, delectum militum eo die præscripsit, vocavitque populum à foro in Campum, magnam multam minatus iis, qui non obtemperassent. Reluctantibus tribb plebis, & contra juramento addito minitantibus ei multam se quingentum millium æris irrogaturos, nisi cessaret populum à suffragiis ferendis prohibere: sive aliam damnationem & exilium metuens, turpe sibi post tot præclara facinora, exactaque ætate futurum, sive plebis vim insuperabilem, pertinaciamq invictam cernens: domum abiit: ac posterioribus diebus morbi specie usus, magistratu se abdi- LX cavit. Senatus alium dictatorem dixit, isque magistro equitum III dicto ipso hujus seditionis auctore Licinio Stolone, passus est legem maximè patriciis molestam perferri, qua statuebatur, ne quis amplius quingentis jugeribus agri possideret. Atq; is quidem Licinius

*Tusculanorum defectio & deditio.*

*Æquanimitas Camilli.*

*Camillus IV. dictator.*

*Licinius Stolo lege sua damnatus.*

cùm

cùm sibi magnum nomen ea lege perlata paravisset, paulo post ipse deprehensus tantum agri possidere, quanto aliis interdixisset, sua ipsius lege damnatus pœnas dedit. Restabat adhuc contentio de consulatu, quod erat caput totius seditionis, ac maximam Senatui molestiam afferebat: cùm certis indiciis renunciatum est, Gallos iterum ab Adriatico mari cum multis hominum millibus adversus Romam proficisci: eumque nuncium statim belli effectus comitabatur, vastato agro, hominibus, qui Romam perfugere non potuissent, in montes fuga dilatis. Is terror seditionem composuit: collectique in unum optimates cum plebi, communi sententia Camillum dictatorem quintum dixerint. Qui etsi parum aberat ab octogesimo ætatis anno, tamen periculum & incumbentem patriæ necessitatem reputans, nulla adducta excusatione, nullo prætextu usus, statim imperio accepto delectum militum habuit. Cum autem perspexisset barbarorum vim maximam in usu gladiorum esse, quibus ictum desuper barbaro more & nulla arte inferentes, per capita præsertim & humeros hostium exigebant: pleriscque suorum militum ferreas galeas, easque læves dedit, ut iis illisi gladii aut delaberentur, aut frangerentur: scutorum verò orbes laminis æreis incluſit, cùm alioquin lignum ictibus cederet: docuitque milites, ut pila manu porrecta gladiis hostium subjicerent, ictusque ita exciperent. Barbaris jam propè urbem ad fluvium Anienem castra metatis, ingenti præda referta, copias suas eduxit, ac in saltu herbido, multisque convallibus intercepto eos collocavit: quod factum est, ut plerique ab hoste videri non possent, qui verò viderentur, præ timore crederentur se in loca acclivia subduxisse. Augendæque hujus opinionis gratia, ante oculos suos vastari agros passus est, neque opem tulit, sed castris munitis conquievit: donec alios hostium prædatum sparsim iviſſe vidit, alios gulæ ac crapulæ indulgere. Tum noctu levis armaturæ militibus præmissis, qui barbaros instruere ordines non sinerent, egressosque in aciem statim conturbarent: ipse orta luce suos in planiciem deduxit, instruxitque, non quod Galli putarent, paucos & timidos, sed multos atque alacres. Id primùm animos Gallorum consternavit, invadi se ab hoste indignum putantium. Deinde expediti milites irruentes, eos antequam ordines instruerent, & se in manipulos dividerent, coegerunt promiscuè adversus oblatos pugnare: postremò Camillus cum gravis armaturæ militibus eos aggressus est. Hic cùm Galli strictis & altè sublatis gladiis accurrerent, Romani pila & ferro tecta arma ictibus objicientes gladios eorum hebetâtunt, factos nimirum è ferro molli, & ad tenuitatem perducto, ita ut facilè flecterentur atque retunderentur: scuta quoque barbarorum pilis confixa, gravabantur. Itaque omissis suis, Romanorum pila manibus avertere conati sunt, quos ubi Romani nudatos viderunt, gladiis adorti, magnam eorum, qui primo loco in acie stetissent, stragem ediderunt: reliqui per planiciem diffugerunt: cùm & Camillus tumulos locaque edita occupasset, & ipsi satis scirent,

*Camillus V. dictator Gallos vincit.*

LX IX

LXXI

castra

LXXI castra sua, quæ audacia sua freti non munierant, facilè captum iri. Pugnatum esse traditur anno post captam Romam vigesimotertio: atque ex hac pugna demum Romanos fiduciam stabilem contra Gallos cepisse, quos ante vehementer metuerant, & quo minus ante occidionem ab iis deleti essent, morborum vi & insperata fortuna effectum crediderant. Tantus autem is metus fuerat, ut lege quoque sacerdotibus militiæ immunitas, præter quàm si Gallicum bellum incidisset, data fuerit. Hoc ultimum facinus militare Camilli est. nam Velitras citra pugnam se dedêtes obiter hoc in bello cepit. *Velitræ recepræ.*

Cæterùm supererat certamen domi, prioribus longè majus atque difficilius, contra populũ, qui victoria bellica vires suas auxerat, ac contra legem & Senatus voluntatem contendebat, ut alter consulum plebeius crearetur. Itaque Senatus noluit Camillum dictatura abire: ut si hunc cum summa & valida potentia auxilio haberet, eo melius propugnare pro optimatum in republica imperio posset. *Contentio de consule plebeio.*

Cùm Camillus in foro sederet, ac responsa daret, missus est viator ad eum à tribunis plebis, sequi se jubens, injicientsque manum tanquam vi tracturus. Clamore autem ingenti tumultuque quantus nunquam ante alius fuerat, exorto in foro, Camilli comitibus lictorem de tribunali proturbantibus, plebe detrahi eum debere inferius vociferante: Camillus, incertus quid ageret, magistratu quidem se non abdicavit, sed iis qui consilio aderant, secum acceptis ad Senatum perrexit: ac priusquam in curiam intraret, obversus ad Capitolium, deos precatus est, ut quàm optimum finem huic rei imponerent, votisque sedata seditione templum se Concordiæ dedicaturum. LXXII In Senatu cùm res magna sententiarum diversitate, graviq; certamine egeretur, vicit tandem mollior, quæ plebi concessit, ut comitiis consularibus alter consulum ex plebe crearetur. Hanc Senatus sententiam Camillus populo annuntiavit: tũ confestim plebs delectata, quod rem tenuisset, cum patribus in gratiam rediit, dictatoremque cum applausu & lætis acclamationibus domum deduxit. Postridie concione habita scitum est, ut templum Concordiæ in rei memoriam, ad forum & Comitium spectans ædificaretur: & ad Latinarum feriarum triduum eodem edicto quartus adjectus dies: statimque diis omnes Romani coronati sacram rem facerent. Comitiis præfuit Camillus, factique consules Aemilius Mamercinus de patriciis, L. Sextius omnium ex plebeiis primus. Hic fuit actionum Camilli finis. LXXIII Nam anno insequenti gravis pestilentia Romam invasit, quæ cùm innumerabilem hominum multitudinem, tum eorum, qui magistratus gerebant, plerosque absumpsit, Camillus quoque tum vitæ finem fecit, ætatis ratione sanè, ut quisquam potuit homo, morti maturus: sed cujus mors majorem Romanis, quam réliquorum qui tum perierunt omnium, dolorem attulerit. *Latina aucta.* *Mors Camilli.*

# IN CAMILLUM ANnotationes.

Notissimum est, *Romam à Gallis anno V. C.* CCCLXV. *captam esse, & à M. Furio* Camillo *receptam, quo maxime facinore nobilis est anno ante Christi natales* CCCXXCVI. *Qui scire cupit, qua alia in Gracia atque alibi eadem tempestate acta sint, Polybij libri primi initium legat. Camillus autem unde sit cognomen, supra in vita Numa est expositum.*

Cap. 2. In magna illa contra Æquos.) *A. Postumius* Tubertus *dictator Aequos & Volscos vicit anno V.C.* CCCXXIV. *Describitur historia apud Livium libro* 4. Αἰκωνὰς *esse Aequos & notum est, & alibi dictum. Lapus imperite hîc & infra Secanos nescio quos substituit.*

Cap. 3. Veiorum obsidio.) *Quod in Graco additur,* τοὺς ἔνοι Οὐενετανούς καλοῦσι. *Lapus ita reddit:* Hos quidam Oenetanos vocant: *Amiotus* Venetanienos *reddidit: nihilo planè rectius. De Oenetanis istis ipsi viderint.* Βήιοι, Veii *sunt, urbis nomen.* Οὐενετανοὺς *scripserat Plutarchus, ut existimo: ostensurus ita* Veientes (*hi sunt Veiorum incola*) *cives ejus urbis quæ* Βήιοι *dicitur, à nonnullis scribi:* Zonaras: Οὐίεντας *habet. Nam & Οὐήιοι alij scribunt, ut* Οὐάρρων, Σεργίων, Ὀκταβίων, *cùm alij rectius (meo sanè judicio, qui pro V. consonante, consonantem valdè affinem quam diphthongum, hoc est, nihil minus, quam consonantem ponere malim)* Βάρρων, Σέργιος, Ὀκτάβιος (*etsi ipse in Fabio* ὀκτάουλος *scribat*) Ovicula: *stemque* ἀυλαιὸς, *&* λητὸς *& alia id genus, si non hoc librariorum potius est quàm auctorum) eoque respexisse videtur Plutarchus hoc loco. Græci V. consonantem non habent, nisi quod* Βῆτα *propius quàm* Οὖ *diphthongum ei accedere apparet, & Latina pronunciationis ignorationi acceptam referēdam putem.* Πρόσχημα *autem non esse propugnaculum, ita liquet, ut pro hac versione neminem propugnaturū credam.*

Cap. 5. Sed nimirum divinitus.) ἀπ' ἀδύτου αἰπὺ πολὺ ἐκ τοῦ θείου. Θεῖον *aliquando* sulphur, *est hîc adjectivum ac ad* αἴτιον *substantivum pertinet. Lapus, nescio quod* sulphuris augmentum, *contra & sententiam auctorum, & rationem commentus est, atque historiam.*

Cap. 8. In quem Ino.) *Inûs fabulam, ut propter sororis suæ Semeles filium Bacchum educatum à Iunone sit afflicta, ex Ovidio require libro 3. Metamorphos. & Fastorum lib. 6. & apud alios: nostrum quoque quæstione Romana* XVI. *&* XVII. *Eam esse Leucotheam & Matutum, Cicero etiam in Tusculanis quæstionibus libro primo & tertio de natura deorum testatur. Pellex hîc Semele dicitur, quod ex Iove Iunonis marito Bacchum concepisset.*

Cap. 9. Qui sacra ista perficeret.) καταχθονίσειεν, *ad verbum* subsequeretur: *vel verius*, exequeretur. *Apud Livium est*, qui extra prosecuisset. *Est autem idem ac si diceret*: eum qui sacra ista peregisset.

ſet. *cogitavi tamen etiam hoc fieri potuiſſe, ut in Peregrina linguæ laberetur Plutarchus, & vocem* proſecuiſſet *pro* proſequeretur *acciperet. quod genus erratorum & obſervari debet, & veniam meretur. Fabulam autem hoc eſſe quod narratur, etiam Livius putavit.*

Cap.10. Vultum terræ defixiſſe. ) καταμυήσεις. *Lapus*, quandoque ſeſe expurgaſſe. *Ego aut* καταμύσεις *legendum, à verbo* καταμύω, *quod eſt* oculos ad ſolum flecto, in terram obtucor (*qualis apud Virgilium,*

Diva ſolo fixos oculos averſa tenebat)

*aut verbum* μυέω *aliquando idem quod* μύω *ſignificare, credendum puto. Exempla horum portentorum ſunt obvia: quæ ex hiſtoriis & poetis huc conducere, non eſt noſtræ brevitatis: & ſub finem Coriolani eſt hac de re brevis Plutarchi diſputatio. Iam quod mox ſequitur* ἐντρυφᾶσθαι, *non eſt profectò* lautè ac luxuriosè vivere, *ſed* ludibrio haberi, & præ faſtu ab aliquo contemni: *ſed mitto perſequi pleraque.*

Cap.13. Apollini. ) *Hoc ex Livio, ipſaq; hiſtoria conſtat. In Græco eſt* θεῷ τούτῳ, *ut appareat aliquot verba excidiſſe, in quibus mentio eſſet facta Apollinis.*

Cap.15. Hyems tum.) χειμὼν *etiam tempeſtatem ſignificat. Locus eſt corruptus.*

Cap.21. Achillis exemplo.) *Proverbium vide,* ἀχίλλειος εὐχὴ, Achillis votum. *Res eſt ex primo Iliadis libro nota. Secus Ariſtides votum fecit, in exſulium pulſus. & profectò longé aliter ſe Camillus, longeq; fortius erga patriam geſſit, quàm erga ſuos Achilles, ut ſuſpicatus interdum ſim, negantem particulam* οὐχ *inter* οὖν & ὥσπερ *extritam ab imprudente rei librario.* μετάνοιαν *Camillus ſuis, non* ὄλεθρον, *ut Achilles cùm alias, tum* ἰλ. π. 98. *imprecatus eſt. occaſioniq; imminuit ſervandi eos, qui perditum ipſum valuerant: nam multa millia civium perdidit exſpectando, dum privatus eum dolor utcunq; excitaret,* (κατὰ συμβεβηκὸς αἰτία) *ſuos juvandi ad neſcio quã laudabilem Patrocli ſui ulciſcendi ardorẽ. Vtut ſit, ego* οὐχ *deſidero, nam alioqui non Plutarchicé, ſed pueriliter Achillis exemplum fuerit adductum: niſi ad illum unũ verſum tota hiſtoria reſpicimus.* ἰλ. α. 240.

Ἤ πότ' Ἀχιλλῆος ποθὴ ἵξεται υἷας Ἀχαιῶν.

*ut verbo dicam: Camilli fuit laudabilis, deteſtanda Achillis actio itidem atque imprecatio. Porro quæ de aſſe & denario ſcribuntur in Græco non ſunt integra. Poſt illud* προσιόντος μηνὸς ἰουλίου, *non ſatis aſſequor. Cenſor is fuit C. Iulius, anno qui damnationem Camilli præceſſit, mortuus, ut eſt apud Livium.*

Cap.29. Apud Aliam fluvium.) *Poetæ Alliam; duobus LL. ſcribunt, quæ ſcriptio vulgo obtinet, cùm noſtra & Græca ſit verior, ut in Livianis Annotationibus jam ante docuit Sigonius. Addam obiter, quod ad eam ſententiam confirmandam facit.* Aſconius *in Tullianam Divinationem, hæc exponens verba,* habet Allienum, hunc tamen à ſubſelliis, &c. *oſtendit dubitatum fuiſſe, proprium ne id nomen,*

*Alia, Allia.*

*Aſconij locus.*

*men, an verò appellatus sum fuerit. Quo ex loco satis constat, & Aliam fluvium (nam inde nomen factum videri ait) unico L & in oratione ista Ciceronis eodem modo* Alienum *scribendum fuisse: alioquin in voce,* Alienum, *nihil erat scrupuli, qua ut ab* Allia *deduceretur, ita appellativi & adjectivi vim non haberet.*

Cap. 30. Sintne dies aliqui nefasti,) *Locus totus est à Lapo male versus. Disputat autem hac de re Plutarchus in quæstionibus Romanis. Habet & lectu digna Macrobius* Saturnaliorum primo, *& alij. Hesiodi de diebus sententia, ex ejus de ea re libello cuivis potest innotescere. Quod autem tertio supra versu legitur* ἀεὶ τρισὶ ἡμέραις, *ego,* post Solstitium, *verti: ut ostenderem, vel illud* ἀεὶ *latius, quam alioquin, sumendum: ut significet, haud diu post vel* μετὰ *(quod puto) scriptum fuisse. non enim ignorabit Quintilis mense medium fuisse: quod paulò infra, & in Problem. Rom. monet.*

Ibid. Vnam in Leuctris, alteram apud Geræstum.) *Locum exempla obscurum reddunt. Nihil Leuctricâ Epaminonda Thebanorum ducis de Lacedæmoniis victoria notius. De altera illa contra* Thessalos *& Lattamya, meminit Plutarchus noster in libello de improbitate Herodoti, aitque Thessalos, cùm Græciam ad Thespias usque occupassent, à Bœotis victos esse prælio, Lattamia (sic enim ibi scribitur) Thessalorum duce etiam interfecto: idque paulò ante pugnam ad Thermophylas factum ibi ostendit. Sané hac de re alibi nihil me legisse recordor. Herodotus in Vrania Phocensibus videtur hanc victoriam adscribere, iniquior aliàs etiam Bœotis, ut* Plutarchus *ibi docet. Sed in nostro, quem tractamus, loco, duæ voces sunt mihi mendo suspectæ,* Γερεστὸν *&* διαφθοῖς: *quarum altera Geographia videtur repugnare, alteram certa temporum ratio improbat. nisi fortè Gerastus etiam Bœotia locus est apud Thespias: nam Euboicus nihil huc facit. Cæterùm inter pugnam Thermopylensem (cui hac Thessalorum clades non multum antecessisse dicitur à Plutarcho) & Leuctricam Epaminondæ victoriam, anni* CVIII. *non plures inter venerunt, quod ex Pausania, Diodoro Siculo, Polybio, aliisq; auctoribus demonstrari facilè potest. Vt verum non sit, quod hic dicitur neque* διαφθοῖς *stare possit:* ἐνιαυτῶν *malim, ita ac verti, cujus fortasis nota ς à librario in sigma conversa, falsæ lectionis occasionem præbuerit, quod non hic modò, sed sæpe alibi commissum judico. Cætera historiæ nota sunt, de victis ad Marathonem à Miltiade, ad Plateas à Pausania, ad Mycalen à* Leotychida *& Xanthippo Atheniense, ac post ad Arbela ab Alexandro Magno Persis. neque opus est locos scriptorum indicare. Chabrias apud Naxum Spartanos vicit. Xenophon ad finem quinti* ἑλλ. *Diodorus libro decimoquinto, Plutarchus in vita Phocionis. ibidem de pugna ad Cratonem hoc est, bello Lamiaco: & Diodorus libro decimo octavo de Charonensi, libro decimosexto. Archidamus Agesilai filius fuit: meminit Plutarchus in Agidis initio, & in Laconicis Pausanias. & Diodorus Siculus libro decimosexto ostendit, eodem anno factum, quo hic Plutarchus affirmat. Vide huc etiam libellum*

*bellum Plutarchi de gloria bellica & sapientia Atheniensium, prope sub finem.*

Cap. 31. Sacra Pompa in honorem Bacchi ducitur.) *Hoc enim est* τὸν μυστικὸν ἴακχον ἐξάγειν, *vel* ἐξελαύνειν; *quæ pompa ab urbe Eleusinem ducebatur, ut in vita Phocionis hanc ipsam rem scribens Plutarchus docet. Meminit & aliàs non semel. Canebatur autem simul hymnus, qui & ipse Iachus dicitur. Vide Arrianum libro secundo de exped. Alexandri, ubi de Hercule Tyrio disputat. Porro non* Σκηπίων, *sed* Καπίων *legendum: & intelligendum est de Cæpione, ut alias ostendimus.* ἴακχος.

Cap. 33. Loco à doliis sit nomen.) *Vocatur enim* Doliola. *Pompeius Festus lib. 4. Paulò alia nominis origo à Varrone traditur lib. 4. de ling. Lat. sed Pompeius planè Plutarchum tuetur, & Livius Vrbem, in quam Vestales effugerant, Livius Cære nominat, unde* cæremonias *dictas Valerius autumat* 11. *Cæterùm Etruscos fuisse Græcanicos, alibi docuimus, & infra ipsa Roma, ex Heracl. Ponticо, urbs Græca dicitur.*

Cap. 38. Agros populati.) Τὼ χώρω ὑπαπασάμβροι. *quæ vox non congruit. Suspicor scriptum fuisse* πᾶσαν λησώμβροι, *aut aliquid simile.*

Cap. 40. Tiberim tranavit.) *Mirum dictu, quàm nullum aperti loci sensum Lapus extulerit.*

Cap. 45. Gladium attollentis.) κοπίδα δηρμάτα. κοπὶς *aliquando* securis *est, aliàs* gladius leviter curvatus, *falci similis*, ein Säbel oder Tuſäck. *Curtius libro octavo. Hic nihil erat periculi, utrũ poneretur. Pro gladio usurpavit infra in vita Aristidis, prælium Plataicum describens:* καὶ πρῶτος τὰς ξιφηλασίας ἐχώρησεν ἀπὸ δόρατος, ἀλλὰ ταῖς κοπίσι καὶ ταῖς ἀκινάκαις χρώμβροι. *Et in vita Alexandri Spithridatis Alexandro intentata* κοπὶς. *deinde a Clito in convivio* ξιφος *dicitur.* κοπὶς *autem aliud est, quod oratorem versutum significat, ac callidum: quod nomen in Hecuba Euripidea Vlysse tribuitur,* ποικιλόφρων κοπὶς. *& in Lycophronis Alexandra, ubi Zetes:* κοπὶς ὁ ῥήτωρ καὶ ἐμπειρος, ὁ ὑπὸ πολλῶν πεπαιμένων κεκρυμμένος. γίνεται ὃ καὶ ξύστατ. *in* ξ *Odyss. monet, antiquis* φλύαρον *sonasse.* Farris *ego vocem ex Livio posui, quod cur Romani* ἐπιχώριον, *usitatum scilicet in ista regione, dicerent, non memini alibi legisse.* κοπὶς.

Cap. 48. Sexaginta stadia progressus ad Gabinam.) *Livius habet, ad octavum lapidem Gabina via. In Græco est* Σαβινίων, *male pro* Γαβίνων. *Nam* ad miliare, *hoc est octo stadia, &* primum lapidem, *idem est: & Livijana summa quatuor stadiis, dimidio scilicet miliari, quam Plutarchiana, est major. Ita* supra nonaginta stadia *ad Alium processisse Romanos, dixit Plutarchus: Livius*, ad undecimũ lapidem *Romanos Gallis occurrisse, &c. quod spacium duobus à Plutarchiano stadiis superatur. Cicero* milliarium *eodem significatu dixit, ut in Bruto:* cùm plebs prope ripã Anienis ad tertium milliare cõsedisset. *De quare Liv. li. 2.* tria ab urbe millia passuum *dixit. Idem* quintum millia- *Miliare primum lapis, octo stadia.*

milliare *dixit, lib.6 ad Atticum.* τὸ μίλιον ὀκτὼ στάδιον ὀλίγον ἀποδεῖ, *inquit Plutarch in C. Graccho.*

Ibid. Paucis post Idus Quinctiles.) *Quo die ad Aliam pulsi sint Romani, video non satis convenire inter auctores. Livius initio sexti, & Cornelius Tacitus prope finem* XVIII. A.D. XV. *Kal Sextilis factum tradunt. Is mensis ejus dies erat decimus octavus. siquidem instituto Numæ Quinctilis* XXXI. *dies habuit. Dissentire ab his Macrobius lib. primi cap.18. Saturnalium, & Plutarchus in problamatibus videntur, qui Aliensem diem postriduanam faciunt: id est, pugnatum postridie Idus Quinctiles ajunt. Sed is dies mensis erat decimus sextus. Auctor libri de viris illustribus, habet* XVI. *Kal. August. (ita enim in Aldino legitur) id est, Iulij die decima septima: fortassis scripserat* XVII. *quod cum Macrobio consentiret. Equidem & Macrobius harum fuit rerum apprimé diligens, & nostro auctori hoc in genere plurimum docti tribuunt: & tamen gravissimus scriptor Livius, & nihilo minor Tacitus dissentiunt. Nam receptam lectionem (est enim ea in omnibus quos equidem viderim libris, etiam in Florentino* Tacito) *convellere, temerarius sit: eo magis: quod ipsos quoq; si hoc sensissent, postridie Idus Quinctiles scripturos fuisse probabile est. Iudicent doctiores. Ego satis habeo monuisse.*

Cap.52. Ad Martis tugurium.) *Sic est apud verbum* καλιάδα ἄρεως, *Latini* Saliorum curiam *appellant: ut Cic. lib.1. de Divinat.* Lituus *(inquit)* Romuli cùm situs esset in curia Saliorum eaque deflagrasset, inventus est integer.

πλινθίον. Ibid. Ad cœli regiones.) *In Græco est* πλινθίον, *ut & supra eadem de re in Romulo. Lapus mirificè id ad artificia & fundamenta detorsit: quasi verò* πλινθίον laterem coctum *significat, ac non potius* certam figuram: *quo modo etiam in re militari suum habet usum.*

Cap.53. Ad Marcium montem.) *apud Diodorum quoq; ad finem lib. decimi quarti, cùm hæc ipsa res describitur,* ἐν τῷ καλουμένῳ μαρκίῳ κατεστρατοπέδευσαν, *legitur. Livius,* Ad Metium *(pro* ad Marcium) *is* locus dicitur, *vitio librariorum habuit: quem locum hinc restituit Sigonius. Meminit & Suidas* Marcii montis, *in suo lexico. Quæ de* Philotide *sequitur narratio, est etiam in Romulo supra: ubi non* Tutula *est, sed* Tutola, *in Macrobianis libris* Tutela *etiam legitur. habet enim hoc libro primo cap.6. Saturnalium.*

Cap 60. Quinctius cap.) *Livius hunc magistrum equitum facit, dictatorem A. Cornelium Cossum.*

Cap.65. Satricum Coloniam.) *Sic est constanter apud Liv. hic* Σουτρίαν *est inculcatum ex superioribus. Ego Livium sequi, quàm mendum ab interpretibus retentum, malui: maximé cum historia non admittat.*

Cap.71. Anno post Romam captam XXIII.) *Est quidem in Græco* τρισκαίδεκα, *id est,* tredecimo, *quod & Amiotus retinuit.* Lapus tertio *habet, nisi librarius vocem* Decimo *omisit. Ex Livio, & ratione magistratuum à Plutarcho etiam annotatorum satis constat, vigesimo ter-*

*mo tertio legendum: & nota numerorum (Nam ne Græci quidem his carebant) multorum sunt mendorum causa.*

Cap. 72. Aemilius Mamercinus.) *Ita legi ex Livio (in L. prænomen addit) & iis quæ in Numa de Mamerco & Mamercino habentur, quod autem nostri Latinas una die auctas scribit: apud Livium est,* Vt ludi maximi fierent, & dies unus ad triduum adjiceretur. *Fortasse in Livio deest*, feriis Latinis: *alioqui ex horum locorum comparatione effici videretur, ludos maximos & ferias Latinas eandem rem esse. quod minimè puto concedendum.*

## PLVTARCHI PERICLES, GVILIELMO Xylandro, Augustano interprete.

I CVM peregrinos quosdam divites Romæ fortè vidisset Cæsar canum & simiarum catulos in gremis circumferre, iisque sese oblectare; percontatus est: Ecquid apud ipsos mulieres liberos non parerent. Digna mehercule principe vox, qua erroris admonuit eos, qui à natura inditos nobis affectus, quibus ad amorem hominum incitamur, in bestias absumerent. Verùm animo nostro non tantum discendi, spectandique aliquid innata est quædam cupiditas, (quam in canum etiam, simiarumque catulis animadvertimus) sed præterea ratio etiam, quæ eos reprehendat, qui ista cupiditate ad audiendas spectandasque res nullius precii abutantur, iis neglectis quæ pulchræ sunt, & conducibiles. Sensui quidem, cùm ab objecto quocunque afficiatur atque moveatur, forsitan necesse sit, omne id quod oculis offertur, sive inutile id sit, sive utile, apprehendere: intellectus autem ea est natura, ut quæ velit, possit contem- II plari, & ab iis, quæ non probat, sese nullo negotio avertere. Ergo ad contemplandum ea sunt deligenda, quorum consideratione mens ipsa quoque alatur. Vt enim oculis commodus est color floridus & elegans, qui dum videtur, simul ipsum etiam visum excusitat, atq; alit: ita intelligentia iis rebus considerandis adhibenda est, quæ cum delectatione simul ipsam etiam ad suum bonum appetendum provocent; nimirum ad virtutis actiones, quæ dum cognoscuntur, unà æmulationem quandam, ac studium imitandi in animis excitant. In cæteris sanè rebus non semper admirationem ejus, quod factum est, cupiditas idem efficiendi comitatur: & quidem plerunq; contra fit, ut, cùm opus laudemus, opificem contemnamus. Verbi gratia, unguentis & purpura, delectamur iis quidem: ad unguentarios & tinctores pro illiberalibus ac sordidis hominibus ducimus. Quapropter rectè Antisthenes cùm Ismeniam egregium tibicinem audiret prædicari: Atqui homo, inquit, est pravus: alioquin enim tantum in hac arte non præstaret. Philippus filio suo quod suaviter & artificiosè quodam in loco cecinisset fidibus: Non te, inquit, pudet, tam bellè citharam pulsare? Regi enim satis est tantum ocii sibi sumere,

*In eos qui rerum indignarum studio tenentur.*

mere, ut alios canentes audiat: multumque tribuit Musis, si spectatorem, aliis se horum certaminum præbeat. Qui verò ipsi in rebus vilibus elaborant, eo ipso testatum faciunt. se non magnam præclararum rerum curam gerere. Neque verò quisquam bonæ indolis adolescens, viso Olympiæ Iove, Phidias fieri cupiit. neque visa ea, quæ est Argis, Iunone, Polycletus: neque vel Anacreon, vel Philemon, vel Archilochus esse optavit, delectatus eorum carminibus. Non enim necesse est, cùm opus sit elegans, aut voluptatem afferat, ideo artificem quoque magni precii esse hominem. Quare hæc spectatori nihil prosunt, quę non ardorem quendam imitandi, studiumque idem efficiendi ingenerant. Verùm virtutis actiones eo modo IV
*Virtutis contemplatio.* afficiunt contemplantem, ut confestim & miretur eas, & auctorem imitari cupiat. Quippe bonorum, quæ fortuna nobis tribuit, possessionem ac perceptionem fructuum, virtutis verò actiones dili. imus: & ut illa nobis ab aliis præberi, ita his alios impertire volumus. Ipsa enim honestas ad se allicit, cupiditatemque agendi continuo injicit, spectatorisque animum non imitationi, sed cognitioni ipsius facti intentum, virtutis studio informat. Hæc nobis causa fuit, ut in eo opere, quo vitas illustrium virorum describimus, perseverandum duceremus. Hoc igitur decimo libro Periclis vitam & Fabii Maximi, ejus, qui contra Annibalem bellum gessit, complexi sumus: virorum cùm reliquarum virtutum respectu similium, tum mansuetudine in primis, ac justitia, & eo, quod ferendis populi collegarumque injuriis, patriæ plurimum utilitatis attulerunt.
*Periclis genus.* Quod an rectè ita putaverimus, ex historiis, quas modò perscribemus, judicare lector poterit. PERICLES è tribu Acamantide, cu- V
ria Cholargensis fuit, familia & genere claro ortus, quantum ad utrunque parentem attinet. Xanthippus enim, qui regios duces apud Mycalem devicit, Agaristam uxorem habuit, Clisthenis neptem: ejus, qui, Pisistrati successoribus urbe ejectis, tyrannidem præclare demolitus est, leges condidit, formamq; reip. ad concordiam & salutem optime temperatam condidit Hæc in somnis cùm visa sibi esset leonẽ parere, paucis post diebus Periclem edidit, forma reliqui corporis ea, in qua culpari posset nihil, capite tãtum oblongo, & inconcinno. Itaq; statuæ ejus ferè omnes galeatæ conspiciuntur, quod artifices id ei vitium exprobrare noluerint. Attici verò poetæ, *schinocephalum*, quasi caput scillæ simile habentem, vocaverunt. Et è Comicis, Cratinus hæc in fabula, cui Chirones nomen:

*Discordia, atq; temporis connubio*
*Prisci, tyrannus est satus ille maximus.*

Idemque in Nemesi:

*Cephalagereteς qui dicitur cœlestibus,*
*Veni hospitalis, ac beate Iuppiter**

Teleclides ait, aliquando, quid statueret de negociis incumbenti anxium *Sedisse in urbe, grauem caput vertigine.*
aliquando solum

*E ca-*

*E capite immensas sinuoso emittere turbas.*

Eupolis in Populis, percontans de uno quolibet oratorum, quos adduci ab inferis finxit, cum Pericles postremo loco esset nominatus, inquit:

*Quod hoc ab Orco nunc caput producitur?*

VI In Musicis plerique præceptorem fuisse Pericli Damonem (brevi priore hujus nominis syllaba) tradunt. Aristoteles Pythoclidem, Hic Damon, ut videtur, cùm esset summus sophista, ut suam vim & artem populum celaret, Musicæ professione eam texit: Pericli autem qui se ad certamina civilia accingebat, aliptæ loco, & magistri adfuit. Neque fefellit Damon lyræ prætextu utens: sed, ut homo magnas res moliens tyrannidisque studiosus, ostracismo Athenis ejectus, cavillandi materiam Comicis præbuit. Plato quidem fingit, eum à quodam ita interrogari: *Præceptores.*

*Non tu (precor primum hoc mihi respondeas)*
*Periclem, velut Chiron Achillem eduxeras?*

Auditor fuit Pericles etiam Zenonis Eleatæ, naturæ obscuritatem (quod idem profitebantur Parmenides) explicantis eo doctrinæ genere, quod in redarguendo versabatur, contrariarumque sententiarum propositione rem in summas explicandi difficultates adducebat. de quo est illud Timonis Phliasii:

*Magnaq; & haud fallax vis partem in utranq; diserti*
*Zenonis, cunctos soliti reprehendere———*

VII Verùm qui maximam cum Pericle consuetudinem habuit, maximeque fastum, & spiritus majores, quàm qui popularem oratorem decerent, in eo excitavit, omninoque ingenii ejus gravitatem ad altum evexit, Anaxagoras fuit Clazomenius. Hunc ejus ætatis homines *Mentis* cognomine affecerunt, sive admiratione ejus in rerum natura indaganda magnæ exactæq; perspicaciæ: sive quod is primus universi dispositionem, ordinemq; non ad Fortunam, aut Necessitatem retulit, sed mentem atq; simplicem ejus principium constituit, quæ confusis omnib. inter se rebus, similares partes secreverit. Hunc virum summopere admiratus Pericles, ab eoq; sublimi illo de magnis & arduis rebus dicendi genere impletus, nō animum modò elatum, orationemq; sublimem, neq; infectam plebeia & impostoria scurrilitate habuit: sed & in vultu gravitas ei aderat, in incessu lenitas, in vestitu mundities: in oratione nihil propter ullum affectum perturbabatur: vox composita, ac placida: deniq; id genus multa alia, qui- *Anaxagoras.* *Mores.*

VIII bus ingētem sui apud omnes admirationem excitabat. Aliquando etiam in foro conviciis & opprobriis impetitus à quodam impuro atque impudico homine, totum diem tacitus eum sustinuit, interim quod habebat negocii conficiens: Vesperi domum modestè abiit, illo comitante, & maledicentiæ nihil sibi reliquum faciente: & tamen Pericles, cùm jam se tenebræ noctis primæ intendissent, famulo suo mandavit, ut ei domum suam præluceret. Cæterùm Ion poeta Periclem in consuetudine superbum fuisse arrogantemq; ait, ipsius-

que

que jactantiam multo aliorum contemtu ac superbia permixtam: contra Cimonis in convictu suavitatem, gratiosamque comitatem laudat. Sed Ionem nos missum facimus, qui in virtute tragicam aliquam & satyricam, hoc est, inhumanam prorsus & rigidam disciplinam requisiverit. Eos autem qui Periclis gravitatem arrogantiæ & fastus nomine notabant, Zenon hortabatur, ut ipsi quoque ejusmodi arrogantiam sibi sumerent: scilicet eam simulationem occultè studium quoddam atque consuetudinem honestatis ingeneraturam. Non hos modò fructus suæ cum Anaxagora familiaritatis IX Pericles tulit, sed hunc etiam, quod liber ab ea superstitione evasit, qua hominum causas ignorantium naturæque rerum imperitorum animos ea quæ in aere fiunt miracula terrent, perturbantque, & sinistris de Diis opinionibus implicant. Hanc naturalium cognitio causarum pellit, locoque ejus securam pietatem, & spes bonas de numinibus creat. Ferunt aliquando allatum ex agro ad Periclem fuisse caput arietis cum unico cornu nati, & Lamponem quidem divinum, cùm id cornu solidum atque validum vidisset media de fronte enatum, dixisse: Futurum, ut, cum eo tempore duo in urbe principatum obtineant, Thucydides nimirum atque Pericles, ad eum, apud quem id signum sit, unum summa rerum devolveretur. Anaxagoram verò dissecta calvaria ostendisse, non totam eam cerebro repletam fuisse, sed id acutum ovi instar ex toto eo vase ad eam partem confluxisse, qua radices cornu habebant initium. Actum quidem in admiratione habitum Anaxagoram: paulò autem postea Lamponem etiam, cùm Thucydide fracto, omnes res populi in potestatem Periclis venerunt. Ego ita judico, nihil obstitisse, quo minus & Philosophus, & vates scopum attingerent, alter causam, alter finem rectè prospiciens. nam alteri quidem propositum erat speculari, quibus ex causis, & quomodo id factum esset: alteri prædicere propter quid ita extitisset, ac quid portendisset. Qui verò causa rei inventa putant effici, ut nihil illa designet, non intelligunt ii, se unà cum divinis istis signis etiam artificiosa indicia tollere: sonitus inquam discorum, ignium editorum fulgores, & gnomonum umbras, quæ omnia cum causa quadam constent atque parentur, tamen certi aliquid indicant. Verum hæc disputatio non est hujus loci. Pericles porrò adolescens dum esset, admodum metuit populum. XI Videbatur enim forma, Pisistratum tyrannum repræsentare, suavemque ejus vocem, linguæque in differendo volubilitatem & celeritatem similitudinis cum Pisistrato causa ii, qui magno jam admodum natu erant, suspiciebant: ad hæc divitiis præditus, genere illustri ortus, amicos potentissimos habebat. Itaque ostracismum timens, rempubl. ne attingebat quidem militiæ strenuum se, & in adeundis periculis fortè præbebat. Sed postquam Aristides vita decessit, Themistocles exsulatum abiit, Cimonem bella plerunq; extra Græciam detinuerunt: tibi demum populo se Pericles dedit, paucorumq; divitum causæ, multitudinis & pauperum res prætulit: cum quidem esset

*Philosophiæ naturalis utilitas.*

*Vt ad rempubl. accesserit Pericles.*

natura

natura minimè popularis. Enimverò metuens interim ne in ſuſpicionem affectatæ tyrannidis incurreret, videnſque Cimonem optimatum partibus ſtudere, ac ſummopere ab iis diligi: multitudinem demereri ſtatuit, ſecuritatis ſibi ac potentiæ adverſus illam paran-
XII dæ cauſa. Confeſtim etiam diverſam vitæ rationem inſtituit. Vnica enim via in urbe deinceps utebatur ea, quæ ad forum & curiam ducebat: convivia & omnem id genus comitatem atque convictum planè vitabat, adeo ut toto eo tempore quo in repub. verſatus eſt (quod fuit ſanè longum) ad nullius amicorum cœnam venerit: quin & ad nuptias Euryptolemi conſobrini cùm iviſſet, ſtatim libatione perfecta diſceſſit. Etenim ea vis eſt conſuetudinis cum amicis atque convictus, uti omnem majeſtatem deprimere valeat: & in familiaritatibus retineri gravitas, quæ ad gloriam requiritur, vix poteſt. At in eo, qui vera ſit virtute præditus, ea pulcerima videntur, quæ maximè apparent: neque quicquam in viro bono tantopere exteri mirantur, quantum domeſtici quotidianam vitæ ratio-
XIII nem. Quinetiam veritus, ne continua præſentia ſua ſatietatem ſui apud populum gigneret, quaſi per intervalla in concionem venit, non quacunque re oblata orationem habens, neque ſemper ad multitudinem progrediens: ſed tum demum ſui copiam faciens, cùm magna aliqua res operam ipſius requireret (id quod de Salaminia triremi Critolaus narrat) reliqua amicis, & ſociis oratoribus ſubmiſſis expediebat. Horum è numero fuiſſe memorant Ephialten, qui poteſtate ſenatus Areopagitici abolita, civibus (ut eſt apud Platonem) nimiam atque meram libertatem propinavit; cujus quaſi ebrietate quadam populum luxuriaſſe Comici ſcribunt, ac noluiſ-
XIV ſe præterea obedire magiſtratibus, ſed equi inſtar frænum excutientis, Eubœam mordicus impetiiſſe, & inſulis inſultaſſe. Præterea Pericles orationem inſtituto vitæ ſuæ animique magnitudini conſentaneam, inſtrumenti loco ſibi paravit, in qua ſæpius Anaxagoreum aliquid condimenti loco admiſcuit, philoſophiam ejus oratoria arte quaſi tingens. Nam, ut divinus Plato dicit, ad bonitatem naturæ ſapientiam quoque ſublimen, vimque propoſiti obtinendi è philoſophia addidit: quodque in ea erat utile, tranſtulit ad artem dicendi. qua re effectum eſt, ut longè omnibus aliis præſta-
XV ret. Vnde & Olympii cognomentum invenit: quanquam id alii ab ornamentis, quibus urbem decoravit, alii ab efficacitate ejus domi militiæque demonſtrata, tractum cenſeant, neque quicquam impedit, quin id tituli ei propter varias ſuas virtutes obtigiſſe dicamus. Ex comœdiis, quas qui docuerunt eo tempore, multa ſeriò, multa per jocum de eo dixerunt; apparet propter orationem potiſſimum id ei cognomentum factum. Hæc enim de eo habent. In concionibus eum tonare ac fulgurare, horribile fulmen in lingua ferre. Memoratur etiam Thucydidis Mileſii dictum de vi dicendi Periclis jocoſum. Fuit is Thucydides ex optimatibus, ac diu admodum Pericli in republica reſtitit. Is interroganti Archidamo

*Nimia familiaritas contemptum parit.*

*Facundia Periclis.*

*Olympii cognomen.*

Lacedæmoniorum regi, uter ipsorum lucta præstaret, Periclesne an Thucydides: Ego, inquit, cùm Periclem luctando dejicio, ille contra se non cecidisse dicens, vincit; iisque qui viderunt, ita, ut ipse, dicit, rem habere persuadet. Enimverò Pericles ipse in dicendo cautus fuit, ac quoties ad tribunal dicendi causa accederet, comprecatus est Deos, ne quod sibi præter suam voluntatẽ verbum excideret, quod ad rem propositam non faceret. Scriptum nihil reliquit, exceptis decretis. Memoria feruntur pauca quædam ejus dicta. quale est, cùm jussit Aeginam, tanquam oculis Peiræei officientem, auferri; & bellũ se videre dixit à Peloponneso ingruere, Sophocli in prætura collegæ suo, cùm quodam tempore simul navigarent, puerum pulcrum laudanti: ô Sophocles, inquit, non manus modò, sed & oculos prætoris abstinentes esse decet. Stesimbrotus refert, eum cùm in Samo mortuos pro tribunali laudaret, dixisse: Immortales eos esse factos, ac deorum similes: ut enim hos non videant homines, sed ex honoribus tantum ac bonis eorum, esse judicent immortales: ita his quoque evenisse, uti pro patria occubuerint. Cæterùm quoniam quidem Thucydides historicus reipublicæ formam à Pericle institutã talem describit, in qua penes optimates summa rerum, & ubi verbo quidem populare, reipsa unius principis viri fuerit imperiũ: ac quando sunt, qui asserant, primùm sub Pericle populũ, cùm ante temperanter vixisset, ac suis quisq; laboribus terram coluisset, ad divisionem agrorum, ac pecuniæ publicæ (quæ à spectaculis, quibus impendebantur, *theorica* dicuntur) mercediq; distributionem, & ad luxum intemperantiamq; traductum fuisse: operæ preciũ fuerit causam hujus mutationis ex ipsis rebus perspicere. Pericles, uti exposuimus, initio gloriæ Cimonis adversarium se objiciens, demeritus fuerat populũ. Cæterùm victus Cimonis divitiis atq; pecuniis, quibus ille ad opem pauperibus ferendam utebatur, cœnam Athenienſiũ unicuilibet, qui vellet, quotidie præbens, seniores vestiens, prædiorũ etiam suorum sepes destruens, ut omnibus poma carpendi libera pateret facultas. His in populũ gratis ejus institutis superatus Pericles, ad publicorũ bonorum divisionem animum adjecit, usus (ut Aristoteles autor est) consilio Damonidis Oensis. Itaq; celeriter capturis ex ærario, præmiis judiciorũ, aliisq; mercedibus & emolumentis multitudine illecta, & ad suam causam adjuncta, usus est ejus opera contra senatũ Areopagiticum: in quo ipse non erat, quod neque archon, neque thesmotheta, neq; rex sacrorũ, neq; polemarchus sorte erat lectus. nam hi magistratus sorte antiquitus obveniebant: ac qui se in iis obeundis probassent, ii in senatum Areopagiticum cooptabantur. Cæterùm populi auxilio Pericles senatũ istum factione sua vicit, effecitq; opera Ephialtis, ut ei major pars judiciorũ adimeretur: Cimonq; tanquam Lacedæmoniorũ fautor, & infensus populo, ostracismo urbe exigeretur: qui & divitiis & genere nemini secundus, victorias de barbaris pulcerrimas reportaverat, urbemq; magna pecuniæ & spoliorũ copia repleverat, ut

*Dicta aliquot Periclis.*

*Institutio resp. eius.*

*Areopagi autoritas imminuta. Cimonis exilium.*

XVI

XVII

XVIII

XIX

XX

XXI

XXII

repleverat, ut in ejus vita scripsimus. Tantum favore populi poterat Pericles. Cæterùm ostraciſmo pulſis, decennii ſpacio exſulium ter-

XIX minatur. Interea verò temporis cùm Lacedæmonii magno cum exercitu in Tanagræorũ regionem irrupiſſent: Athenienſeſq; ſtatim obviã iis tenderent: Cimon ab exilio veniens, inter tribules ſuos in acie ſtare voluit, ac re ipſa ſuſpicionem inclinatæ ad Spartanos voluntatis abolere: ſed amici Periclis facta coitione, eum, ut exſulem, repulerunt. In eo itaq; prœlio acerrimè dimicavit Pericles, coramq; omnibus ſuam in ſubeundis periculis fortitudinẽ demonſtravit occubuerunt autem omnes amici Cimonis, quibus idem à Pericle erat intentatũ crimen. Athenienſes verò gravis pœnitentia, deſiderium-que Cimonis inceſſit, victos in ipſis Atticæ limitibus, graveq; ad proximũ ver bellum expectantes. Quod ut ſenſit Pericles, haud cũctanter in gratiam populi decretũ fecit, eoq; Cimonẽ ab exſulio revocavit: iſq; reverſus pacem inter Athenienſes atq; Lacedæmonios compoſuit. quorũ hos ſui ſtudioſos, Pericli, aliisq; popularib. oratoribus infenſos habebat. Sunt qui ſcribant, non ante reditũ Cimoni à Pericle decretum, quàm opera Elpinicæ ſororis Cimonis inter eos fuiſſent arcana pacta inita, in hanc ſententiam, ut Cimon acceptis navibus ducentis abiret, ac foris rem gereret, ditionemq; regis ſubigeret: Pericles autem rebus urbanis præeſſet. Creditũ eſt ante quoque Periclem Cimoni, cùm is rei capitalis poſtularetur, mitiorem redditum precib. Elpinicæ, cùm quidẽ ipſe inter alios eum accuſare eſſet à populo juſſus: venientique ad ſe Elpinicæ ac deprecanti, reſpondiſſe ferunt: ô Elpinice, major natu es, quàm ut tantam rem debeas agere: veruntamẽ eum ſemel tantũ, ut mandato populi ſatisfaceret, ad verba cõtra Cimonẽ facienda ſurrexiſſe, atq; ita diſceſſiſſe,

XXI ut minimè omniũ accuſatorũ Cimonẽ ipſe læſerit. Quî ergo fidem mereatur Idomeneus, Periclem culpans, quod is Ephialtẽ amicum ſuum, atq; ejusdem in rep. factionis, æmulatione invidiaque gloriæ adductus per fraudem necaverit? Hæc enim ita virulenta neſcio unde collecta, ei viro objicit: qui ut fortaſſe non fuit extra omnem reprehenſionẽ poſitus, generoſa tamen animi ejus altitudo, ingeniũque liberale nihil tam crudele ac ferũ potuit admittere. Verùm Ariſtoteles autor eſt, ephialti, quod eſſet iis qui paucorũ in rep. principatui ſtudebant, formidabilis, inque eorum qui plebẽ læſiſſent criminib. deferendis, accuſandiſque nimis rigidus. inimicos inſidias

XXII ſtruxiſſe, opera Ariſtodici Tanagræi, ac clam occidiſſe. Secundùm hæc cùm Cimon bellum gerens in Cypro diem ſuum obiiſſet, optimates jam ante Periclẽ civium potentiſſimum factum videntes, cupientes tamẽ aliquẽ ei opponere, vimq; in rep. ejus quodammodo debilitare, ne palam penes unum omnis rerum eſſet poteſtas, adverſarium ei conſtituerunt Thucydidẽ Alopecenſem. erat is vir moderatus, atq; affinis Cimonis, minus quidẽ bello atq; Cimon præſtans, ſed in foro ac republica verſatus: iſq; ſe in urbe continens, apud tribunal cum Pericle contendebat, ſtatimque factionem in republica

*Pugna ad Tanagram.*

*Cimonis reditus.*

*Ephialtis interitus.*

*Thucydides Pericli oppoſitus.*

Periclea non imparem excitavit. Non enim passus est optimates plebi admixtos, interque vulgos hominum dispersos esse, sicut tum erant, eoque suam amiserant dignitatem: sed segregavit eos à plebe, ac in unum corpus seorsim compegit, ut jam conjuncta eorum potentia quasi in libra contra popularem posita momentum efficeret. Etenim antiquæ illæ simultates horum ordinum, indicium XXIII modo, veluti in ferro, ruptura imminente, notæ obscuræ divulsionem antecedunt, diversarum sectarum, quarum altera popularem, altera optimatum potentiam præferret, ostendebant: sed horum duorum contentio virorum, penitus civitatem in duas partes dissecuit, quarum altera *Populus*, altera *Pauci* diceretur. Ideo tum maximè fræna populo laxavit Pericles, & gratiam ejus captavit in actionibus suis, subinde spectaculum aliquod solenne, aut epulum, aut pompam in urbe instituens, & non inelegantibus voluptatibus cives demulcens. Sexaginta quoque triremes quotannis emisit, in quibus navigabat magnus numerus civium octo minarum mercede conductorum: hique simul & exercebant rem nauticam, & discebant. Præterea colonos emisit mille in Chersonesum, quingentos in Naxum, ducentos ac quinquaginta in Andrum, in Thraciam alios mille, qui cum Bisaltis habitarent, alios in Italiam ad inhabitandam, quæ tum condebatur Sybarim, quam Thurios nominarunt. Hæc agebat, ut ociosa, ob idque inquieta turba urbem levaret, inopiæ populi succurreret, socios in custodia metuque ne quid novi molirentur additis colonis retineret. Cæterùm apparatus do- XXIV nariorum, quibus Athenas exornavit, tale fuit factum, quod & summæ voluptati decorique esset urbi, & maximam apud alios admirationem excitaret, uniceque testificaretur, non esse ea conficta, quæ de potentia Græciæ pristinisque divitiis referuntur. Huic autem ejus facto maximè inviderunt adversarii, idque traduxerunt in concionibus, clamantes, Populum Athenienſem infamia laborare ac male audire, quod communes Græciæ opes Athenas è Delo transtulisset. cùm quidem Pericles eam excusationem rei, quæ videretur in speciem honestissima, scilicet metuentem se, ne à barbaris inde auferrentur, communia bona voluisse loco munito custodire, ipse refelliſſet. Ac profectò, dicebant, videtur Græcis ingens contumelia illata, iique palam tyrannide à nobis premi, cùm quæ illi necessitate impulsi ad bellum gerendum conferunt stipendia, his cernant nos abuti ad exornandam, atque inaurandam nostram urbem: cui tanquam impudicæ mulieri appendimus lapides preciosos, addimus simulacra, & templa multis talentorum millibus constantia. Contra hæc Pericles docuit populum, non teneri Athenienses ad XXV rationem pecuniæ acceptæ à confœderatis reddendam, pro quibus ipsi bellum gererent, barbarosque arcerent, iis non equos, non naves, non milites, pecuniam modò conferentibus quæ utique non dantis sint, sed accipientis, siquidem is illud, cujus gratia datur, præstet. Porro autem urbe jam ad bellum satis munita, rebusque ne-

*Colonia Athenienſium.*

*Ornamenta Athenis à Pericle confecta.*

cessa-

cessariis instructa, divitias in eam esse impendendas rem, qua & urbi gloriam sit allatura perpetuam, & effici cum summo civium bono facilè possit. Scilicet ad eam absolvendam usum fore omnis generis artium atque operarum: quo fore, ut & omnes artes excitentur, & omnium manus labore occupentur, totaque propemodum civitas mercedem inde accipiat, iisdemq; rebus simul & exornetur, & alatur. Etenim eo tempore ii, quorum erat valida ætas, integræque vires, militiæ publicis stipendiis alebantur. Reliquam incompositam, studiisque illiberalibus deditam turbam, Pericles cùm neque expertem lucri esse, neque ei mercedem ocianti dare vellet, civibus autor fuit ac dictavit magna opera, ad quæ absolvenda cùm omnis generis artifices, tum longum tempus requireretur: ut jam iis qui in urbe manerent non minor occasio esset ex publica pecunia partem capiendi, quàm iis qui navigabant, in præsidiis e-
XXVI rant, aut militabant. Nimirum materia eorum operum requirebatur, lapis, æs, ebur, aurum, ebenus, cupressus: deinde artifices, qui in ea elaborarent, materiaque opus conficerent, fabri, figuli, ærarii, lapicidæ, infectores, aurifabri, sculptores eboris, pictores, phrygiones, tornatores: item qui materiam adveherent, in mari mercatores, nautæ, gubernatores: in terra fabri carpentarii, ii qui equos ad currus trahendos alunt, aurigæ, restiones, textores, sutores, viarum paratores, metallorum fossores: sub unaqualibet artium, tanquam suo duce, erat exercitus suus hominum privatorum, ac mercedis causa operas locantium, tanquam instrumentum & corpus, quo ars suum opus perficeret. Ita hæ operæ ad omnem fere ætatem ac se-
XXVII xum differebant atque dispergebant capturas. Progredientibus operibus mole quidem superbis, forma autem & elegantia imitationem omnem superantibus, cùm ipsi opifices certatim hoc agerent, ut artificio alter alterum vinceret: tamen, celeritas maximè miraculo fuit: quæ enim singuli putabant vix multis ætatibus absolutum iri, ea omnia eo tempore, quo Pericles in republica principatum tenuit, ad finem perducta sunt. Ferunt sanè quodam tempore, Agatarcho pictori jactanti se, quod facilè & celeriter sua animalia pingeret, Zeuxin dixisse, sua se multo tempore elaborare. id videlicet innuens, facilitate & celeritate in efficiendo, neque diuturnitatem, neque perfectam pulcritudinem operibus conciliari; at tempus ad elaborandum opus mutuò quod sumitur, ipsius operis absoluti firmitate persolvi. Quo majorem Periclis opera admirationem merentur, quæ parvo temporis spacio effecta, diutissimè durarunt: nam propter elegantiam formæ, unumquodlibet eorum jam tum antiquum videbatur: vigor autem is inerat, ut hodie quoque singula nova, recensque facta videantur, adeo floret in iis operibus novitas quædam, cujus formæ nulla ætas officere possit, atque
XXV ineſt quasi perpetuo virens quædam & senectæ expers anima. O-
III mnibus his operibus præfuit Phidias: quanquam singula sunt à præstantissimis artificibus elaborata. Parthenonem Hecatompe *Parthenon.*

dum (*Virginis templum, centum pedes undique patens* Latinè dixeris) Callicrates & Ictinus ædificarunt. Templum Eleusine, cui à sacris *Telesterium* nomen, Corœbus inchoavit, columnasque inferiores errexit, & epistyliis junxit: mortuo eo, Metagines Xypetius septum, & columnas superiores addidit: fastigium fenestræ adyti Xenocles Cholargeus adjecit: Longum murum, de quo Socrates se ait audivisse ad populum referentem Periclem, Callicrates faciendum conduxit. Cratinus id opus, ut tardè perfectum, in comœdia subsannat, his verbis:

*Diu Pericles illud jam verbis movet,*
*Sed ipsa re nihil promovet.*

*Odeum.* Odeum intus multis sedilibus ac columnis distinctum, tecto autem declivi, & uno fastigio clauso contentum, dicunt effigiem esse & exemplum regii tabernaculi; ipsum quoque operatum rectore Pericle conditum. Itaque alius Cratini in eum jocus est in Threissis:

*Scyllæ caput similis Pericles huc adest,*
*Odeum habens in capite, situato ostraco.*

Tum quoque primum Pericles magnificentiæ ostentandæ causa, XXIX
*Musica certamina.* Musica certamina Panathenæo festo haberi jussit: ipseque iis præfectus demonstravit, quomodo qui certarent, tibia, voce, vel fidibus canere deberent. Spectata sunt & tum temporis & alias ea certamina
*Propylæa.* in Odeo. Vestibulũ arcis quinquennio extruxit Mnesicles. Mirus autem casus evenit inter ædificandũ, qui indicavit, Deam non abhorrere ab eo opere, sed id quo melius perficeretur auxilio esse. Qui enim inter omnes fabros diligentissimus atque laboriosissimus habebatur, is de sublimi loco decidit, graviterq; eo casu afflictus, & à medicis pro deplorato relictus est. Pericli autẽ propterea mœsto, Minerva in somnis apparuit, medicinamq; edocuit, qua usus, celeriter & non magno labore hominem sanitati restituit. Atque iccirco Hygiæ (hoc est salutaris) Minervæ simulacrũ æreum statuit in arce ad aram, quæ erat (ut perhibent) jam ante posita. Divæ aureum signum fabricatus est Phidias, inq; columna se ejus autorẽ inscripsit: omnia autem in ipso posita erant, & (quemadmodũ retuli) omnib præerat
*Calumnia de Phidia, & Pericle.* artificibus, propter amicitiam Periclis. Atq; hæc res alterum invi- XXX diæ, alterùm calumniis objecit; ferebaturq; Phidias excipere liberas mulieres, quæ ad opus faciendum ventitabant, quibus Pericles deinde abuteretur. Arripuerunt eum sermonem Comici, multisque convitiis Periclem insectati sunt, qui cum Menippi amici sui ac legati uxore rem haberet: & Pyrilampem propter avium nutritionem exagitarunt, quod is amicus Periclis, mulieribus, qubuscum hic consuetudinem stupri habebat, pavones submitteret. Quanquam quid attinet admirari homines instituto vitæ Satyricos, quiq; obtrectationes potentiũ invidiæ vulgi, tanquam malo alicui genio, consecrare solerent? quando Stesimbrotus etiam Thasius incestum Periclis cum filii uxore ausus fuit comminisci. Adeò difficilis investigatu res est historia vera, cùm posterioribus præteritum tempus cognitio-

gnitionem rerum præripiat: qui verò æquales sunt ejus, cujus vitam aut acta describunt, ii partim invidia odioq; partim gratifican-
XXXI di studio & adulatione corrupti, veritati officiant. Cùm oratores, qui Thucydidis sectæ erant, frequenter contra Periclem clamitarent, profundi ab eo pecunias, & accidi reditus publicos: percontatus est populum in concione, an magnos sumtus factos putarent: affirmantibus ingentes factos. Non igitur, inquit, vestra hæc sint impendia, sed mea, atque ego donariis meum nomen inscribam. Quod cùm dixisset, populus sive magnificentiam ejus admiratus, sive ambitione ductus, ne operum splendori succumbere videretur, sublato clamore, jussit, ut de publico impenderet, neq; ulli rei parceret. Ad extremum in certamen de ostracismo descendens contra Thucydidem, vicit, eoque ejecto, adversam factionem evertit. Proinde omni rixa sublata, civitateque ad concordiam reducta, cùm planè in suam redegisset potestatem Athenas, resq; ab illis pendentes, nimirum reditus, exercitus, triremes, insulas, mare, magnamque potentiam & principatum partim apud Græcos, partim apud barbaros valentem, subditisq; gentibus, amicitiis regum, ac fœderibus regulorum munitum: cœpit minus jam se populo obsequentem præbere: neque ita (ut ante) facilè quavis aura populari impelli: sed laxam illam atque nonnihil lasciviam popularem ratione, tanquam
XXXII mollem atque floridam harmoniam intendere, ut principatum in Repub. optimatium. & regni quiddam simile efficeret. Se quidem ipsum ad optimam Reipublicæ formam rectum inculpatumque accommodavit: populum autem plerunq; persuadendo docendoque, nonnunquam etiam invitũ eò adegit, ut communi utilitati obtemperaret. Eaque mihi in re medicos videtur imitatus, qui in morbo vario ac diuturno curando, quandoq; moderatam voluptatem afferentia, quandoque mordicantia & violenta remedia adhibent. Nam Pericles quidẽ, homo unicè natus ad tractandos eos animorum motus atque impetus, quos omnis generis existere in hominum multitudine tantam dominationem possidente consentaneum est, præsertim ferociam, & languorem spe & metu subinde injecto, tanquam gubernaculis temperans, illamq; reprimens, hunc mulcens laxando, atque consolans, ostendit oratoriam artem esse (ut est à Platone nominata) facultatem animios hominum ducendi, maximamque ejus partem versari in ratione ac via affectus humanos cùm quietiores, tum incitatiores regendi; qui cùm sint tanquã nervi ac soni quí-
XXX III dam animi, concinnè admodum pulsari tractarique volunt. Atque ut hoc posset Pericles, non vis nuda dicendi præstitit, sed (quod testatur Thucydides) gloria vitæ autoritasq; hujus viri, quẽ constabat nulla dona accipere, nulla pecunia corrumpi posse: qui cùm urbem magnam ante ad summum fastigium, maximasq; divitias evexisset, potentiaque multis regibus tyrannisq; præstaret, opes tamen, quod quidam filiorum causa faciunt, ne denario quidem ampliores reliquit, quàm à patre acceperat. Ac potentia quidẽ ejus quãta fuerit, à

*Thucydides urne ejicitur.*

*Mutat Pericles suum institutum.*

Thucydide est perspicue traditum. Comici autem malignè eam notant, sociis ejus Pisistraditarum novorum nomen facientes : & ipsum juramento adactum, ne tyrannidem invadere vellet, fingunt: quod excellentia ejus gravior esset, quàm cui cum populari imperio convenire posset. Teleclides potestati ejus scribit ab Atheniensibus permissos reditus, permissum quoque ut urbes suo arbitrio aut conderet aut demoliretur, mœnia lapidea ædificaret : vel destrueret, in manu ejus posita fuisse fœdera, potentiam, vires, pacem, felicitatemque. Neque verò ad tempus hæc ei, aut fervore voluXXX
*Diuturnitas potentiæ Periclis.* tatis, studiove gratificandi tributa sunt, vigentibus initio ejus in IV
tractanda rep. consiliis. Nam quadraginta totos annos primas partes obtinuit, cùm essent in eadem civitate Ephialtes, Leocrates, Myronides, Cimon, Tolmidas, Thucydides : expulso Thucydide, non pauciores quindecim annos rem tenuit. Idem cùm magistratum annuum adeptus esset, invictum se à pecunia præstitit: alioquin non negligens omninò rei familiaris. Nam bona paterna, quæ justo titulo possidebat: cùm neque injuria dilabi pateretur, neque iis tractandis multum sibi negocii molestiæque exhiberi vellet, eam domesticæ rei rationem iniit, quam & expeditissimam & certissimam putabat. ita ut omnes annuos fructus venderet simul quo*Res familiaris.* tannis, quæ autem ad victum & rem familiarem erant necessaria, singula in foro quovis tempore emeret. Ea ratio neque pubescentibus filiis grata erat, neque largum præbitorem eum mulieres habebant: reprehendebantque istam impensarum rationem indies, & accurato calculo computatam, cùm in magna familia & opibus splendidis nihil abundaret, sed omnes sumtus, omnes reditus ad certum numerum mensuramque revocarentur. Totam autem rem XXXV
familiarem accuratissimè administrabat Evangulus famulus, sive natura, sive institutione Periclis ad id negocium ita egregiè paratus, ut nemo quisquam. Hæc omnia erant ab Anaxagoræ philosophia aliena: si tamen verum est, eum domo sua abiisse, agrumque ociosum pecoribus pascendum reliquisse, furore quodam animi divino, ac elatione impulsum. Quanquam, mea sententia, non eadem ratio est vitæ ejus qui in contemplando solum, & ejus qui in repub. versatur. Alter enim mentis agitationem, nullius instrumenti rerumque extra se positarum adminiculo indigentem, pulcris rebus adhibet: ei autem, qui virtutem usibus hominum applicat, non in rebus modò necessariis, sed etiam bonis divitiæ quandoque sunt habendæ. & ita res habebat in Pericle, qui multis paupe*Anaxagoras à Pericle neglectus.* ribus opem ferebat. Sanè hoc quoque memoriæ proditum est, Anaxagoram à Pericle occupationibus distracto neglectum, magno jam natu, corpore obvelato jacuisse, ac decrevisse vitam inedia finire: Periclem, ut ei rumor hac de re acciderit, tertium accurrisse ad hominem, summisque ab eo precibus contendisse, uti sententiam deponeret, misereturque si non sui ipsius, at Periclis, cui tantum consiliarium adimeret: tum Anaxagoram reducta veste dixisse, ô Pericles,

xxx ricles, qui lucernâ opus habent, oleum ei affundunt. Cùm jam
vi Lacedæmonii inciperent auctus Athenienſium iniquo animo ferre, populum Pericles excitavit, autorque fuit, ut magnos ſibi ſpiritus ſumerent, ac magnas ſibi res arrogarent. Itaque decretum fecit, quo poſtulabat, ut omnes Græci ubicunque ii locorum in Europa, Aſiave habitarent, omnes urbes, cum magnæ tum parvæ, Athenas mitterent legatos: deliberandum eſſe de templis Græciæ barbarico incendio abolitis, de ſacrificiis, quæ diis pro ſalute Græciæ vota in prœlio contra barbaros nondum erant ſoluta; de mari, quomodo id ab omnibus navigari tutò, ac pax conſtare poſſet. Hujus rei exſequendæ cauſa miſſi ſunt viri XX. ex his qui ætatis annum quinquageſimum exceſſerant: quinque, ut hortarentur ad hoc Ionas, ac Dorienſes eos, qui in Aſia habitarent, inſulatumque ad Lesbum uſque & Rhodum incolas: totidem qui per Helleſpontum Thraciamque Byzantium uſque mandatum deferrent: quinque in Bœotiam, Phocidem, Peloponneſum, inde per Locros, continentemq; finitimam, uſque ad Acarnaniam & Ambraciam: totidem dimiſſi per Eubœam, ad Oetæ accolas, ſinum Maliacum, Phthiotas, Achivos, & Theſſalos, qui perſuaderent iis, ut venirent ad conſilium de pace ac ſocietate univerſæ Græciæ capiendum. Perfectum tamen eſt nihil, Lacedæmoniis (ut fertur) repugnantibus primumque in Peloponneſo quid ſibi hic conatus vellet, deprehenſo. Adducta autem hæc ſunt à
xxxv me, ut magnitudinem animi ejus viri demonſtrarem. In militaribus imperiis eo potiſſimum nomine laudatus eſt, quod ſecuritati
ii ſtuderet, ac neque pugnam confereret incerto eventu, & periculis multis propoſitis: neque imitaretur eos duces, qui cum temerè in diſcrimen pugnæ rem adduxiſſent, proſpero uſi ſucceſſu, magni habebantur. ſolitus etiam crebrò ad cives ſuos dicere, quantum in ſe poſitum eſſet, ipſos nunquam morituros. Cùm autem videret, Tolmidam Tolmæi filium elatum gloria prioris fortunæ, ac honore, qui ob rem bellicam ei eximius habebatur, alieno tempore in Bœotiam moliri expeditionem, ac perſuaſiſſe optimo cuivis atque laudis cupidiſſimo eorum qui militari erant ætate, ut voluntariam militiam ſubirent: eaque ratione mille viros, præter reliquũ exercitum jam conciviſſe: conatus eſt eum retinere, monuitque apud populum eo dicto, quod vulgatum deinde eſt: Eum, ſi omnino Pericli obtemperare nollet, tamen non malefacturum, ſi tempus, qui omnium conſiliariorum eſt optimus, præſtoletur. Id quidem dictum mediocri cum applauſu acceptum fuit. Sed paucis poſt diebus annunciato, Tolmidam prœlio apud Coroneam victum occubuiſſe, cecidiſſe etiam multos atque egregios cives, Pericli magnam id gloriam benevolentiamque conciliavit, ut viro prudenti, ac civium amanti. Inter res ejus bello geſtas Cherroneſiaca fuit gra-
xxxv iii ta, quod eo facto Græcis apud Cherroneſum habitantibus ſalutem attulit: Non enim tantum mille Athenienſibus eo in colonias deductis, bonis viris urbes roboravit; ſed etiam Iſthmum ab uno mari

*Periclis decretum de concilio.*

*Ratio ejus in bellis gerendis.*

*Tempus.*

*Res geſtæ Periclis bellicæ.*

ad alterum munitionibus ac propugnaculis sepsit, atque ita Thracum Cherroneso circumfusorũ incursiones arcuit, bellumque continens & grave exclusit, quo ea regio nunquã non urgebatur, latrociniis propinquorum ac finitimorum barbarorum vexata. Admirationi fuit apud exteros, & omni sermone celebratum, quod centum triremibus avectus Pagis (quæ est urbs Megarica) Peloponnesum circumnavigavit. Non enim solùm maritimas urbes (ut ante eum Tolmidas) vexavit, sed & longè à mari cum suis classiariis militibus progressus, ad quos accederet omnes suo adventu perterrefecit, atq; intra muros compulit. Nemeæ autem Sicyonios congredi ausos fudit, ac trophæum erexit. Inde ex Achaia, quæ erat confœderata, militibus in triremes assumtis, classe oppositam continentem petiit, prætervectusq; Acheloum, in Acarnaniam incursiones fecit: Oeniadisq; habitatoribus intra muros compulsis vastato agro, domum versus cursum instituit: cùm & hostibus terrorẽ injecisset, & cives rebene gesta incolumes reduceret, ne fortuito quidẽ ullo malo afflictos. Post cum magna splendidéq; ornata classe in Pontũ vectus, Græcis urbibus, ea, quæ petierant, confecit, humaniterq; cum eis egit: vicinis autem circum barbaris populis, eorumq; regibus & principibus ostendit magnitudinem suarum virium ac securitatem, cùm audacter, quocunque libitum esset, navigaret, & totum mare in sua potestate haberet. Sinopensibus ad oppugnandum tyrannum Timesilaum tredecim naves, præfectumq; earum Lamachum reliquit: cumq; is cum sua factione urbe excidisset, decretum fecit, ut Athenienses sexcenti, quibus ultrò ita placuisset, Sinopem navigarent, ibiq; habitarent, divisis inter se domibus & agro, quem tyranni prius possederant. Reliquis in rebus nequaquam obsecutus est cupiditati civium, neq; eorum se impetui comitẽ præbuit, cùm jam robore suo atq; fortuna adeo animos efferrent, ut de Ægypto iterum tentanda, invadendisq; maritimis regis urbibus cogitarent. Multos quoque jam tum infelix illa Siciliæ cupido incesserat, quam postea temporis Alcibiades cum suæ factionis oratoribus inflammavit. Somniabant etiam Etruriam nonnulli & Carthaginem: &, ut sperarent aliquid, potentiæ præsentis moles, succedsusq; rerũ secundus faciebat. At verò Pericles eum ardorẽ repressit, nimiamq; cupiditatẽ inhibuit, & majorẽ potentiæ partem ad custodienda ea tutò, quæ tum adepti essent, convenerit: quippe cui magnũ videbatur, coerceri posse Spartanos. His enim protinus se adversariũ præbuit, quod cùm aliàs, tum bello sacro demonstravit. Cùm enim Lacedæmonii ducto ad Delphos exercitu, templum Phocensibus, qui tum tenebant, ademtum Delphis reddidissent: statim post eorum discessum Pericles eodẽ cum copiis profectus, Phocenses restituit. Cumq; Lacedæmonii oraculi prærogativã ipsis à Delphis datã in ærei lupi frontẽ incidissent, ipse quoq; oraculi prærogativã Athenien sib. impetratam, in dextrũ ejusdẽ lupi latus insculpsit. Enimvero rectè ab eo factum fuisse, quod vires Athenien siũ in Græcia continuit, testatũ fecerunt

XXX IX

*Cupiditates populi inhibet.* XL

*Bellum Delphicum, & contra Spartanos acta à Pericle.* XLI

ea, quæ

ea, quæ deinde acciderunt. Primùm enim Eubœenſes defecerunt, & eos ipſe bello petiit. Statim deinde annunciatũ eſt, Megarẽſes defeciſſe, exercitum hoſtiũ eſſe in finibus Atticæ, duce Pliſtonacte rege Lacedæmoniorũ. Igitur Pericles celeriter ad hoc bellum ex Eubœa reverſus, conſerere manum nõ auſus eſt, à multis atq; egregiis gravis armaturæ militibus provocatus. Videns autẽ Pliſtonactẽ admodum adhuc juvenẽ, Cleandridæ cõſilio pleraq; agere, quem ephori, ætatis cauſa regi, cuſtodis loco atq; conſiliarii, adjunxerant: hunc clam aggreſſus pecuniis ſtatim corrupit, ut ex Attica Peloponneſios abduceret. Exercitu digreſſo & in urbes diſperſo, ægri id factũ ferentes Lacedæmonii, multam pecuniariã regi irrogavẽre: cui cùm non eſſet ſolvendo, Lacedæmone exceſſit. Cleandridam autẽ, cùm is aufugiſſet, morte damnaverunt. Fuit hic pater Gylippi ejus, qui in Sicilia Athenienſes debellavit: ac videtur avaritiam huic quoq; natura, tanquam cognatũ vitiũ, indidiſſe, propter quam turpiter perpetrato ſcelere damnatus, Sparta excidit: quam rem in vita Lyſandri expo-
XLII ſuimus. Porrò cùm Pericles rationes geſti imperii reddens, decẽ talenta ſe in uſus neceſſarios inſumſiſſe diceret: probavit hoc populus, nihil curiosè in arcanũ ejus factũ inquirens, neq; id detegens. Autores habeo interq; eos Theophraſtũ philoſophũ, quorãnis miſſam Spartam à Pericle decẽ talenta, quibus proceres reipub. demulcens, bellũ averteret. non quidẽ ut pacẽ redimeret, ſed tempus, dum ſe ad bellũ rectius aliquando gerendum per otium compararet. Secundum hæc continuò in eos qui defecerant converſus, in Eubœam trajecit quinquaginta naves, armatorumq; millia quinque & urbes ſubegit: Chalcide Hippobotas, divitiis ac gloria præcipuos, ejecit, Heſtiæos omnes regione expulit, ſoliſque eam Athenienſibus habi- *Eubœa ſubacta.*
XL tandam dedit. Cur in hos extrema ſtatueret, cauſa fuit, quod ii navi Athenienſi capta, viros occiderant. Poſtea induciis inter Athenienſes & Lacedæmonios in triginta annos compoſitis, Samũ cum claſſe decrevit petendam: eo obtento, quod juſſi bellum contra Mileſios *De Aſpaſia.*
XL interpoſita pactione deponere, non paruiſſent. Ac quoniam bellum
III contra Samios cenſetur in gratiã Aſpaſiæ Pericles ſuſcepiſſe: locus hic requirere videtur, ut de ea muliere diſquiramus, quanam tanta arte aut facultate prædita cùm primos in republica viros ſibi ſubjecerit, tũ philoſophis de ſe neq; vilem neq; exiguam loquendi materiam præbuerit. Id quidem in confeſſo eſt, Miletum ei patriã, Axiochum patrem fuiſſe. Fertur autem eam imitatione Thargeliæ cujusdam quæ fuit inter priſcas Ioniæ fœminas, potentiſſimos viros adortam eſſe. Targelia enim cùm & forma eſſet egregia, & gratioſa atque facunda, cum multis Græcis rem habuit, eorumq; omniũ regi Medorũ conciliavit voluntates, atq; ita effecit per eos (quippe cùm
XLIV eſſent primi ac potentiſſimi) ut civitates ad Medum inclinarent. Aſpaſiam alii prudentiæ, ac rerum civilium peritiæ gratia cultam à Pericle aſſerunt: nam & Socrates cum familiaribus quandoq; eam acceſſit, & mulieres ad aliam audiendã mittere ſolebant propinqui

aut

aut parentes: quanquam parum decoro se sustentaret artificio, sed puellas corpore quæstum facientes aleret. Aeschines ait Lysiclem, ovium cauponem, obscuris & sordidis parentibus natum, principem inter Athenienses locum eò consecutum fuisse, quod post mortem Periclis cum Aspasia rem habuisset. In Menexeno Platonis, quanquam per jocum prima scripta sunt, tantum tamen veræ narrationis inest, cum femina illa artis oratoriæ causa multos Athenienses conversatos esse. Veruntamen magis amatoria causa vi XLV detur fuisse, propter quam Pericles eam dilexerit: Cùm enim haberet uxorem etiam generis necessitate sibi propinquam (quæ matrimonio prius juncta Hipponico fuerat, & ei Calliam divitem pepererat) atque ex ea filios Xanthippum atque Paralum suscepisset: postquam unà ætatem conjugibus degere displicuit, uxorem ita volentem alii nuptum tradidit: ipse Aspasiam duxit, summoperequeamavit. Etenim, ut fertur, quotidie exiens ac rediens à foro, salutavit eam osculo. in Comœdiis quidem Omphale nova, & Dejanira, Iunoque ea dicebatur. Cratinus verò palam pellicem nominat his verbis:

*Iunonem ei parit Aspasiam, atque pellicem*
*Protervam, & obscœnam.*

Videtur & spurium ex hac sustulisse: de quo eum Eupolis in Populis, ita quærentem fingit:

*Spuriusne vir sit meus?*——

ac respondet Myronides,

——*& esset vir quoque*
*Pridem, meretricis timeret ni malum.*

*Aspasia Cyri.* Tam porro illustre fuisse nomen Aspasiæ ferunt, ut Cyrus, qui contra regem de Persiæ principatu belligeravit, quam ex pellicibus suis charissimam habebat, Milto ante vocatam, Aspasiam appellaverit: fuit hæc Phocæa oriunda, Hermotimi filia, & Cyro in pugna interemto, adducta ad regem, plurimum apud eum valuit. Hæc interscribendum cum ita memoria nobis suggessisset, videbamur non *Bellum Periclis contra Samios gestum.* sine crimine inhumanitatis potuisse rejicere, ac præterire. Cæte- XL rùm bellum contra Samios Milesiorum gratia maximè precibus A- VI spasiæ motus Pericles decrevisse traditur. Bellum enim inter civitates has fuerat de Priena: Samii que cùm prævalerent, jussi ab Athenensibus desistere bello, ac apud se causam disceptare, non paruerant. Pericles itaque eo vectus, paucorum principatum, quo tum Samus gubernabatur, evertit: acceptosque obsidum loco quinquaginta urbis proceres, totidemque pueros, in Lemnum amandavit. Traditum est sanè, voluisse unumquemvis obsidum se talento redimere, ac multa alia pollicitos eos, qui nolebant populare in Samo imperium constitui. Pissuthnes quoque Persa, cùm Samiis benè cuperet, per literas pro eis deprecatus est, aureorum decem millia promitens, quorum nihil accepit Pericles, sed cum Samiis ita ut decreverat egit, constitutaque populari reipublicæ forma

tum

XLV tum Athenas rediit. Samii statim defecerunt, cum Pissuthnes ob-
II sides suffuratus iis restituisset, & cùm Pericles adversum eos cum classe contenderet, nequaquam ocioſi aut perterriti, mari se credere ausi sunt. Commisso acri navali prœlio apud insulam quam Tragias nominat, Pericles quadraginta quatuor navibus suis, hostium naves septuaginta, inter quas militares viginti, superavit, ac egregiam victoriam obtinuit. Victor hostes insecutus, simul & portum occupavit, & Samios obsedit, adhuc nonnihil audentes exire, & pro muro pugnare. Sed postquam alia classis major Athenis venit, undique jam septis Samiis, cum triremibus sexaginta mare exterius petiit, ut Phœnicum navibus (hæc enim est majoris partis autorum sententia) auxilio Samiis venientibus occurreret, ac quàm longissimè ab insula depugnaret. Stesimbrotus in Cyprum eum
XLV navigare voluisse ait, quod non videtur verisimile. Vtut res hà-
III buit, constat in eo peccasse ipsum. Avecto enim Pericle Melissus Ithagenis filius Philosophus, tunc Samiorum prætor, sive ob navium paucitatem, sive ob ducum imperitiam contemtis hostibus suis persuasit, ut Athenienses adorirentur: factoque prœlio, Samii victoria potiti sunt, multis hostium captis, multis navibus perditis. & deinde mare tenentes, ea quæ ipsis ad tolerandum bellum opus erant in urbem advexerunt. Ipsum quoque Periclem ante prœlio navali victum à Melisso fuisse, Aristoteles scribit. Porro Samii, ut ignominiam acceptam Athenien sibus reponerent, captivis in frontem inussere noctuam, sicut Athenienses ipsos prius Samæna inusta notaverant. Samæna navigii est genus, ita quidem incurvatum, ut *Samæna.* proram habeat depressiorem, & concaviorem, itaque ventricosa sit, ut & maria trajicere possit, & agi celeriter: sic dicta, quod in Samo primùm visa sit, à Polycrate tyranno parata. Eas notas ferunt & Aristophanem per ambages indicasse hoc versu,

*Quàm litteris Sami incolæ sunt praditi:*

LX Pericles audito exercitus casu, celeriter auxilio suis venit, Melis-
IX sumque acie occurrentem vicit, fuditque: hostes statim muro circumjecto inclusit, urbem potius sumtu & tempore, quàm vulneribus & periculis civium expugnare cupiens. Qui cùm moræ impatientes pugnam poscerent, ac difficulter contineri possent, diviso in octo partes exercitu, sortitus est, ut pars, cui alba faba obtigisset, reliquis pugnantibus ocio & conviviis indulgeret. Hinc ferunt ab iis, qui voluptate aliqua perfruuntur, *diem* istum *album* dici, ad albam fabam alludentibus. Ephorus præterea machinis etiam usum scribit Periclem, novitatis miraculo adductum, præsente Artemo- *Artemon.* ne earum fabro, qui cùm esset claudus, ac lectica ad munia sua obeunda ferretur, inde *Periphoretes*, quasi dicas *circumgestate*, nomen invenerit. Hoc Anacreontis testimonio redarguit Heraclides Ponticus, qui in suis carminibus Periphoretum Artemonem nominaverit, multis ante hoc bellum ætatibus. Artemonem porro fuisse hominem mollis vitæ, ac pavidum, qui plerunque domi desederit,

supra

*Samiorum deditio.*

supra caput ejus æream parmam duobus famulis tenentibus, ne quid desuper incideret: quod si cogeretur prodire aliquo, lectica pensili prope terram gestari solitum, indeque nomen Periphoreti adeptum. Nono mense, Samiis deditionem facientibus, muros de- L jecit Pericles, naves ademit, magnamque pecuniariam multam eis imperavit: quarum partem statim dependerunt, reliquum persoluturos intra certum tempus polliciti, obsides dederunt. Hic Durus Samius tanquam tragœdiam si scriberet, inflatius quædam refert, magnæque Periclem & Athenienses crudelitatis insimulat: de qua neque Thucydides mentionem facit, neq; Ephorus, neque Aristoteles, & quæ conficta videtur. Nimirum à Pericle triremiũ præfectos, classiariosque Samios in forum Mileti adductos, decemque dies ibi alligatos tabulis relictos inde jam moribundos jussu ejus illisis in capita ipsorum lignis necatos, corpora sepulturæ honore privata & projecta fuisse. Qui sanè cùm alias quoque, ubi nihil est in re quod ipsum attineat, non soleat narrationi ita moderari, ut ne à vero discrepet: hoc loco etiam amplius videtur calumnia petendorum Athenienſium causa patriæ suæ calamitatem exaggerasse. Pericles LI subacta Samo Athenas reversus, sepulturam eorum qui in bello mortui erant honorifice obiit, habitaque pro more funebri oratione admirationem sui movit. Descendentem à suggesto mulieres dextris datis exceperunt, coronisque & fasciis tanquam athletam victoria potitum exornarunt. At Elpinice adsistens: Nimirum verò ô Pericles, inquit, hæc admiranda, & coronis digna, quod nobis multos ac bonos cives perdidisti, non contrà Phœnices Medosvé bellum gerens, ut Cimon frater meus, sed urbem sociam cognatamque nobis debellans. Ad hæc Pericles subridens, submissa voce ei Archilochio versu hoc respondisse dicitur:

*Elpinice Periclem mordet.*

*Ne corpus unguentis anus tuum linas.*

Ion ob debellatos Samios mirificè eum animo elatum fuisse refert, quod, cùm Agamemnon decimo tandem anno barbaram urbem, ipse nono mense Ionum primam ac potentissimam cepisset, neque verò injuria gloriabatur, cùm ejus belli adeo dubius exitus, ac tantum in eo periculi fuerit. siquidem, ut Thucydides refert, minimum abfuit, quin Samii Athenienſibus maritimam potentiam adimerent. Postea glisscente jam Peloponnesiaco bello, Corcyren- LII sibus à Corinthiis oppugnatis; ut auxilium mitterent, populo persuasit, utque insulam re navali potentem sibi adjungerent: haud dubiè bello ipsis à Peloponnesi incolis imminente. Cùm auxilium populus decrevisset: decem solum naves misit Pericles, iisq; Lacedæmonium Cimonis filium quasi per ignominiã præfecit. Quia enim Cimonis domus magna sibi benevolentia & amicitia obstrictos habebat Lacedæmonios, paucos ei Pericles naves tribuit, invitumq; emisit, ut is nulla præclara re gesta, eo magis videretur Lacedæmoniorum partes prætulisse. Omnino autem impedimento esse filiis Cimonis consueverat, ut qui ne nomina quidem gentilicia, sed alic,

*Cimonis filij.*

na atque peregrina ferrent, Lacedæmonii, Thessali, Eleique, omnesque Arcadicam matre habuisse crederentur. Cæterùm male audiens ob paucitatem naviũ missarum, quibus indigentes auxilio parũ juvisset, cæterùm magnam reprehendendi occasionem malevolis obtulisset, plures his deinde Corcyram misit, quæ post pugnã demum eò pervenerunt. Corinthiis verò rem indignam censentibus, Spar- *Peloponnesiaci belli ansa.*
LIII tæq; Athenienses accusantibus, accesserunt Megarenses, conquerentes omnibus foris, omnibus portubus qui essent in Athenienſium potestate, sese contra jus commune, juramentumq; Græcorum arceri: Æginetæ etiam vim sibi illatã existimantes, cùm palam accusare Athenienses non auderent, clam apud Lacedamonios injurias suas deplorabant. Interim Potidæa urbs Athenienſibus subdita, Corinthiorum colonia, ob defectionẽ factam oppugnata, bellum acceleravit. Veruntamen missis Athenas legationibus regeq; Spartanorum Archidamo plerasq; controversias ad compositionẽ revocante; sociorumq; animos placante, videbantur bellum vitare posse Athenienses, si contra Megarenses factum decretum abolere, cumq; iis gratiam reconciliare voluissent, ideoque Pericles, cùm, ut ne id fieret, maximè anniteretur, ac in contentione contra Megarenses perseverans populi animos exasperaret, solus ejus belli autor habitus est. Asfertur missis Lacedæmone Athenas legatis, cùm Peri-
LIV cles citaret legem quandam, qua interdicebatur, ne quis tabulã decreti Megarici tolleret, Poliarcem unum ex legatis ei dixisse. Ne tu eam igitur de medio abstuleris: tantum introrsum converte, quod nulla lege prohiberis. idque dictum utcunque scitum, nihil tamen Periclis animum inflexisse. Videtur sanè Pericli fuisse privatum quoddam in Megarenses odium: publicam, apertamq; inimicitiarum causam ipse prætendens, quod Megarenses sacrum lucum cecidissent, decretum fecit, quo mitti ad eos præconem eundemq; deinde Spartam ut eosdem accusaret, jubebat: quod quidem decretum ad æquam & benignam causæ disceptationem spectabat. Sed cùm is qui præco erat ablegatus Anthemocritus, videretur Megarensium fraude interfectus, Charinus decretum contra eos composuit, inimicitia perenni eos persequendos, capitaleque esse debere Megarensibus, si quis eorum in Attica vestigium posuisset. Duces quoque cùm se sacramento à majoribus accepto obstringunt, jurare jussit, bis quotannis se in Megarensem agrum facturos impetũ: Antemocritum humandum apud portam Thriasiam, quæ nunc *dipylos*, hoc
LV est biforis, dicitur. At Megarenses Anthemocriti mortis culpam inficiantes, odiorum causam in Aspasiam & Periclem rejiciunt, tritorum ex Acharnensibus Aristophanis versuum testimonio utentes:

*Megaram petentes Simætham meretriculam*
*Furto abstulerunt adolescentes ebrij:*
*Inde Megarenses ira turgentis gravi,*
*Aspasiæ duo scorta, rapuere clanculum.*
*Hoc principio bellum exarsit cunctis.*

Enim-

Enimvero non satis constat, quod edicti contra Megarenses initium fuerit: Periclem in causa fuisse, quo minus id rescinderetur, uno omnes ore affirmant. Sed ne hîc quidem de causa convenit inter autores. Alii eam ejus in retinendo perseverantiam, ab alto animo, optimoque profectam consilio judicant, ea petitione constantiam suorum tentari: ac si concessum fuisset, id pro imbecillitate acceptum iri censentis: alii pertinacia potius ac studio contendendi adversus gloriosam potentiam adductum, Lacedæmoniorum jussa detrectasse putant. Cæterùm quæ ejus rei causa & turpissima est, & plurimis testibus confirmatur, ita habet: Phidias Deæ simulacrum faciendum conduxerat, uti diximus: idemque propter amicitiam favoremque Periclis multos habebat sibi infensos. Alii verò, ut in hoc periculum facerent, qualem se gesturus esset populus, si ipsi Pericli dies publicè diceretur, Menoni cuidam operarum Phidiæ socio persuadent, ut supplex in foro sedens fidem publicam imploraret, judicium ac crimen de Phidia delaturus. Approbante id populo, ac in concione jubente eum Phidiæ accusationem prosequi, furtum quidem ei nullum objecit: (nam initio statim monitus à Pericle Phidias, ita aurum fabricatus fuerat ac imagini circumposuerat, ut omne detrahi, ac in trutina examinari posset: idque actores tunc Pericles ita facere jussit. Gloria tamen operum invidia Phidiam premebat, maximè quod pugnam Amazonicam in scuto insculpens, sui ipsius imaginem effinxisset, senis calvi, qui saxum utraq; manu efferret: quodq; Periclis effigiē oppidò elegantē expressisset, pugnantis contra Amazonas, artificioseq; manū qua is hastā intētabat, objecisset faciei, quasi similitudinis, quæ ab utroq; manus latere apparebat, obtegendæ gratia: Proinde Phidias in carcerem abductus, morbo decessit: alii veneno ab inimicis, circumveniendi calumnia Periclis causa, parato extinctum perhibent. Menoni autem indici decreto Glyconis immunitatem populus tribuit, prætoribusque negotium dedit, ut eum tutum præstarent. Per idem tempus Aspasia violatæ religionis postulata est ab Hermippo Comico: adjectumque aliud crimen, excipi ab eo liberas mulieres hospitio, quibus abuteretur Pericles, Lex quoque à Diopithe promulgata est, ut dies diceretur his qui de Diis mâle sentirent, aut de rebus cœlestibus disputarent: qua Pericles propter Anaxagoram notabatur. Admittebat his calumnias populo tandem etiam lex Dracontidæ rata esse jubebatur, qua imperabatur Pericli, ut rationes tractatæ pecuniæ publicæ apud Prytanes ederet, judices suffragia ab ara ferentes in urbe judicarent. Eam partem detraxit Agnon: judices tamen esse voluit mille ac quingentos, qui de causa cognoscerent, sive repetundarum sive donorum captorum, sive injustè facti actio intenderetur. Pericles judicio Aspasiam exemit ut tradit Æschines. multis pro ea effusis lacrymis, multisque judices deprecatus. Anaxagoræ autem metuens, emisit eum ex civitate, additis qui tutò deducerent. Sed cùm in Phidiæ causa populum offendisset, judicium metuens, bellum,

*Phidias interitus.* LVI

LVII

*Aspasia rea facta.* LVIII

*Anaxagoras Athenis relictus.*

bellum, quod differebatur & gliscebat adhuc inflammavit: sperans se accusationes eo pacto dissipaturum, invidiamque imminuturum, cum urbs ipsius auctoritati, ac potentiæ unius in arduis rebus atque periculosis inniteretur. Atque hæ quidem sunt, quæ traduntur, causæ, quibus impulsus, non sit passus populum Lacedæmoniis con-
LIX cedere: veritas in obscuro est. At verò Lacedæmonii intelligentes se, dejecto Pericle, habituros ad omnia obsequentiores Athenienses, urbem eos jusserunt piaculo liberare, quo maternum Periclis genus obstrictum fuisse Thucydides tradit. Verùm hęc legatio in contrarium vertit: non enim suspiciones ea de Pericle sinistras excitavit, sed auctoritatem ejus honoremque apud cives auxit, hostibus odio & metui eum esse sentientes. Sanè etiam antequā Archidamus cum Peloponnesiis in Atticam intraret, prædixit civibus, si Archidamus, cæteris vastatis, à suo agro maleficium abstinuisset, sive hospitii gratia, sive ut obtrectationibus inimicorum contra se materiam præberet, se civitati agrum suum atque prædia jam nunc donare.

*Spartani in Atticam irrumpunt.*

LX Porro Lacedæmonii cum auxiliariis in Atticam magnas copias adduxerunt, duce Archidamo: depopulatisque agris Acharnas pervenêre, ibique castra fecerunt, quod putarent hostem sibi non temperaturum, quin & regionis tutandæ, & gloriæ asserendæ causa prœlio decerneret. At Pericli contra sexaginta millia armatorum Peloponnesiorum ac Bœotorum (tot enim aderant) dimicandum nullo modo videri, etiamsi de ipsis Athenis ea dimicatio fuisset futura: ideo pugnam poscentes, indigneque hostium populationes ferentes, verbis mitigare, dicendo: arboribus quidem exeisis, facilè alias enasci, hominum jacturam reparatu haud ita proclivem esse. Præterea populum in concionem nequaquam advocare, ne aliquid præter animi sui sententiam facere cogeretur. Ac quemadmodum navis rector vento mari incumbente omnibus rectè curatis, instructisque armamentis arte sua utitur, valere jussis eorum qui navi vehuntur, periculumque & nauseam non ferunt, lacrymis, precibusque: ita Pericles urbe tum clausa, omnibusque locis præsidio firmatis, sua consilia secutus est, parvi faciens obtrectationem, indignationesque civium. Enimvero & ex amicis multi precibus dum urgebant, & inimici minis ac criminationibus territabant, & multi cantilenis ac dicteriis imperium ejus exagitabant, molliciem & proditionem objicientes: jamque Cleon etiam indignationem populi in suam rem
LXI vertens, adoriebatur ipsum, ut multitudinis animos sibi conciliaret.

*Cleon. Calumnia in Pericl.*

de qua re extant anapæstici versus Hermippi:

*O rex Satyrorum cur gerere hastam detrectas?*
*Sed grandia verba tumidè de bello usq; crepans*
*Animum ipse Telerin geris. At pugionis mucro*
*Vehementer acutus, rigidusq; bipennisq; ferox*
*Sermonis, ab ardente Cleones fremit morsus.*

Verùm his omnibus nihil motus Pericles, æquo animo & tacitus ignominiam odiaque toleravit: missaque in Peloponnesum classe

centum navium, ipse in urbe remansit, resque domi administravit, tantisper dum hostes discesserunt. Ibi multitudinem ob accepta LXII
bello incommoda indignantem, pecunia, & colonis deducendis re-
creavit. Æginetis enim insula pulsis, eam sorte ductis Athenienses
divisit. Quin etiam mala hostes eo bello passi sunt, quæ consolaren-
tur animos Athenienses: cùm & horum classis oram Peloponnesi
circumvecta, multum agri, multos agros, oppidaque depopulata es-
set: & Pericles ipse terrestri manu in Megaricam impressione facta,
universam vastasset. Quare futurum erat, ut hostes cùm intulissent
multa Athenienses damna, ipsique mari haud pauciora accepis-
sent, primo quoque tempore bellum deponerent, (quod ita fore ini-
tio Pericles prædixerat) nisi fatum quoddam consiliis humanis ad-
versatum fuisset. Primò enim pestilentia coorta est, quę juventute LXIII
Atheniensi absumpta vires tum vigentes attrivit. Qua in peste cùm
corpora male afficerentur, animis juxta protinus in Periclem exa-
cerbati efferatique, & vim ei facere aggressi sunt, eorum more, qui
morbi violentia contra patrem quoque aut medicum furunt. Quip-
pe inimici Periclis populum in eam sententiam adduxerant, multi-
tudinis aggressis in urbem conventu luem excitatam: ubi compluri
æstivo tempore confertim in ædificiis angustis, tabernaculisque
aeri imperviis cogerentur, omissa pura & sub dio acta vita, ocioси in-
tra domicilia delitescere: causam autem mali penes istum esse, qui
bello excitato turbam hominum ex agris intra muros conduxerit,
neque hujus hominum numerum ulli rei agendæ adhibuerit, sed
passus sit pecorum instar inclusos contagione luis repleri, neq; ul-
lam mutationem iis victus, respirationem concesserit. Huic ergo rei
ut adhiberet remedium Pericles, simulq; hostibus incommodaret,
optimis peditibus atque equitibus naves centum & quinquaginta
implevit: eoque robore in magnam spem suos, nec minorem hostes
in metum adduxit. Iam instructa classe, cùm suam ipse triremem LIV
conscenderet, Solis deliquium accidit, tenebræque obortæ in pro-
digium magnum tractæ omnium animos consternaverunt. Ibi Peri-
cles cùm videret gubernatorem ingenti timore captum, anxiumque
animi, oculis ejus chlamidem prætendit, percontatusq; est, an horri-
bile aliquid effectum, aut portentum eo facto putaret: neganti At
quid interest, an, inter istas & has tenebras, nisi quod majus est id à
quo illæ sunt inductæ. Verùm hæc in philosophorum scholis jactan-
tur. Pericles autem cum classe profectus, nihil videtur tanto appa-
ratu dignum egisse. quin etiam cùm sacram Epidaurum obsedisset,
spesque jam esset captum iri, ad irritum ea cecidit, ingruente mor-
bo, qui non Athenienses modò, sed omnes, qui quocunque pacto ad
exercitum accessissent, perdidit. Atq; ejus rei causa iratos sibi Athe-
nienses, frustra conatus est placare, animosque eorum nova spe con-
firmare. neque finis ante indignationis contra eum fuit, quam suffra-
giis latis eum condemnarunt, ademptoq; imperio talentis quinde-
cim (hunc enim numerum referunt ii qui minimum: quinquaginta,

qui

*Ægina ab Athenienſibus occupata.*

*Peſtis Atheniensium.*

*Claſſis apparatus inanis.*

*Pericles imperio privatur, & mulatur.*

qui maximum) multaverunt. Accusationi inscriptus est Cleon. si Idomeneum auctorem sequimur: sin Theophrastum, Simmias: He-
LXV raclides Ponticus Lacratidam nuncupat. Et tamen publici accepti mali erat quàm primùm finis futurus, quod populus iram quasi aculeum in eo ictu reliquerat: domesticis premebatur infortuniis, cùm & multos suorum peste amisisset, & seditione familia eminus conturbaretur. Legitimorum enim ipsius filiorum natu maximus Xanthippus, ingenio pravo, maritus præterea juvenis ac prodigæ uxoris (erat hæc filia Isandri, neptis Epilyci) patris parsimoniam ægrè ferens, eumque ei sumptus & non confertim suppeditantis, misit qui ab amico quodam quasi jussu Periclis peteret. Cum eo deinde datam pecuniam reposcente, Pericles in judicio contendit. Hoc Xanthippus indignè ferens, patrè convicijs insectatus est, primò perrisum evulgans ejus studia domestica, sermonesque cum rhetoribus habitos: nempe cùm quidam quinquertio Epitimii Pharsalii equum jaculo imprudens confixisset, Periclem cum Protagora totum diem absumsisse disceptando: jaculumne, an qui id jecisset, an verò præ-
LXVI fecti ludorum rectius dicerentur causam ei casui prebuisse. Præterea calumniam de uxore sua in vulgus sparsam à Xanthippo Stesimbrotus, inquit, omninoque implacabilem discordiam usque ad mortem ei cum patre permansisse: peste enim periit Xanthippus, quo tempore sororem etiam Pericles, necessariorumque & amicorum plurimos, eosque ad rempublicam gerendam præcipuè utiles amisit. Neque tamen animum despondit, neque calamitatibus victus magnitudinem animi prodidit: neque flens, aut in funere ad sepulchrumve illius necessariorum inventus est, ante mortem Parali; quem unum ex legitimis liberis superstitem habebat. Hujus demum obitu constantiam inflexit: & quanquam conaretur perseverare in consueta patientia, animique altitudine, tamen mortuo coronam imponens, aspectu calamitatis ita fractus est, ut & ejulatum emiserit, & vim lachrymarum effuderit, quod nunquam ab eo
LX ante erat factum. Postmodò cùm urbs, periculo de cæteris belli
VII ducibus oratoribusque facto, neminem ipsorum neque viribus neque auctoritate tanto imperio parem invenisset, ipsumque desideraret, & ad tribunal, summamque rei vocaret: æger animo, ac propter luctum domi residens. Alcibiadis aliorumque amicorum hortatu progressus est in publicum: cumque populus suam in ipsum ingratitudinem excusasset, rursus ad res gerendas se convertit, duxque creatus est. Statim ex eo ad populum tulit de antiquanda lege de spuriis (cujus ipse olim auctor fuerat) ne omnino successorum penuria familiæ suæ nomen & genus interiret. Quod ad legem istam attinet, tale fuit: Multo ante tempore, cùm floreret in republica, liberosque ex justo haberet conjugio, quemadmodum retulimus, legem condiderat, ut ii soli Athenienses haberentur qui ex duobus Athenienſibus essent nati. post cũ rex Ægypti quadraginta millia medimnorũ frumenti dono Athenienſib. misisset, essentq; hi inter cives

*Domestica Periclis calamitates.*

*Imperium recipit.*

*Lex de spuriis.*

distribuendi, multæ ex eâ lege lites sunt spuriis intentatæ, quæ hactenus neglectæ fuerant, multi quoq; calumniis circumventi sunt: itaque haud multò pauciores quinque millibus convicti expunctique sunt: ac civium numerus, eorum qui Athenienses haberentur, inventus fuit quatuordecim millia & quadraginta. Cùm verò iniquum videretur, legem, cujus vis tanto tempore tanta fuisset, ab eo ipso abrogari, qui eam sanxisset: domesticum infortunium Periclis Athenienſium animos movit: ratique eum pœnas fastus sui dedisse, expertumque vindictam numinis, æquum petere, passi sunt filium ejus illegitimum assumpto patris nomine inter curiales referri. Hunc post navali victoria contra Peloponnesios apud Arginusas potitum, unà cum cæteris ducibus populus necavit. Tunc autem Periclem vulgaris lues non acuto, neque vehementi, sed imbecilli (ut videtur) lentoque morbo implicavit, qui inter varias mutationes paulatim corpus confecerit, animique altitudinem subruerit. Nam Theophrastus quidem in moralibus, disputans, moresne fortunæ mutationem sequantur, ac corporis affectionibus moti à virtute recedant, refert, Periclem ægrotantem, invisenti cuidam amico ostendisse amuletum collo circumligatum sibi à mulieribus: nimirum pessimè affectum, qui hanc etiam stultitiam in se admiserit. Cùm jam vitæ exitus ei immineret, civium præstantissimi & examicis, qui adhuc erant in vivis, circum adsidentes, de virtutis potentiæque ipsius magnitudine collocuti sunt, resque gestas expenderunt, & multitudinem trophæorum: navem enim ipse dux & victor pro patria statuerat. Hæc illis ita loquentibus tanquam ipso non intelligente, jamque omni sensu privato, Pericles, qui omnibus eorum dictis animum attenderat, universos compellavit, mirarique se dixit, commemorare eos hæc & laudare, quæ & communia ipsi cum multis fortuna faceret, & multis jam ducibus contigissent: ejus verò, quod esset maximum ac præclarissimum, nullam mentionem facerent. nemo enim, inquit, Athenienſium propter me atram vestem induit. Admiratione profectò dignus vir, non æquitatis tantùm & mansuetudinis nomine, quam in tot actionibus, tantasque inter inimicitias conservavit: sed & propter animi altitudinem istam, qui inter sua bona hoc primum duxerit, in tanta potentia se nihil neque invidiæ, neque iræ indulsisse, neque ulli adversario implacabilem fuisse. Ac mihi quidem videtur juvenilis arrogantiæ illud superbumque Olympii cognomentum hac una ratione ab invidia tutum, decoriique ei fuisse, quod moribus fuerit placidis, vitamque in tanta potentia puram & immaculatam egerit. Ita enim Deos quoque censemus bonorum nobis, malorum autem nequaquam auctores, regnum in universum obtinere. Neque audiendi sunt Poetæ qui nos indoctissimis opinionibus conturbantes, ipsi se suis carminibus redarguunt. Cœlum enim cùm dicant esse sedem Deorum inconcussam atque immobilem, ut quæ neque ventis, neque nubibus agitetur, sed ubi sit mollis serenitas, & quæ puro semper lumine undiqua-

LX VIII

*Morbus, & mors Periclis.*

LXIX

*Olympij cognomentum. Octarum de diis sententiam refutat.*

LXX

quaque illustretur. (hujusmodi enim vitæ degendæ rationem beato & immortali generi convenire) ipsos interim Deos perturbationum, inimicitiarum, irarum, aliorumque affectuum, qui ne hominem quidem sanæ mentis compotem deceant, plenos pronunciant.

LXXI Sed hæc non est hujus fortassis loci disputatio. Porrò ipsæ res statim effecerunt, ut, Pericles quis vir fuisset, manifesto cum desiderio Athenienses sentirent. Cujus enim viventis potentiam tanquam suis luminibus officientem graviter tulerant, statim eo sublato alios oratores experti, confessi sunt neminem potuisse in tanto fastigio se moderatiorem, neque in ea mansuetudine graviorem præstare: atque odiosam illam potentiam, quæ prius tyrannidis nomine erat affecta, salutare præsidium fuisse Reipublicæ, tunc apparuit: tanta post eum pravitas, molesque malitiæ in omnes res invasit: quam ille debilitans atque deprimens, hoc effecit obruendo & inhibendo, ne licentiam nacta omni remedio superior evaderet.

*Desiderium mortui Pericli.*

## IN PERICLEM PLUTARCHI Annotationes.

*IPsum exordium grave, sententiisque ex intima Philosophia depromptis exornatum, Lapus parum recte ac perspicuè convertit: præsertim ubi ostendit Plutarchus, quid inter nostram & eam, quæ nonnullis bestiis innata est, discendi cupiditatem, atq; spectandi intersit.* Sensus *quoque* perturbatione moveri, *nescio quam sit commodè dictum: cùm* πάθος affectionem *verius, hoc quidem loco, significet. Et quod* consideratione animum ali *Plutarchus dicit, eo respicit, quia perfectio, & ἐνέργεια & νοῦ, est ἐν τῇ θεωρείᾳ, quo modo voluntatis in agendo. Ita Cicero etiam locutus est in Lucullo:* Est enim, *inquit,* animorum ingeniorumque naturale quoddam quasi pabulum consideratio, contemplatioque naturæ. Erigimur, altiores fieri videmur, humana despicimus: *& quæ sequuntur. Cæterùm quo tempore vixerit Pericles, non est difficile scire, cum belli Peloponnesiaci auctorem fuisse compertum sit. Id autem cæpit anno altero Olympiadis* XXCVII. *si Diodorum Siculum sequimur lib.* XII. *Vide Gellium quoque lib.* 17. *cap. ult. Aequalis fuit Nehemiæ, vixit sub annum ab V.C.* CCCXXV. *iis temporibus, quæ Liv. lib.* 4. *describit.*

Cap. 4. Hoc igitur decimo libro.) *Locus hic ostendit solitum Plutarchum Græci & Romani (quos inter se compararet) vitam uno libro complecti. Ea ratione hic non esset decimus, sed quintus demum liber. Quod maximo cum argumento, mutilum & magna parte decurtatum opus hoc ad nos pervenisse. Qua de re diximus in Præfatione.*

Cap. 5. Clisthenis.) *De hoc cùm alij, tum in Terpsichora & Erato ne copiosè Herodotus: ubi gentilitas Periclis perspicuè explicatur. Fuit autem Clisthenes hic, si Herodotum sequimur, Agaristæ hujus patruus. Apposui partem genealogiæ.*




*Fuit ergo Agariſta Cliſthenis ex fratre (ut loquuntur) neptis, id Plutarc.* ἔγγονον *vocat. quod alias vocabulum* nepotẽ *ſignificare tradunt.*

Ibid. Cephalegeretes.) *Iovem Homerus* νεφεληγερέτην, Nepheligeretem *vocat, quod nubes ille contrahat, & tempeſtatibus præſit. Ad jonum ejus epitheti comicus poeta alludit,* νεφελήγερέτην *vocans Periclem, quaſi* capitonem. *Iovem autem alioquin eum vocabant Comici. Verſus Gracos diſponere, cùm poemata ipſa non extent, laborioſius eſt, quàm tutiũ: ideo mea libertate ſum uſus. Quid autem verſiculus alter, qui ex Nemeſi citatur, ſibi velit, non equidem intelligo. Locum eſſe mutilum, & reliqua ad Periclem attinentia deeſſe ſuſpicatus, aſteriſcum adjeci.* μακρόλεπτε, longue teſte *vertit Amiotus, quid legerit, aut ſecutus ſit, neſcio. fortè* μακροκρόταφε, *aut aliquid tale.*

Ibid. E capite immenſas ſinuoſo.) ἐνδεκαπλόης, *Lapus* undeclinio, *ad verbum eſt*, undecim *(hoc eſt multos)* flexus habens. *Tale erat nimirum Periclis poetis, oblongum & incompoſitum. Sanè etiam apud Ariſtotelem* περὶ θαυμαστ. ἀκουσμ. *legitur.* ἔστι γὰρ κοιλώματα ἐν Σικελίᾳ τῆς Σικελίας, ὡς δεκάκλινον. *quod videtur menſarum, aut lectorum decem capax eſſe. Diodor. Siculus lib.* 31. *de carcere Albano,* μέγεθος ἔχων οἷον κοίλωμα ὠδὶ ἐνπεκλίνες. *In Lexico redicule vertitur*, undecies inclinatum.

Ibid. Eupolis in Populis.) δήμους. *quod etiam* in Curiis *poteſt exponi: & videtur curiatim in ea Comadia vexaſſe Athenienſes poeta.* δήμους *enim, ut partes tribuum, curias vertere, quam vel populos vel oppida, malo. Nam Cic. lib.* 8. *ad Atticum oſtendit etiam* oppida *verti poſſe* δήμους *iſtos: ſed nimirum, cùm de habitatione hominum dicitur, cùm de hominibus ſermo eſt, præſtat, opinor,* cives *&* curias, *quam* urbes *&* oppida *dicere, &* δῆμον *eſſe ipſi Tullio* curiam, *ex annotatione decimaſexta in hanc ipſam vitam colligi poteſt: ut obtermonui de Stephani noſtri verbis. Porrò ſtatim ſophiſta is dicitur, qui*

δῆμος.

σοφιστὴς.

*civilem*

*qui ciuilem quondam rationem apud populum de republica disputandi traderet. ut & initio* Themistocles *est explicatum.*

Cap. 6. Zenonis Eleatæ.) *Elea Lucaniæ in magna Græcia urbs. Vide Strabonem initio sexti. in Vita Bruti:* Pedestri itinere per Lucanos Eleam ad mare perrexit. *Porro Timonis de Zenone versus (ut feré alios omnes) perversé extulit* Lapus. *Apud Diogenem Laertium libro nono, in Vita Zenonis, paulò aliter est: pro ἀπατηλὸν, fallax, habet, ἀλαπαδνὸν, imbecille. & non πάντων ἐπιλήπτορα, omnium reprehensoris: sed* Πλάτωνα ἐπιλήπτορα, ἠδὲ Μελίσσου, *Platonem Melissumque reprehendentis.*

Cap. 10. Sonitus inquam discorum.) *Locus hic facit ad prognosticorum naturalium defensionem, in quibus res quæ certam aliquam habet causam, certam ipsa quoq; rem vel præmonstrant, vel efficiunt. cujus generis sunt medicorum πρόρρησις & tempestatum apud Aratum & Maronem præsagia, & similia. Quod autem sonitus discorum designet, non satis intelligo. Videtur quidem robur impellentis, & tenorem jactus demonstrare: cujus rei exemplum est Vlyssæ libro 8.*

Εὖ γ' οἶα (δίσκον) πρόφερεν, ὑπὲρ σήματα πάντων,
Βόμβησεν δ' ἄλιος, κατὰ δ' ἴαχησαν ποτὶ γαίῃ,
Φαίηκες δολιχήρετμοι ναυσίκλυτοι ἄνδρες
Δᾶος ὑπὸ ῥ' ἐτάρης. ὁ δ' ὑπέρτατος σήματα πάντων, &c.

*Nam quod ex Pollucis libro 9. Erasmus hoc ad* Vraniam *refert,* Erasmi iaquam fidem mercatur, *in Commentariis Homericis docus. Est enim* pſius. *(ut aliquid dicamus hoc) Vrania* pilæ lusio: *cùm* discus *pila non sit sed* lapis molæ ferè instar formatus, *rotundus scilicet, non globosus: in cujus medio per foramen trajectus erat funis, quo circumageretur, & projceretur. Nisi fortè disci sonitu signum dabatur exercitationum, ut ad eas qui vellent, se converterent. cujus rei apud Ciceronem haud procul initio libri de Oratore secundi est mentio.* Cum, *inquit,* omnia gymnasia philosophi teneant, tamen eorum auditores discum audere, quàm philosophum malunt, qui simul ut increpuit, in media oratione de maximis rebus & gravissimis disputantem philosophum omnes unctionis causa relinquunt.

Cap. 12. Etenim ea vis est.) *Sententia est satis obscura: ostendit autem, quotidiano conflictu assiduaq; consuetudine auctoritatem amitti. Similis locus est etiam in Vita Pompeij.*

Cap. 13. Sociis oratorib.) *Alius legit Lapus, non sociis: ἑτέροις, non ἑταίροις. Nostram lectionem retineo cum Amioto: etsi parum interest. De Salaminia navi dicam in Alcibiade.*

Ibid. Vt est apud Platonem.) *libro de Republica IIX. ubi elegantissime disputat, quomodo Democratiæ abusu, res ad tyrannidem devolvantur.*

Capit. 14. Divinus Plato.) *Locus est in Phædri penultima pagina.*

Cap. 15. Thucydidis Milesii.) *Dicam de hoc paulò post.*

Cap.16. Oculis Piræei officientem.) λήμην τοῦ πειραιέως, lemam Piræei, *seu* lippitudinem. *quanquam* λήμη *non lippitudo verè est, sed lippitudinis causa: scilicet humor aliquis in oculo concretus. itaque cùm proprium deesset vocabulum, utcunq; sensum extuli; translationis tamen vi (ut puto) non admodum imminuta. Est enim in hoc dicto metaphora, seu translatio* ἐξ ἀναλογίας, *ut libro 3. Rhetor. Aristoteles docet, cap.10.*

Cap.17. Thucydides.) *Locus Thucydidis est lib.2.*

Ibid. Theorica.) *Si dicebantur pecuniæ, quæ Panathenaicis & Dionysiacis feriis populo ex ærario tribuebantur: ut spectare ludos conducto in theatro loco, & sacrificia obire etiam tenuis fortunæ cives possent. Vide Harpocrationem, Suidam & Hesychium, & Libanium in primam Olynthiacam. Est autem* θεωρεῖν, spectare. *Mentio horum est etiam infra in Aristida. fuisse autem aliquando duos obolos, ex oratione Demosthenis pro corona liquet,* ἀλλ' ἐν τοῖν δυοῖν ὀβολοῖν ἐθεώρουν αὐ, εἰ μὴ τοῦτ' ἐγράφη, *de legatis loquitur publicè locum spectandi adeptis.*

Cap.18. Damonidis Oeensis.) τοῦ ἰήθεν. Oeteum *Lapus fecit nescio quid secutus. Amiotus ex Insula Io ortum censuit. ego opinor (nam nihil nisi conjecturam affero)* δῆμον, *hoc est curiam, aut pagum aliquem Atticæ patriam ejus fuisse,* Iam *fortè, aut* Ias *aut simile. Non enim simile veri est, extraneis consiliariis in tantâ re usum Periclem. Est autem legendum* Οἰήθεν, *nisi fallor. Nam Stephanus* Οἷον *curiam Acamantidis tribus perhibet. & aliquid tale legisse etiam Lapum apparet. Sed geographica alibi. Quod autem Cimonis in præbenda cœna universè ad omnes Athenienses liberalitatem Plutarchus refert: res suspicionem injicit, fuisse in eo librarium nimis liberalem: Theophrastus quidem scribit, Cimonem Athenis etiam in suos curiales Laciadas (*Λακιάδαι δῆμος, *&c. Steph.) hospitalem fuisse. Ita enim instituisse, & villicis imperasse, ut omnia præberentur quicunq; Laciades in villam suam divertisset. Cic.2.offic.*

Ibid. Neque archon, neque thesmotheta.) *Nomina sunt magistratuum Atheniensibus propriorum: & quæ non vertere, quàm pervertere præstat. non enim video quæ Latina vocabuta iis verè & propriè respondeant. De Areopago in Solone dicta sunt ab auctore satis multa: quibus addi possunt, quæ sunt apud Isocratem in oratione de eo consilio scripta, & alios. Archontes Athenis novem fuerunt qui rempub. administrarent, quasi prætores. Ex his unus* Eponymus *dicebatur, de quo in Aristida. Sex alios legibus quotannis corrigendis, totoque anno curandis destinatos fuisse, Suidas ex aliis & Aeschynis contra Ctesiphontem oratione affirmat: qui* Thesmothetæ *dicerentur. Rex autem,* βασιλεύς, *quid officij habuerit, ex fine Acharnensium Aristophanis, & Scholiaste ejus apparet. Ibi* Dicæopolis, *quasi* victor certaminis, *utrem victoriæ præmium sibi tradi postulat, eoque nomine regem invocat:*

*Archon.*

*Thesmotheta.*

*Rex.*

———Rex ubi est?
Mihi tradite utrem,

*Ibi*

*Ibi Scholiastes:* Indicat, *inquit*, hoc loco, regem certaminum, quæ Choarum seu libationum festivitate edebantur, procuratorem fuisse, utremque victori præmium dedisse. Est autem rex magistratus quidam mysteriorum, pomparum & sacrificiorum curam gerens. *Hæc ille. Ergo regem sacrorum, aut regem sacrificulum* dicere licet, *de quo alibi. Sanè in Solonis vita, ubi, de Areopagitis disputatur, verba cujusdam legis referuntur, quæ indicare videantur, eos reges etiam in Prytaneo de gravibus causis judicium tulisse. quo fortassis hîc respicitur. Lapus omisit hunc magistratum, quod (ut existimo) non intelligeret ejus officium: & reges Athenis Periclis tempore non præfuisse cogitaret. Certe & Suidas in voce ἀρχων, quatuor hæc magistratuum nomina, ut hic noster auctor, conjunxit. Restat* Polemarchus, *quem prætorem peregrinum vertissem, nisi novum hoc & invidiosum ob novitatem futurum metuissem. Sane haud absimilis ratio ejus fuit. Siquidem (ut ex Suida & aliunde patet) & ipse unus de novem istis prætoribus, seu Archontibus fuit, atque inquilinis, ut reliquis civibus jus dixit. alioqui etymon indicat, belli præfectum etiam fuisse: quod genus Polemarchi etiam Spartanis fuerunt. Hæc, ut omni munere fidelis interpretis præfungerer, annotanda semel duxi: cùm plerique omnes interpretes aut non animadvertissent, aut oscitantes in similibus locis fuissent. Quæ plura volunt, ex Suida, Harpocratione. Gracisq; aliis interpretibus petant, aut commentariis recentioribus inde suffultis.* Polemarchus.

Cap. 19. Inter tribules suos in acie stare voluit.) ἵστερο μετὰ τῶν φυλετῶν εἰς λόχον τε ὅπλα. *Obscuriusculum est hoc, neque à Lapo expressum. in Cimone planius dixit,* μετὰ τῶν ὅπλων ἥκειν εἰς τὴν αὑτοῦ φυλὴν οἰνηΐδα, *&c. Tanagra autem Bœotiæ cum est oppidum, in finibus Atticæ etiam à Sophiano rectè pictum.*

Cap. 22. Thucydidem Alopecensem, &c. Cimonis affinem.) *Exponam hunc locum, qui me aliquando vexavit, torsitque: & (ut opinor) non omnes hanc rem statim rectè suo marte intelligent. Id primum obiter monendum duxi,* κηδεστὴν *non modò (ut vulgo putatur) socerum, sed & quocunque modo, vel affinem, vel agnatum Græcis significare: sicut & γαμβρὸς non tantum generum, sed etiam sororis maritum significat, & πενθερὸς affinem. neq; id absque omni ratione, uti alias ostendimus. Iam in vita Cimonidis Plutarchus tradit, fuisse materna ab origine conjunctum Cimoni Thucydidem: & quidem ibi disserte additur, scriptorem historiarum: quod ipsum & Suidas, & quicunque alij vitam ejus auctoris scripsere, haud obscurè annotavêrunt. Potuit hoc in eam suspitionem perducere hominem minus attentum, historicum Thucydidem (cujus libros habemus) eum esse, de quo hic auctor loquitur, nempe qui in republica, adversarius Periclis fuit. Accedit eo, quod & hunc ipsum historiæ parentem exsulio multatum fuisse, multi graves auctores tradiderunt. Cicero libro de Oratore secundo à repub. remotum, & patria pulsum, scripsisse suos libros testatur. Idem est apud Plinium lib. 7. cap. 30. apud* Non unum fuisse Thucydidem: & uter à Pericle pulsus.

*Pausaniam in Atticis, apud Dionem libro hist. Rom.* XXXVIII. *apud alios: neq; ipse hoc dissimulavit. Fuisse adversarium Periclis, opinari potuit, qui & cognationem illius cum Cimone (qui a Pericle graviter oppressus fuit) reputaret, & aequales in eadem; civitate versatos fuisse cogitaret: quod quidem posterius est extra omnem controversiam, & plurimum ad hunc errorem facit. Porrò Plutarchus hic, ubi de Thucydidis cum Pericle certaminibus & exsulio loquitur, Milesi patris nomen non addidit: ut tam facilè hunc ab isto diversum: quàm cum scriptore historiæ eundem fuisse, suspicari quispiam potuerit. Nam Curiarum in Cimonis & Periclis vita additam distinctionem non advertisse, aut non intellexisse, vulgare fuerit. Verùm mihi hoc ipsum primum altius cogitandi occasionem dedit. Nam* historicus Alimusius, *in Cimone Plutarchi, in; vita sua inscriptione columnæ cujusdam dicitur. Est autem* Alimùs Leontidis tribus curia. *Is autem de quo in præsentia sermo nobis est,* Alopecensis *curia perhibetur: hoc est, tribus Antiochensis: Si quidem Stephano, & aliis credimus. Sunt ergo diversi, utut nomen & exsilium commune tulerint. Ratio autem temporum hoc ipsum demonstrat, cùm post pugnam ad Amphipolim se in exilium abiisse, lib. 5. Thucydides scribat, mortuo pridem Pericle. Thucydidem autem Periclis adversarium, eundem cum Milesii F. supra nominato esse, & historia innuit, & demonstrat Scholiastes Aristophanis in Vespas, ad versum,*

ὥσπερ ποτὲ φεύγων ἔπαθε καὶ Θουκυδίδης,

quod exsulanti olim accidit Thucydidi. *ubi quidem & quatuor Thucydides enumerat, & hunc Alopecensem Milesii (historici verò pater Olorus, seu Orolus, ut Marcellinus in vita Thucydidis, etiam teste Didymo, contendit, notus est) filium fuisse docet. Atque hujus Thucydidis Milesii F. in fine Theagis initio Lachetis, & in Menone meminit Plato: est* Μελησίου *falsè legitur, ut persuasum habeo, pro* μιλησίου. *Quod addendum utiq; fuit, ut* μιλησίου *supra intelligas non gentile esse, sed ejus vocabuli usitata omissione prolatum: nam id ambiguum more suo Lapus reliquit. Amotus omnino* Milesium *fecit, id est Mileto oriundum: Non rectè. Initio Nicia etiam hujus, ut optimi, & suorum amantissimi, fit mentio.*

Plato emendatur.

Cap. 23. Octo minarum mercede conductorum.) *Est quidem in Græco ὀκτὼ μιῶν ἐμμισθοι. Verum Lapus legit non* μιῶν, *sed* μνῶν: *non menses, sed minas. Me ratio movit. Quid enim attinebat ad octo menses conduci, & stipendium non exprimi? cum quidem quotannis ista triremes emitterentur.*

Cap. eod.) Sybarim, quam Thurios nominaverunt.) *Ratio hujus rei, & historia exstat elegans, apud Diodor. Siculum lib.* 12.

Cap. 24. Ac profectò, dicebant, videtur.) *Mirum quam ineptè hæc Lapus transcripserit: neque enim animad vertit verba hæc esse calumniatorum, sive accusatorum Periclis. Et qui in margine annotavit, quo lucem scilicet versioni Lapi adferret,* (Loquitur de Athenien-si-

nienſibus quibus ſe adnumerare videtur) *abſurdum abſurdo auxit. Non enim hæc à Plutarcho, ſed (ut dixi) à Periclis inimicis dicuntur. quod in promptu eſt viderē, ſi quis eruditus verba Græca inſpiciat. Mutationem autem perſonarum, & obliquæ orationis in directam, qui ignorant, non ſanè video qui ſe excuſare poſſint: quum nihil Latinis & Græcis facundis auctoribus ſit magis uſitatum: ne de Ebraica lingua heic, & ſacris literis dicam. quod ſuo feci loco. Mox eſt ναὺς χιλιοταλάντους: Lapus, perinde ac ſi ναῦς eſſet ſcriptum, pro* templis naves *dedit.*

Cap. 25. Textores.) λιθουργοὶ. *Lapus* lapidarii: *at* lapicidæ *ſupra ſunt nominati. Suſpicor* λινουργοὶ *legendum propter vela, & alias res non navibus modò & curribus, ſed & hominibus ea tractantibus utiles. itaq; &* ſutores *poſuit. illud autem* ἐλέφαντος *ſuſpectum eſt, neque* μαλακτῆρες *ad id repeti poſſe puto. deeſt fortè* γλύπται, *aut legendum* ἐλεφαντογλύφοι. *Sed hæc ſunt minuta. Mendum porro eſt in verbis* καὶ τοι τῶτε φασὶν Αγαθ. *Non enim eo tempore claruit Zeuxis, cum Iſocratis æqualem eum apud Suidam faciat Ariſtoteles & Plinius 35. 9. eum in 95. Olympiadem collocet, conſtat autem bellum Peloponneſiacum, quod his temporibus quæ heic deſcribuntur, aliquando tempore inferius fuit, cœpiſſe 88. Olympiade. itaq; ποτὲ legendum.*

Cap. 28. Centum pedes undique patens.) *Hæc quidem interpretatio eſt etymo vocis conſentanea. & Euſtathius Iliad. ψ. verſum hunc exponens:*

ποίησαν δὲ πυρὴν ἑκατόμπεδον ἔνθα καὶ ἔνθα, *ait*, ἑκατὸν ποδῶν ἔχειν ἑκάστην πλευρὰν *cui aſtipulatur Varinus. Suidas enim non à magnitudine, ſed pulchritudine & concinnitate dictum ait: de quo ipſe viderit. Fanum fuit Minervæ. meminit Pauſanias lib. 1. Plin. lib. 34. 8. nomine Parthenonis, ut & Plutarchus infra in Demetrio. Per* virginem *autem, notari deam Minervam apud Athenienſes, omnibus conſtat.*

Ibid. Metagenes Xypetius) ὁ Ξυπέτιος. *Oxypetius male Lapus. Xypeta curia eſt Cecropidis tribus, auctore Stephano. Quod autem heic de Socrate dicitur, eſt apud Platonem in Gorgia. pag. 2.*

Ibid. Odeum,) *Lapus* orcheſtram *vertit, non quidem adeo male, ſed minus tamen propriè. Græcum ego relinquendum duxi, cùm eo etiam Latini ſcriptores utantur. Cic. ad Attic. lib. 4. Suetonius in Domitiano. Locum fuiſſe choris & cantilenis deſtinatum, ipſa vox oſtendit, & verba paulo poſt ſequentia. pro quo imperite apud Suetonium librarii, & apud Xiphilinum in Adriano Merula,* Methodium *ſuppoſuiſſe videntur.*

Cap. 29 Veſtibulum arcis.) τὰ προπύλαια *Propylæa; veſtibulum puto verti rectè poſſe. Sané Cic. lib. 2. Offic. Græcum vocabulum hac ipſa de re loquens, retinuit.*

Ibid. Minerva in ſomnis.) ἡ θεὸς, *ut ſæpe alias,* κατ' ἐξοχὴν, *herba autem Parthenium, vel Perdicium fuit, Pericli ab ea demonſtrata, Vide Plin. lib. 22. 17.*

Ibid.

Ibid. Divæ aureum signum.) χρυσοῦν ἕδος. *Nam & Pollux videtur testari initio lib.1. & testantur Eustathius, Hesychius, Varinus, aliq; ἕδος interdum esse ἄγαλμα. atque ita in Aristide Plutarchus utitur de Minerva Plataica, ἕδος ἔστησαν. In Coriolano, de fortuna muliebri,* pro pulvinari, *quæ diis sacra passim à Livio & aliis commemorantur, posuisse videtur. & quod hic ἕδος, id post de Phidiæ calamitate ἄγαλμα dicitur. Itaq; synechdochicῶs vocem hanc pro* base & simulacro *sumi apparet.*

Cap.32. Vt est à Platone.) *In Phædro, & Gorgia, locus Thucydidis est lib.2.*

Cap.33. Quod quidam filiorum.) *Non intelligo hæc verba: & mendosa esse credo. Itaque id, quod congruere huc videretur, posui.*

Cap.35. Hæc omnia erant.) *Sensus non est obscurus: sed mutilus in Græco locus.*

Ibid. Anaxagoram reducta veste.) ἐκκαλυψάμενον: *ut ante* συγκεκαλυμμένον, velato corpore. *Lapus* expirantem *verterat.*

Cap.37. Tolmidam Tolmæi.) *Is enim in Laconicam incursiones fecerat. Cephaleniam occuparat: & rebus satis prosperè succedentibus tandem ad Coroneam fuit à Bœotis maxima Atheniensium clade victus & cæsus cum exercitu. Diodorus lib.11. fine, & duodecimi initio feré. Meminit* Thucyd. *lib.1.*

Cap.41. Megarenses defecisse.) ἀπηγγέλλοντο Μεγαρεῖς ἐκπεπολεμήμενοι. *Legendum arbitror* ἐκπεπολεμώμενοι. bellum movere. defecisse. *Lapus diverso sensu,* Megarenses civitate exactos: *quasi verò* ἐκπεπολεμοῦσθαι, *passiva quamvis inclinatione, id significet.* Thucydid. *hac de re loquens. lib.1. Megarenses ait Corinthiis, Sycioniis & Epidauriis adscitis, ab Atheniensibus defecisse. præsidiumq; eorum obtruncasse. ut videas quàm rectè Lapus intellexerit, aut quã de re solicitus fuerit. Et quidem paulò post iterum dixit* Plut. *eodem modo,* ὡς ὅσον οὐδέπω Πελοποννησίων ἐκπεπολεμωμένον πρὸς αὐτοὺς. *Cæterùm paulò ante* προμαντείαν oraculi prærogativam *converti. nam oracula quibusvis dabantur, hæc autem singulare aliquid, & honoris causa concessum significatur.*

Cap.44. Et mulieres ad eum.) *Locus in Græcis est mancus. divinavi igitur.*

Cap.45. Eupolis in populis.) δημοσίοις. *Lego* δήμοις: *sicut & supra citatur hæc comœdia, & apud Athenæum aliquoties. Lapus errorem Græci codicis retinuit. ubi est* Pyronides, *fuit haud dubié* Myronides, *quem inter Periclis æquales fuisse, non historiæ modò demonstrant, sed & supra eo nomine fuit cum aliis recitatus.* Paulo post, de Phocæa Phocensem *fecit Lapus: de* Ionica Parnasiam *scilicet. In Artoxerxe additur,* φωκαία ἐξ Ιωνίας.

Cap.51. Ne corpus unguentis.) *Ne hic quidem quicquam, nisi conjecturam, attuli. Existimavi autem sensum hujus Archilochij carminis esse: non esse mulieri, jam provectæ præsertim ætatis, de rebus gestis & administratione reipub. judicandum aut disputandum.*

*Hoc*

*Hoc modo alij etiam versus Homericos usurparunt. Fuisse autem jam tum Vetulam Elpinicen, & ex temporum ratione, & ex Plutarchi loco, ubi de ejus profratre apud Periclem deprecatione dixit, liquet. & Horatius quidem haud absimili modo Vetulam quandam reprehendit, 3. Od. 15.*

Cap. 55. Aristophanis arduum.) *Extant in Acharnensibus. Ibidem diserte commemoratur decretum in Megarenses factum, de quo pulcram historiam habet Gel. 6. cap. 10. Citat & Atheneus lib. 13. eosdem versus: quo ex loco apparet, non duas Aspasias (id quod Aristophanis commentator, & eum secutus Suidas tradunt) raptas fuisse: sed duo scorta, quae ab Aspasia, nempe lana, quaestus causa alebantur. Nam in Graeco δοπιδίας ambiguum est, cum & genitivus singularis, & accusativus pluralis esse possit. Sed id posterius loco non convenit admodum, cum Plutarchus (ut & in Aristophane Florentino est) πέρνα scripserit duali numero. cui male cohaeret pluralis δοπιδίας. Neque tamen non annotavi hujusmodi apud Homerum & alios multa exemplа. sed (ne quid aliud dicam) διπροφάτεον hoc non est. & verò Athenaeus δοπιδίας πέρνας legit, ubi prius genitivum singularem esse, ipse etiam intellexit. Postremum versum arbitror à Plutarchiano librario omissum. addidi ex Aristophane, sicut & Lapus, ut sententiam explerem. Caeterùm ἀνατίμητος τὴν ἱερὰν ὁδὸν ἐλαύνω, non temerè vertis, sacrum lucum caedere. id quod intelliget, qui quae sunt apud Suidam & Harpocrationem, cum mea versione comparabit.* Scholiasta Aristophanis & Suidae error.

Cap. 58. Violatae religionis.) *ἀσεβείας. Lapus, lenocinii, nescio quid secutus. Est quidem & apud Athenaeum in hac historia γραφὴ ἀσεβείας: & lenocinij crimen auctuarij loco priori accessisse, Plutarchi verba palam demonstrare aliquando existimavi. nunc eò animus inclinat, additamenti loco fuisse, quod Aspasia religionis contemtrices faminas domum suam reciperet, quas Pericles Anaxagoreae impietatis scilicet instituereet. nam quod eas Pericls prostitueret amatoris suo, est alienum.*

Ibid. Apud Prytanes.) *Senatus Athenienſis ex quingentis personis constabat. decem enim erant Athenis tribus: ex his quinquageni delecti, senatum quingentum virorum constituebant. Ex hoc senatu quinquaginta unius tribus (ut ordo ferebat) virs, decimam anni lunaris partem omnia senatus munera obibant: hoc est per dies XXXV. tum alij, atque deinceps alij, decem: ut singulis annis per omnes tribus circumiret ea administratio, cùm quidem quatuor reliqui dies (nam annus lunaris CCCLIV. diebus constabat) in quatuor tribus singuli distribuerentur. Et y quinquaginta, quibus tum forte tempus illud administrationis obtigisset, prytanes vocabantur. Hac ferè ex Harpocratione & Suida. Morem verè ab ara judicium ferendi, etiam supra in Themistocle commemoravit, ubi de honore ei à Graecis ob victoriam Salaminiam habito scripsit. juratum & quasi sacrum judicium intelligi debere, ubi dixi.* Prytanes.

Cap. 59. Piaculo liberare.) *Locus Thucydidis est libro primo. In-*

*zelli-*

*telligitur autem Cylonium piaculum, de quo exstat & in Solone Plutarchi historia. Porrò ut Periclis mater à Megacle Alcmæonis F. genus trahebat, qui ejus facinoris auctor fuit, id supra est demōstratū.*

Cap. 61. O rex Satyrorum.) *Versus mei sunt Anapæstici, trimetri, acatalectici, excepto ultimo qui est catalecticus. Sicubi non satisfeci lectori, sciat me ne mihi quidem ipsi satisfecisse: sunt enim Græci versus obscurissimi. Teletem videtur innuere hominem timidum: sed de quo nihil compertum habeam. Bipennes sermonum ad vim dicendi referuntur: nisi fallor quo modo Demosthenes Phocionem solebat suorum κοπίδα sermonum nominare, quod quæ ipse proposuisset, ea Phocion brevi, sed vehementi oratione refutaret, ac quasi diffinderet.*

Cap. 65. Protagora.) *Hunc familiarem fuisse Pericli, alibi non memini legere. de Anaxagora abundé constat. Temporis ratio tamen Protagoram non excludit. alioqui Ἀναξαγόρου legendum putarem, non Πρωταγόρου. Nam hujus quidam sophistica, qualem eam Plato & alij expingunt, nihil ad institutum Periclis conferre admodum potuit, qui maximé Anaxagoram haberet.*

Cap. 67. Expunctique sunt.) *ἐπράθησαν. Sed profectò mihi locus hic suspectus est. neq; tum præsertim, venditos, sed numero civium eos exclusos spurios existimaverim.*

Cap. 70. Cœlum enim cùm dicant esse.) *Locus est lib. 6. Vlyssea Homerica, ad quem hic alluditur.*

## PLVTARCHI FABIVS MAXIMVS, GVILIELMO *Xylandro, Augustano, interprete.*

EXpositis iis, quæ de Pericle digna commemoratu tradita inveni- I
mus, ad Fabii jam nunc historiam nos convertemus. Ferunt cum Nympha quadam (alii mulierem ejus loci incolam fuisse scribunt) Herculem apud Tiberim fluvium coivisse, atque inde natum Fabium, qui Fabiorum magnam illustremque Romæ gentem propagaverit. Alii perhibent primos hujus generis viros, eo quod in venatione fossis uterentur, *Fodios* antiquitus nominatos: tempore duas literas mutatas atq; ita Fabiorum nomen exstitisse. Hæc familia cum multos tulerit magnos viròs, à Fabio Rullo, qui Maximus à Romanis cognominatus est, quartus fuit Fabius hic de quo scribimus. Cognomentum ei fuit *Verrucosus*, tractum à corporis habitu. habuit enim verrucam parvam supra labium enatam. *Oviculæ* vero cognomen propter placidum ingenium constantiamque morum ei adhuc puero impositum est, nam quieta in eo atque taciturna natura, & in puerilibus voluptatibus fruendis cautio: ad hæc in percipiendis disciplinis tarditas & difficultas, facilitas verò apud familiares & obedientia, suspicionem exteris stoliditatis alicujus & ignaviæ de eo præbebant. Pauci indolem in eo gravem atq; immobilem leoni-

*Fabiorum genus.*

*Verrucosi cognomentum & Oviculæ.*

*Indoles Fabij.*

II leoninamq; magnanimitatem perspiciebant. Ipse mox rebus ipsis excitatus, non socordem se, verùm affectibus vacuum, nō timidum, sed cautum, non tardum & in quacunque re suscipienda segnem, sed gravem esse atque constantem demonstravit. Itaq; cùm magnitudinem reip. bellorumque multitudinem videret, corpus (quæ sibi ad eam rem à natura data esse arma censebat) ad res bellicas adsuefaciebat, orationem, quo ad persuadendum populum instrumento uteretur, quàm maximè suæ vitæ convententem informabat, neque enim in ea inerat ornatus, neque inanis illa & forensis gratia, sed peculiaris quædam forma sententiarum, graviumq; dictorum maximè Tuscy (ut aiunt) sententiis similium. Exstat enim oratio ejus,

III quam in funere illi gesto consulatu mortui dixit. Fabius Maximus quinquies gessit consulatus: quorum primo de Liguribus triumphavit, eosq; prœlio fusos, ac magna strage affectos, in Alpes repulit, finemque populationibus finitimarum Italiæ partium imposuit. Aliquanto post tempore Annibal in Italiam irrupit, victorque prima apud Trebiam pugna, per Etruriam obvia quæq. vastando progressus, ingentem Romanis terrorem injecit. Accidere tum signa iis, partim consueta, ut tactis de cœlo rebus: partim nova prorsus, tetraque. Renunciabatur enim scuta ultrò sanguine manasse, apud Antium spicas sanguinolentas demessas, lapides candentes & ardentes ex aere decidisse, cœlum supra Falerios findi visum, delapsasque eo ex hiatu & disjectas multas tabellas; inque earum una scripta hæc verba, *Mars sua concutit arma*. Nihil hæc ferociam C. Flaminii consulis represserunt, hominis natura ferocis ac arrogantis, elatique magnis successibus, quod rem præter omnium opinionem bene gessisset, Gallosque prœlio congressus senatu prohiben-

IV te, invitoque collega vicisset. At Fabium prodigia quidem propter novitatem minus terrebant, quanquam animos ea multorum perculerant: sed percepta hostium paucitate & penuria, Romanos hortabatur ut se continerent, neque confligerent cum hoste, qui tot jam dimicationibus ad pugnam suos exercuisset: sociis potius auxilia mitterent, urbes præsidiis munirent, Annibalisq; vigorem ipsum per se paterentur elanguescere, qui, tanquam flamma, a parva & imbecilli potentia eluceret. Neque movit ea ratione animum Flaminii, quin is prætatus non se passurum, ut hostis ad urbem accederet, neque, ut quondam Camillus, de urbe in ipsa urbe decertaturum, tribunis ut exercitum educerent, mandaret. Ipse cùm in equum insiluisset, consternato nulla ex evidenti causa equo, in caput decidit: nihilque ne sic quidem à sententia occurrendi Annibali deductus, a-

V ciem apud Trasymenum lacum Etruriæ instruxit. Cùm manus copiæ conserrent, ipso conflictus tempore terræ motus accidit, qui & urbes prostravit, & fluvios à suis alveis avertit, montiumque radices proruit: & tam violentā concussionem nemo tamē quisquā pugnantium sensit. Eo in prœlio Flaminius cùm & audaciam suam, & robur præclarè ostendisset, ipse ac circum eum optimi ceciderunt: cæteri fusi,

*Ligures à Fabio victi.*

*Annibal in Italiam irrumpit.*

*Fabij consilium.*

*Clades ad Trasymennum.*

fusi, & ingenti strage affecti: cæsi quindecim milia, totidemque capti. Flaminii corpus Annibal propter viri ejus virtutem honestæ sepulturæ causa magna cum cura quæsitum invenire inter cadavera nequivit: neque omnino sciri potuit, quomodo è medio sublatum fuerit. Superiorem cladem, quæ erat ad Trebiam accepta, neque consul per litteras, neque nuncius missus apertè annunciaverant, sed dubia victoria discessum fuisse dixerant. De hac autem ut primùm rescivit prætor Pomponius, advocato in concionem populo, omissis ambagibus, progressus: Magna, inquit, pugna victi sumus Quirites, cæsusque est exercitus, & Flaminius consul periit: proinde vestra de salute consilium capite. Hac ille oratione in populum VI tanquam vento in mare immisso, totam urbem conturbavit, neque in tanto terrore constare hominum cogitationes potuere: omnes in eam sententiam venerunt, res dictaturam exposcere. virumque qui cum magistratum impavidè gereret. neque verò esse alium excepto Fabio: hujus & animi excellentia, morumque gravitate majestatem dictaturæ adæquari, eaque esse ætate, qua adhuc consiliis animi robur corporis respondet, ac prudentia est audaciæ conjuncta. Hac sententia comprobata, Fabius Maximus dictator dictus, magistrum equitum dixit Marcum Minutium: petiitque primò omnium à senatu, ut militiæ sibi liceret equo vehi. Id enim antiquitus lege prohibitum erat: sive quod prisci Romani plurimum roboris in peditatu ponebant, ideoq; ducem volebant in acie suis adstare: sive quod regia cùm esset alioquin dictaturæ potentia, omniaque sub se comprehenderet, volebant tamen hoc pacto ostendere, dictatorem populo esse obnoxium. Deinde ut statim imperii sui majestatem civibus demonstraret, eoque sibi eos magis dicto audientes haberet, cum viginti quatuor fascibus in publicum progressus est: alterumque consulum obviam sibi venientem, misso lictore, jussit fascibus & magistratus insignibus remotis privatum ad se venire. Tum præclarè VII à diis orsus, populum docuit, à duce rem male gestam non ignavia militum, sed negligentia contemptioneque religionum: hortatusq; est, ne hostem metuerent, sed Deos placarent atque venerarentur. Neque verò superstitione animos obstrinxit, sed virtutem pietate roboravit, metumque hostilem bona de diis spe sustulit. Consulti etiam sunt vaticini & occulti libri, quos Sibyllinos vocant: feruntur-que quædam vaticinia in iis recondita, eventibus & actionibus præsentis temporis congruisse: verùm ea evulgari non licuit. Dictator inde ad plebem progressus, diis vovit immolaturum se omnem fœtum caprarum, porcorum, ovium, boum, quantum ejus Italiæ montes, campi, flumina, & prata usque ad ver proximum produxissent: vovit etiam spectacula, & Musica certamina, in quæ impenderentur trecenta triginta tria sestertia, ac denarii trecenti triginta tres cum denarii triente: quæ summa facit XXCVI. millia denarium, atque ad hæc IXXCIII. denarios, duosque obolos. Cur hunc præcisè numerum statuerit, dicere non facilè est, nisi quis ternionis naturam hic prædi-

*Vota Fabij.*

prædicare velit: quod is numerus & perfectus natura est, & inter impares primus, in eoque multitudinis initium, & primæ differentiæ,
VIII omniumque numerorum elementa continentur. Hoc modo Fabius suorum ad Deûm cultum erectos animos in bonam futurorum spem adduxit. Ipse omnem in se victoriæ fiduciam collocans, ratusq; virtutis & prudentiæ causa Deos prosperum successum largiri, Annibalem aggredi statuit: non ut rem prœlio committeret, sed ut impetum ejus mora, pecunia egestatem, copia hominum paucitatem attereret ac consumeret. Itaque ab equitatu hostium sibi cavere, in editis locis ac montanis castra habere, sedente in castris hoste quiescere, movente se eo per montes circumire, seque per intervalla hosti ostendere: ut neque ipse invitus ad pugnam compelli posset, & cunctatione hac hostibus pugnæ expectationem afferret. Eo modo tempus trahens, omnibus contemptui erat: neque in castris modò audiebat male, sed hostibus etiam omnibus timidissi-
IX mus ac nullius precii imperator credebatur. Solus Annibal calliditatem ejus, quoque modo gerere bellum statuisset, perspiciens, omnique arte & vi eum ad conserendum prœlium intelligens eliciendum (quippe actum alioquin de rebus Carthaginensium, quibus armorum usu, quo præstabant, adempto, corpora & pecuniæ à quibus, quàm hostis, erant impatiores, frustra imminuerentur & consumerentur) omnes imperatorias expetiri technas, omnem astum, & more periti luctatoris quærere, quanam ratione adversario manus injiceret. Itaque sæpius adoriri, tumultum concitare, atque hinc inde Fabium rapere, si qua eum ratione à tutis consiliis abducere posset. At Fabius suæ utilitatis certus, confirmato judicio in sua sententia perstabat. Minucius equitum magister eum importunè pugnam poscens ac ferociens vexabat, plausibilibusque milites orationibus insana cupiditate, & vana spe implebat. Itaque ii Fabium ludibrio habebant, Annibalisque pædagogum vocitabant: Minucium magnum virum, Romaque dignum imperatorem prædicabant. Quibus ad majorem fastum & audaciam evectus Minutius, castra in sublimibus posita locis subsannabat, pulcra dictatorem theatra suis parasse dictitans, unde populationibus incenduisque vastari Italiam spectarent. ex amicis etiam Fabii, sciscitabatur, ecquid Fabius spe terræ tenendæ abjecta, in cœlum efferre
X exercitum, aut objectis nubibus & nebulis hostem effugere intendisset. Hæc cum amici Fabio renunciarent, suaderentque ut tentato prœlio ignominiam aboleret: Ego verò, inquit, infamiam timiditatis ea ratione augerem, si metu reprehensionum & convictorum meo me detrudi proposito paterer. & quidem pro patriæ salute timidum esse, indecorum nō est: propter hominum de se opinionem, calumnias, aut reprehensiones in terrorem venire; id jam non viro, qui tanto sit dignus imperio, convenit, sed qui eorum servus esse velit, quibus eum male sentientibus imperare decet. Secundum hæc Annibali captum consilium secius cecidit. Vt enim à Fabii exer-

*Institutum Fabij in Annibale oppugnando.*

*Minucij temeritas.*

exercitu longius in campos pabulo aptos duceret, ducibus mandavit, ut statim à cœna in Casinatem agrum ducerent exercitum. Hi ob barbariem non satis percepto Casini vocabulo, in extremas Campaniæ partes duxerunt ad Casilinum, quam urbem Vulturnus amnis dividit. Regio est undique montibus septa, & planicies tumulos interjacens adversus mare patet, quo se paludes effundunt fluvio stagnante, habentque ripæ tumulos arenæ profundos, & ad litus fluctuosum portuque carens terminantur. Hâc descendente Anniba- XI
le, peritia locorum Fabius eodem prævenit, angustias quatuor millibus peditum occupavit, reliquum exercitum commodo loco in jugis montium collocavit: ipse cum expeditissimis hostium novissimos adortus, universum exercitum conturbavit, ac circiter octingentos occidit. Annibal cognito errore, & periculo iis in locis, sublatis incrucem ductoribus, de abducendo inde exercitu deliberavit: cumque vi dejicere hostes superiora loca tenentes posse desperaret, totus verò exercitus omni se effugio intercluſum metuens animis concidisset, dolo hujusmodi ex hostibus elabi decrevit. Ex præda captis bobus ad duo millia jussit alligari ad singula cornua facem ac fasciculum virgarum sarmentorumve aridorum: has noctu dato signo agi accensis facibus ad saltus juxta angustias ab hostibus obsessas. Simul & hæc ii, quibus datum erat negotium, apparabant, & ipse primus tenebris reliquum exercitum paulatim duxit. Bo- XII
ves, quandiu ignis exiguus materiam depascebatur, sensim ut agebantur, ad radices montium succesſere, miraculoque erant pastoribus supernè eos inspicientibus, summis cornibus lucem præbentes, perinde ac si totus exercitus cum multis facibus ordinatè incederet. At postquam cornu igne ustum usque ad ipsam carnem sensum detulit, bovesque præ dolore capita quatientes multa se invicem flamma oppleverunt: non jam in ordine permansere, sed metu ac dolore consternatæ, cursu montes petierunt, caudis earum & frontibus, fulgentibus virgultaque, per quæ se proriperent, undique incendentes. Terribile id erat spectatu Romanis, qui saltus insederant: videbanturque eæ flammæ ab hominibus faces differentibus spargi, terrorque eos ingens occupabat, cùm alios aliunde hostes ingruere seque undique circundari putarent: itaque manere loco non ausi, angustiis relictis ad majora se castra contulerunt. Eodem tempore levis armaturæ pedites ab Annibale missi saltus occupavere: reliquo exercitu cum ingenti præda tuto subsequente. Sen- XI
serat quidem noctu fraudem Fabius, deprehensis nonnullis quæ sparsim diffugerant bobus: tamen insidiarum nocturnarum metu, suos in armis continuit. Facta luce extremos hostium insecutus, conflictumque in angustiis est magno cum tumultu: donec ab Annibale missi Hispani, agiles & celeres cursu, scandendorumque montium peritissimi, aggressi gravem armis hostem à fronte, haud paucis cæsis, Fabium averterunt. Ibi verò Fabius male denuò audire, ac summio suis contemptui esse, qui omissa armorum fiducia conatus pru-

*Annibalis astutia qua manus Fabij effugit.*

prudentia & consilio debellare Annibalem, ipse artibus militaribus ab eo victus videbatur. Quam Romanorum iram quò magis inflammaret Annibal, ut ad agros Fabii pervenit, hos tantum intactos relinqui, reliqua circum omnia incendi & corrumpi jussit: addita etiam custodia, quæ Fabii bona ab injuria & rapinis defenderet. Hæc Romam annunciata, invidiam dictatoris auxerunt: multique erant in eo apud populum traducendo tribuni plebis, instinctu maximè Metilii, qui non tam odii causa in Fabium, quàm ob familiaritatem Minucii, gloriæ huic illius infamiam futuram putabat. Invisus etiam senatui erat, quod in permutandis captivis pactus cum Annibale fuerat, ut captivus pro captivo redderetur, qui plures reddidisset, argenti quinque selibras in militem acciperet. facta hominum permutatione, cùm apud Annibalē adhuc reperti essent Romani ducēti quadraginta, mittere precium redēptionis senatus noluit, Fabiumque culpavit, qui homines propriæ timiditatis causa ab hostibus captos præter decorum & commodum reipubl. reducere laboraret.

XIV His auditis Fabius iram civium moderatè tulit: pecunia tamen destitutus, ut neque falleret fidem Annibali datam, neque proderet captivos, filium Romam misit, agrosque jussit divendere, & pecuniam inde factam ad se statim in castra perferre. Ex ea argentum Annibali ipse persolvit, & captivos recepit: omnibusq; eam pecuniam, postmodò multis reddere volentibus condonavit. Secundum hæc Romam à Pontificibus sacrorum causa revocatus, Minucio copias tradidit: cum quo tamen ante non pro imperio solùm, ne pugnam cum hostibus consereret, sed multis etiam ejus rei causa adhortationibus multis precibus nequicquam egit. Minucius enim statim hostes aggredi instituit: captoque tempore, quo majorem partem copiarum Annibal frumentatum dimisisset, castra hostium aggressus multis occisis, reliquos intra vallum cōpulit, metumque obsidionis universis objecit: post cùm Annibal suos in castra collegisset, incolumis discessit: eoque facto & seipsum immodica jactantia, & mili-

XV tes audacia inflavit. Celeriter ea res inflatius etiam verò Romam est annuntiata. Cùm Fabius se ob successum istum eo magis jam Minucio timere diceret, populus autem gaudio elatus in forum concurreret: Metilius eam pro rostris concionem habuit, qua & Minucium laudibus extolleret, & Fabium non jam molliciei modò, timiditatisque, sed proditionis etiam simularet: simul etiam reliquorum potentissimum quemque & primores incusans, quod ii opprimendę plebis causa bellum initio concitassent, ut unius rursus viri potestatem nullis legibus subjectam in civitatem inducerent: qui rem extrahendo, Annibali Italia nunc potito novas ex Africa copias tuto expectandi facultatem præberent. Posteaquam Fabius progressus, respondendum accusationi tribuniciæ nequaquam ratus statim sacra esse perpetranda, redituramque se inde ad exercitum dixit, & à Minucio pœnas exacturum, quod contra suum edictum pugnasset: ingens populi tumultus est coortus, Minucio timentis.

*Fabius captos vos sua pecunia redemit.*

*Minucij temeritas.*

Nam & in vincula conjiceré,& capite indicta causa plectere,quē velit,dictatori licet: & Fabii iram post longam mansuetudinem commotam gravem & implacabilem fore censebant. Ideò cæteris metus causa quiescentibus,Metilius tribunatus nomine tutus (solus enim hic magistratus dictatore creato manet,cùm cæteri omnes aboleantur) plebem multis verbis hortatus est, ne Minucium destituerent,neve id ei paterētur evenire, quod Manlio Torquato accidisset, cui pater victori & coronato collum securi abscidisset: utque Fabio tyrannicam illam potestatem adimerent,eiq; summam rerum commendarent,qui & vellet suos servare,& posset. His sermonibus moti, cùm Fabium, quamvis infamia laborantem,non auderent ad abdicandum adigere; imperium Minucio cum dictatore æquarunt,decreveruntque ut pari jure bellum administrarent. Id Romæ prius inauditum; paulò post iterum usurpatum est secundum cladem Cannensem, cùm versante in castris M.Iunio dictatore, propter necessitatem senatus supplendi (quippe multis in ea strage senatoribus amissis) alius dictator est dictus Fabius Buteo.Hoc tamen interfuit, quod hic simul atque progressus in publicum senatores legit, idque concilium supplevit: eadem die dimissis lictoribus fugiens eos qui deducere ipsum cupiebant, turbæ se immiscuit, privatamque rem privatus in foro egit. Minucio cùm jus cum dictatore æquassent illi, Fabii animum se depressisse frustra opinati sunt, non rectè facta de eo viro conjectura. Neque enim Fabius eorum inscitiam suum malum putavit: sed ut Diogenes philosophus dicentibus, Isti te derident, respondit, se tamen non derideri: (quod eos tantum derideri judicaret, qui sannas curant,& iis perturbantur) ita Fabius id, quod actum erat,æquo animo tulit, iisque philosophis, qui asserunt bonum & honestum virum contumelia & dedecore afici non posse,evidens argumentum suo exemplo suppeditavit. Sed ut suo nomine nihil ei ista injuria dolebat, ita reipublicæ causa angebatur, quod multitudinis imprudentia insanæ Municii pugnandi cupiditati ansam prorsus in furorem actus,maturiùs aliquid mali reipublicæ afferret,clam omnibus ad exercitum abiit. Ibi Municium cùm offenderet ea superbia elatum, ut nullo jam modo contineri posset; alternisque adeo vicibus imperare postularet: eo denegato, quod præstare arbitrabatur se alteri parti solùm, quàm utrique per vices,præesse, copias cum eo divisit: primamque & quartam legionem retinuit, secunda & tertia Minucio tradita. eademque ratione sociorum auxilia inter eos divisa sunt. Gestientem etiam Minucium præ gaudio jactantemque sui causa summi magistratus dignitatem imminutam & circumscriptam, Fabius monuit, rem ipsi esse non cum Fabio, sed Annibale: aut si omninò cum collega sibi certamen putaret esse: operam daret,ne qui victoria, honoreque esset studio populi potitus,in hujus salute procuranda & incolumnitate negligentior deprehenderetur esse eo, qui victus, & ignominia notatus

XVI

*Minucii imperium cum Fabio æquatur.*

XVII

tus ab iisdem esset. Hoc senile cavillum dicens Minucius, cum sua
XIX parte exercitus castra à castris Fabii separatim fecit. Nihil harum *Minucius ab*
omnium rerum Annibalem fefellit: omnibus intentum occasioni- *Annibale*
bus. Tumulus erat in medio, occupatu non difficilis, & qui occupa- *circumveni-*
tus castris munitioni esset futurus, ad omnesque usus suffecturus. *tur.*
Planicies circa eum si è longinquo inspiceretur æqualis apparebat,
ut nuda: erant tamen in ea fossæ quædam non magnæ, aliæque ca-
vernæ. Hunc tumulum cùm posset occultè Annibal nullo negocio
occupare, relinquere ad occasionem prælii in medio conserendi
maluit. postquam à Fabio segregatum animadvertit Minucium, no-
ctu aliquot milites in fossas istas cavernasque abdidit: albente cœ-
lo apertè alios non magno numero misit, qui tumulum capere co-
narentur; ratus fore, ut Minucius colle hostes prohibendi causa præ-
lium iniret. Neque ig eum consilium frustratum est. Primò enim
Minucius levem misit armaturam, post equites: tandem cum suis
mittere subsidia Annibalem videret exstructis omnibus copiis de-
scendit, commissoque acri cum iis, qui supernè de tumulo jam oc-
cupato pugnabant, prælio, æquo Marte contendit. Annibal ut
XX eum egregiè jam in fraudem inductum vidit, nudaq; iis, quos in in-
sidiis posuerat, terga præbentem, signum iis dedit. Qui cùm omni-
bus ex locis exurgerent, ac cum vociferatione hostem invaderent,
extremosque cæderent, dici non potest quanta perturbatio, quæ tre-
pidatio Romanos incesserit: & Minucii jam fracta erat ferocia, ocu-
losque hinc inde ad tribunos militum obvertebat. Sed neque horum
quisquam locum tenere audebat, omnesque fugam certatim facie-
bant, nequaquam salutarem: jam enim Numidæ victores corona
planiciem cinxerant, circumvectiq; divulsos ab agmine hostes tru-
cidabant. Non fefellit Fabium, quo loco res Romana esset, qui jam *Fabius Mi-*
ante animo, quid esset futurum, perceperat, ideoque suas copias in *nucium ser-*
armis instructas habebat, ac quid rei gereretur scire curabat, non *vat.*
XXI per nuncios, sed ipse ante castra speculans. Ergo ut circumvĕtum
Minucii exercitum, ordinesque confusos vidit, simulque paventium
& fugam quærentium clamor ad eum allatus est, graviter ingemuit,
percussoque femore, iis qui aderant: Pro Iupiter, inquit, mea ergo
opinione celerius, sua properatione tardius, perdidit seipsum Mi-
nucius. Tum celeriter efferri signa, militesque sequi se jussit, suosq;
cum clamore hortatus est. properarent M. Minucio succurrere, viro
egregio, & patriæ studioso: post tempus fore reprehendendi eum,
quod hostes profligare festinans errasset. Vt primum cum copiis
adventare conspectus est, Numidas in campo circumequitantes fu-
dit ac disjecit: inde in eos qui in terga Romanorum pugnabant con-
versus, obvios cecidit: reliqui priusquam circumvenirentur, idemq;
quod Minucio acciderat paterentur, in fugam se conjecerunt. Anni-
bal cum videret pugnæ fortunam mutatam, Fabiumque præter æta-
tem magno robore per pugnantes sursum in collem ad Minucium
eniti, receptui cecinit: Romanis quoque haud illibenter pugnam

omittentibus. Feruntque Annibalem, cum se reciperet in castra, per iocum amicis dixisse: An non ego vobis sæpius prædixi, nebulam istam, quæ in summitatibus montium sedebat, aliquando cum procella & turbine imbrem esse daturam? Finito prœlio, Fabius hostium, quos occiderat, spolia legit, reditq; in castra, nihil superbum aut odiosum de collega locutus. Minucius verò convocatis suis: Nihil peccare, inquit, commilitones, in magnis rebus, humana conditione altius est: qui peccaverit, eum errore suo in posterum doctrinæ loco uti, viri boni est & cordati officium. Ego sane confiteor parum me habere quod incusem fortunam, plus aliquantò cur eam laudem: quæ enim tantum hactenus tempus ignoravi, exigua parte diei doctus sum, nimirum ut intelligerem me & imperare nescium, & imperatore, cui parerem, opus habere: neque contendendum mihi fuisse ut eos vincerem, à quibus me superari præstaret. Proinde in vos imperium teneat dictator, ego in agenda gratia dux vobis ero, meque primum ei subditum, & dicto audientem offeram. Hæc locutus signa suos tollere, & sequi se jussit, & ad castra Fabii profectus est: ingressusque magna omnium cum admiratione, ad prætorium ejus contendit. Tum exeunte Fabio, positis ante tabernaculum Fabiis signis, ipse eum alta voce patrem, exercitus milites Fabianos patronos suos appellavit. Inde facto silentio Minucius: Duas, inquit, victorias, dictator hodie reportasti, & hostibus fortitudine, & collegâ prudentiâ bonitateque superato: quarum altera nos conservasti, altera meliores fecisti, turpiter ab hoste, utiliter à te & in salutem nostram victos. Patrem igitur te benignum ego appello, cùm honorificentius nullum suppeditet nomen: plus enim tibi, quam parentibus meis debeo, quod hi vitam mihi modo dederint, tu & mihi, & his simul salutem tuleris. His dictis Fabio complexum tulit, atque eum consultavit: idemque à militibus factum, amplectentibus se mutuò & deosculantibus ac per tota castra lætitiæ & dulcissimarum lachrymarum plena erant omnia. His ita gestis Fabius dictatura se abdicavit, resque iterum consulibus tradita est gerenda. Primi horum Fabii artibus bellum gesserunt, pugnam detrectando, auxilia sociis ferendo, & in fide eos retinendo. Sed postquàm Terentius Varro ad consulatum est evectus, homo natus, obscuro loco, vitæ ob popularis auræ venationem & temeritatem notæ: ab initio statim nemo dubitavit, quin is totam rem in discrimen pugnæ esset conjecturus. Nam in concionibus vociferabatur daturum bellum, quamdiu id Fabiis committeretur: se quo die ad hostes perveniisset, victoria potiturum. Ad hæc tantas copias conscribebat, quantas nunquam ullo in bello Romani habuerant. in acie enim qui starent, erant millia hominum octoginta octo: quod Fabio, aliisque Romanorum sapientibus magnum metum afferebat. si enim urbs eadem tanti militaris roboris passa foret, recipere eam vires nullo pacto posse censebant. Quæ causa Fabio fuit, ut collegam Terentii Lucium Æmilium Paulum, virum rei bellicæ peritum, sed populo invisum

*Minucius errorem fatetur.*

*Terentij Varronis temeritas.*

*L. Æmilius Paulus, à Fabio instituitur.*

invisum propter damnationem quandam, excitaret, & hortaretur, ut insaniam collegæ inhiberet: cogitaretque sibi non majus contra Annibalem, quàm contra eum fore de salute patriæ certamen, utrunque enim pugnam acceleraturum: Terentium, quod vires hostium ignoraret: Annibalem, quod sibi suæ imbecillitatis esset conscius. Rectius Fabio de Annibalis rebus affirmanti, quàm Terentio crediturum: compertum sibi esse, hostem si hoc anno nemo cum ipso confligat, aut manendo absumptum iri, aut fuga sibi consulturum. nunc quoque cùm victor rerum potitus videatur, neminem hostium ad eum desciviisse, neque tertiam omninò partem ejus exercitus, quem secum domo abduxerit, ei reliquum esse. Ad hæc respondisse Aemilium ferunt. Mihi quidem, Fabi, res meas consideranti, præstat hastas hostium, quam populi rursum subire suffragia: quod si is est rerum status, annitar, ut tibi potius boni imperatoris munere functus videar, quàm reliquis omnibus in diversam partem impellentibus. Hoc animi proposito Paulus ad bellum est profe-
XXVI ctus. At Varro, cùm obtinuisset ut alternis diebus imperarent, Annibali oppositis ad Ausidum, atque Cannas castris, prima luce signum pugnæ (id est tunica coccina supra prætorium expansa) proposuit: quæ res initio perterrefecit etiam Carthaginenses, ducis Romani audacia, ingentique hostium multitudine obstupefactos, cujus ipsi ne dimidiam quidem partem æquabant. Annibal armari exercitum jussit: ipse cum paucis equitibus super molli quodam tumulo hostes jam aciem instruentes speculatus est. Ibi cùm quidam ex comitibus, Gisco nomine, vir non minoris quàm imperator dignitatis, mirabilem sibi videri hostium multitudinem diceret: Annibal contracto vultu, Id verò nescis, inquit, quod adhuc magis est mirum: per contantique quidnam id esset, respondit: Quod inter tot homines nemo est, qui Gisco vocetur. Qui jocus cùm præter opinionem incidisset, omnium est coortus risus: descendentesque à colle obviis eum omnibus exposuerunt, ita ut risus invaderet multos atque ipse ridendi finem facere sibi Annibal nequiret. Ea res Carthaginenses audaciores fecit, cogitantes, risum imperatori ex contemptu hostium excitatum, quos adeò pro nihilo haberet, ut etiam præ-
XXV. senti discrimine iocarentur. Cæterùm astu imperatorio Annibal pugnam instituit: primùm eum deligens locum, ut à tergo ventum haberet, qui turbinis in modum vehementius incubuerat, asperumque è campis arenosis & apertis pulverem supra aciem Carthaginensium efferens, in Romanorum facies propellebat easque ab hoste avertere cogebat. Deinde ordines pari artificio instruxit. Robustissimam, pugnæque scientissimam copiarum partem ex utroque latere collocavit, medium ex minus utilibus quasi cuneum longè cornibus præeminētem confecit: mandavitq; iis qui erant in cornib. ut cū Romani perrupto cuneo instarent, cedente eo & sinū pādente,
XX receptisq; ita in mediā aciē Romanis, celeriter hostē utriq; ex obli-
VIII quo invaderent & à tergo clauderent. Id in causa potissimum fuit,

*Cannensis pugnæ descriptio.*

ut tanta Romanorum fieret cædes. Vt enim media pars aciei Carthaginensis cessit, Romanosque instantes admisit, & acies Annibalis mutata figura in lunæ cornuum modum curvata utrinque apparuit, tum delectorum in cornibus militum centuriones statim hos in sinistrum, illos in dextrum latus convertentes, nuda latera hostium adorti sunt: ac quicunque Romanorum non, antequam cornibus utrinque reductis clauderentur, effugere, omnes in medio hostium cæsi occubuerunt. Romanos quoque equites casus improvisus afflixit. Cùm enim consulem Paulum equus vulneratus excussisset, qui erant circa eum, unus post alium ab equo descenderunt, & pro consule propugnaverunt: id ubi viderunt equites, omnibus ut idem facerent imperatum putantes, universi ab equis desiluere, pedestremque pugnam inivere. Quod Annibal ut vidit, malle se hoc dixit, quàm victos eos sibi traditos esse. Verum hæc quidem ab iis memoriæ prodita sunt, qui historias fusius descripserunt. Varro consul cum paucis equitibus Venusiam effugit. Alter consulum Paulus in effusæ fugæ tumultu, vulneribus telisque inhærentibus corpori gravatus, ingentiq; luctu animum angens, in saxo quodam cædem ab hostium aliquo expectans consedit. ita quidem cruore caput faciemq; fœdatus, ut pauci eum possent agnoscere, eumque etiam famulique præterirent. Solus hunc Cornelius Lentulus patricius juvenis cùm agnovisset, ab equo desiluit, eumque ad consulem adduxit, orans ut eo insidens seipsum civibus nunc maximè bono duce indigentibus conservare vellet. Id verò Paulus retinuit, juvenemque lachrymantem, ut iterum conscenderet equum, coegit: tum dextram injecit, assurgensque: Nuncia, inquit, Lentule Fabio Maximo, atque ipse fer testimonium, Paulum Æmilium consiliis ejus usque ad finem vitæ obtemperasse, stetisseq; iis, quæ cum ipso pactus erat: sed victum esse prius à Varrone, inde ab Annibale. His mandatis Lentulum dimisit, ipse super occisos se projecit, & mortem obiit. Ferunt cæsa Romanorum eo prælio quinquaginta millia, capta quatuor, & in castris ambobus post pugnam non pauciores decem millibus in hostium venisse potestatem. Annibalem autem cùm re tam feliciter gesta hortarentur amici, ut fortunæ impetum subsequeretur, & una cum fugientibus hostibus in urbem Romam irrueret: (posse enim eum die quinto in Capitolio cœnare) incertum est quid animum ejus ab hoc consilio averterit: videturque non tam ratio quàm Deus aliquis sive genius parum ei propitius eam cunctationem & trepidationem injecisse. Ideoq; Barcam etiam Carthaginiensem iratum ei dixisse memorant: *Vincere scis Annibal, victoriâ uti nescis.* Enimverò tantam hæc victoria in rebus Annibalis mutationem effecit, ut qui prius nullam urbem, nullum forum, nullum portum in Italia habuerat, qui ægrè commeatum exercitui prædando paraverat, qui nullum certum belli receptaculum tenuerat, sed copias suas tanquam magnam latronum manum hinc inde errans circumduxerat: is tunc totam ferè in suam potestatem redegerit

XXIX

XXX

*Mutatio rerum Italicarum à Cannensi clade.*

gerit Italiam: plerique enim & maximi populi ultrò se ei adjunxerunt, & Capuam urbium Italiæ post Romam omnium primam eo-
XXXI dem pacto accepit. Cæterùm non modò quod Euripides dixit, non sine magno malo experimur, quæ res sit bonus amicus: sed idem de prudenti duce belli dici potest. Quæ enim ante hanc pugnam timiditas & torpor Fabii culpabatur, statim post acceptam cladem judicabatur consilium fuisse altius humano, & divini ingenii: adeò multo ante ea is prævideràt, quæ vix credibilia expertis videbantur. Itaque quod reliquum spei erat, id confestim Roma in ipso omne collocavit, & ad ejus viri consilium, tanquam templum aramve confugit: fuitque certè prudentia Fabii in causa, ne (quod Gallica acciderat calamitate) urbs eo tempore dissiparetur. Qui enim tum temporis, cùm nihil videbatur imminere periculi, timidi ac diffidentis nomen tulerat: idem tunc omnibus ad luctus immensos, & inutiles perturbationes sese demittentibus, solus per urbem placido vultu, lenique ingressu incedebat, humaniter omnes compellabat, planctus mulierebres inhibebat, coitiones vetabat eorum qui in publicum lamentandi causa prodibant, senatoribus ut convenirent in Curiam persuadebat, magistratuum animos dictis confirmabat: denique in ipso omnis vis erat, omne robur positum, omnesque ei magistratus
XXXII erant intenti. Itaque custodias portis addidit, quæ turbam urbe excedere volentem repellerent: luctui & tempus & locum constituit, domi ut fieret, & trigesimo die omnis finiretur, urbemque porrò istius rei puram redderet. cumque esset eo tempore Cereri dies festus agendus, potius visum, intermitti id sacrum, quàm calamitatis magnitudinem paucitate & mœstitia eo convenientium arguere: cùm feliciter agentium honoribus Numina delectantur. Acta etiam ea sunt quæ ad placandos Deos, & expianda prodigia fieri jusserant aruspices. Missus Delphos ad consulendum oracultum Fabius Pictor, Maximi cognatus. duæ Vestales stupri compertæ, altera viva, ut moris erat, defossa, altera mortem ipsa sibi conscivit. In eo maximè magnanimitatem Romanorum & clementiam mirari decet, quod redeuntem à fuga Varronem consulem mœstum atque humilem, uti par erat eum reverti, qui turpissimè & infelicissimè rem gesserat: obviam ad portas senatus populusque progressi exceperunt: factoque silentio patricii, & primores senatus, interque eos Fabius collaudaverunt, quod tanta accepta clade non desperasset de republica, sed servari adhuc existimans posse leges civesque, ad defun-
XXX gendum magistratu advenisset. Posteaquàm verò allatum est, An-
III nibalem post prœlium, omissa Roma, alias Italiæ partes petiisse, animo resumpto exercitus & duces emiserunt. Inter duces præ cæteris illustres fuerunt Fabius hic Maximus, & Claudius Marcellus: quorum ut diversa ferè instituta, ita æqualis fuit gloria. Marcellus enim (ut in ejus vita expositum) in rebus gerendis strenuus admodum erat, & ferox, vir & manu prōptus, & talis natura, quales belli studiosos & *agerochos* sua lingua, hoc est gloriæ bellicæ nimis quàm cupi-

*Fabij sapientia rebus Romanorum fractis salutem affert.*

*Fabii & Marcelli duum præstantia & diversitas.*

dos, Homerus nominat: isq; Annibali audaci & imperterrito viro opposito, iisdem planè usus rationibus præcipua eo bello certamina sustinuit. Contra Fabius pristinis suis insistens consiliis, sperabat Annibalem nemine cum eo pugnante, nemine lacessente, ipsum à se confectum iri: quemadmodum athletarum corpora cùm nimium roboris adepta sunt, mole sua defatigata celeriter vires amittunt. Itaque huic *scuti*, Marcello *gladij* nomen tribui à Romanis solitum, Posidonius tradit: ac Fabii in tutis consiliis constãtiam Marcelli societate temperatam, salutarem Romanis fuisse. Sanè Annibal cùm XXX Marcello rapidi fluminis instar ruenti sæpius obviam factus esset, IV pulsus ab eo, copiisque exutus non semel est: Fabius eum sensim veluti sine strepitu allabens, continenterque lambens amnis subruit atque absumpsit: ac tandem eò difficultatis pervenit Annibal, ut & à Marcello prœliis defatigaretur, & Fabium non pugnantem timeret. plurimum enim temporis hi contra ipsum aut prętores aut proconsules, aut consules bellum duxerunt: & uterque ipsorum quinquies consul fuit. Sed Marcellum quidem Annibal quintum consulem per insidias sustulit: Fabio cùm omnes dolos intentasset, omnibus modis aggressus esset, frustra laboravit: nisi quod semel ferè æstu eum circumvenit. Scripsit enim literas sub nomine eorum qui Metapontì primas obtinebant, Fabium vocantium, deditionemque urbis pollicentium: seque adventum ejus eam ob rem pręstolari indicãtium. His litteris motus Fabius, accepta parte exercitus instituit sub noctem eò ire: quia verò aves non addicebant, mutavit consilium, paulóque post cognitum est ab Annibale eas literas scriptas, ipsumque Fabii intercipiendi causa in insidiis propè urbem eam consedisse.

*Annibalis insidiæ in Fabium.*

Sed hæc ad Deorum favorem referri ab aliquo possint. Cæterùm XXXV urbes à defectione, & socios à novis rebus tentandis censebat Fabius mansueto colloquio & humanitate avocandos, neque in omnes, de quibus suspicio insinuasset, acrius inquirendum. Fertur enim cùm sensisset quendam Marsum militem, inter socios auxiliares genere & fortitudine primum, cum quibusdam aliis in exercitu de defectione colloquia habuisse: non irritasse præterea hominem, sed his dictis correxisse: Te quidem indignè neglectum hactenus fateor: & primò quidem culpa est penes duces, qui non pro merito, sed favore prœmia dividunt: deinde tu quoque accusandus, qui si cujus rei indigebas, non me compellaris. Tum equum ei bellicum dono dedit, cæterisque ornatum virtutis præcipuæ præmiis, fidissimum exinde promptissimumque habuit. Iniquè enim comparatum judicabat, si cùm equites & venatores cura, exercitatione, alimentisque potius quam flagris & numellis contumaciam & ferociam animalibus adimerent: hominibus aliquis imperans, non maximam castigandi partem in gratia & clementia, poneret: asperiusve suos tractandos putaret, quàm rustici caprificum, pirum silvestrem aut oleastrum: quas illi arbores cultu mitescere, & in ficum, pirum, o- XXX leam cicures transire docent. Alium Lucanum natione renuntia- VI bant

*Fabij in retinendis in fide sociis prudentia & bonitas.*

bant centuriones sepenumerò à castris abesse,& stationem deserere. Fabius percontatus est, qualem eum alioqui virum comperissent: testantibus omnibus, haud temerè similem ejus inter milites inveniri, simulque illustria aliquot virtutis ab eo edita specimina referentibus: causam peccati perscrutatus, invenit puellæ amore hominem duci, utque cum ea posset esse, crebrò longa & periculosa itinera eum à castris facere. Recognita, eo insscio quosdam misit, qui mulierculam ad se adducerent: eam cùm in suo tentorio occultasset, vocato ad se Lucano: Haud clam me est, inquit, te contra legem moresque militiæ Romanæ, sæpenumerò extra castra pernoctare: sed & ante virum te fuisse egregium, me non fefellit: itaque peccatum tuum virtutibus tuis condonatum sit: in posterum te alii custodiendum tradam. Mirante rem milite, fœminam produxit, eique in manus tradidit. Hæc quidem, dicens, stipulatur te nobiscum in castris porrò mansurum: tu jam nunc re ipsa ostendes, nullane alia tibi ut abesses causa fuerit, an verò hujus amorem nequitiæ tuæ prætenderis. Hæc ita memorantur. Tarentum proditione amissum recuperavit, res ita acta est. Erat in castris ejus juvenis Tarentinus, qui sororem summa sibi fide & amore obstrictam Tarēti habebat. Hanc quidem è Brutiis, quos præsidii loco imposuerat Tarento Annibal, primarius adamabat. Præbuit is amor spem proditionis Tarentino: communicataque re cum Fabio, simulata transitione ad sororem Tarentum aufugit. Primis aliquot diebus Bruttius secubuit, & (ut putabat soror) amasiæ fratrem fefellit. Pòst frater sorori: Apud nos in castris rumor erat, inquit, frequens, rem tecum viro præcipuo ac potenti habere: quisnam is est? Si enim sit, quod de eo perhibent, virtute insignis, nihil refert quo genere ortus sit: nam hoc discrimen bello, omnia suo more confundente, sublatum est: quod autem necessario fit, in eo nihil ineft turpitudinis, quinimo felicitatis est, quo tempore jus parum valet, eo qui vim facere potest, quàm humanissimo uti. His adducta mulier Bruttium ad se vocat, eiq; cum fratre notitiam contrahit: qui Bruttii amorem expediens, ita ut videretur ei sororem suam quàm ante benevolentiorē obsequentioremq; præstitisse, fatum fidei apud eum invenit, ut hominē amore correptum, ac pro mercede militantem spe magnorum munerum, qui ei à Fabio expectāda pollicebatur, ad proditionem adduxerit. Hęc est pluribus auctoribus hac de re confirmata narratio. Alii mulierem, qui Brutii fidē perverterit, non Tarētinā, sed ex Brutiis ipsam quoq; oriundam fuisse tradūt, Fabiiq; cōcubinam: quæ cùm Bruttiorū præfectum civem suum & notū esse comperisset, re cum Fabio communicata admurum accesserit: collocutaq; cum Bruttio rem composuerit. His ita constitutis, Fabius, ut à Tarento Annibalem abduceret, militibus qui Rhegii stativa habebāt (erāt numero millia octo, pleriq; trāsfugæ, & ex iis quos ex Sicilia advexerat Marcellus ignominia notatos, inutiliſſimi bello, & quorū interitus minimo Vrbis dolore jacturaque esset staturus) mandavit ut Bruttiorum agrum popularentur, &

*Tarentum ut receperit Fabius.*

Cau-

Cauloniam summa vi oppugnarent: sperans (id quod res erat) iis in periculum missis inescare se Annibalem, Tarentoque avertere posse, nam is statim in Brutios cum copiis adversus eos contendit. Sexto die quàm obsideri cœptum est à Fabio Tarentum, Tarentinus juvenis (quem sororis interventu rem cum Bruttiorum præfecto composuisse diximus) noctu ad Fabium rediit, explorato diligenter loco, quem excubiis tenens Bruttius, cessurum se oppugnantibus receperunt. Neque totam rem proditioni commisit Fabius: sed eo loci ipse profectus consedit: reliquus exercitus magno cum clamore & tumultu simul & à mari & à terra muros oppugnavit: donec concurrentibus eo plerisq; ad defendendum Tarentinis, Fabio signum dedit Bruttius, isque scalis admotis adscendens urbem tenuit. Videtur autem hac in actione ambitioni succubuisse. Primos enim omnium Bruttios occidi jussit, ne palam fieret, urbem proditione captam: sed neque id consecutus est, & malæ fidei crudelitatisque crimen sibi conflavit. Multi quoq; è Tarentinis cæsi sunt, venditi triginta millia, urbs ab exercitu direpta, in publicum tria talentorum millia redacta. Fertur in direptione urbis Fabius scribæ de Diis (ita vocabat picturas & statuas) quid vellet fieri interroganti respondisse: *Relinquamus Tarentinis Deos iratos.* Verùtamen colossum Herculis Tarento translatum in Capitolio statuit, ac juxta equestrem sibi statuam posuit æream, multò hac in re quam Marcellus ineptior, imò plane ejus humanitatem & clementiam admirabilem reddens: quod ex iis intelligi potest, quę in hujus vita scripsimus. Annibalem ferunt auxilium Tarento propere ferentem, tantum quinque mille passibus à Fabio abfuisse, ac palam dixisse, Romanis suum etiam esse Annibalem, eademq;, qua captum fuisset, ratione amissum Tarentum: amicis quoque tum primùm seorsim confessum: Dudum se videre difficulter præsentibus copiis Italiam ceptum iri: nunc vero intelligere omnino id fieri non posse. Hunc secundum triumphum priore splendidiorem duxit Fabius, qui in certamine contra Annibalem, egregium se athletam præstitisset, ejusque consilia (tanquam nexus non ab eodem, quo priores, robore profectos) facilè irrita fecisset. Iam enim pars copiarum Annibalis per luxum & divitias enervata erat, pars retusa & attrita cõtinentibus laboribus. Tenuerat Tarẽtum M. Livius eo tempore, quo id in Annibalis potestatem venit: arcem tamen tamdiu servaverat, dum à Romanis urbs reciperetur. Is adeò invidebat gloriæ Fabii, ut aliquando in senatu livore & arrogantia impulsus diceret, non Fabio, sed sibi receptum Tarẽtum deberi. Ad hoc Fabius: *Vera*, inquit, *narras: nunquam enim, nisi tu urbem amisisses, ego recipere potuissem.* Romani autem præter alios Fabio habitos honores, filium ejus consulem creaverunt. Qui cùm rem quandam in eo magistratu bellicam administraret, pater sive ætatis causa, sive ut de fili animo periculum faceret, equo per adstantes & cum consule agentes advectus est. Quod juvenis procul conspicatus nequaquam passus est, sed misso lictore patrem equo descen-

XL

XLI

XLII

*II. Triumphus Fabij.*

*M. Livij invidia in Fabium.*

*Fabij filius consul.*

descendere, peditemque ad se, si quid à consule vellet, venire jussit. Indignè id pleriq; tulerunt, oculosq; in Fabium, ut contumelia affectum, taciti conjecerunt: ipse ab equo desiluit, citatoque gradu ad filium contendit, amplexusque eum: Recte verò tu, inquit, fili, qui agnoscis in quos magistratum, quantumque geras: sic enim & nos, & nostri majores Romum auxerunt, patriæ bonis parentes liberosque
XLIII semper postponentes. Etenim pro vero traditum est, proavum Fabii gloria & potētia Romanorum facile primum fuisse, quinq; consulatus gessisse, ac de maximis bellis splendidissime triūphasse: hunc filio consuli legatum quodam bello fuisse, & in triumpho, cùm quadrijugo currū filius inveheretur, equitem ipsum inter reliquos secutum: eo gestientem, quod filii potens, civium maximus re & nomine cùm esset, seipsum legibus & magistratibus ultrò submitteret. Verùm hæc non est summa illius viri laudum. Fabius portò, de quo nobis sermo est, mortem filii, quod erat viri prudentis, patrisque optimi officium, moderatissimè tulit: ipseque funebrem (ut moris est illustres homines defunctos vita à suis laudari) orationem in foro
XLIV stans recitavit, ac deinde eam conscriptam edidit. Post hæc P. Cornelius Scipio in Hispaniam missus, Carthaginenses multis prœliis superatos ea regione expulit, multāsq; gentes Romanis, multas urbes magnas subjecit, magnam vim opum paravit: reversusq; tanta, quanta quisquam alius, benevolentia est prædicationeque virtutis exceptus. Inde consul factus, cùm expectare à se, & exposcere populum aliquod egregium facinus sentiret, in Italia cum Annibale manus conferere, nimis senile neque satis suæ ætati decorum ratus, ipsam Carthaginem Africamq; subito illatis armis exercitibusque devastare, bellumq; eo ex Italia transferre in animum induxit, & ad id consilium probandum omni conatu populum incitavit. Hîc Fabius summum civitati metum injiciens, omnique oratione, omni opere cupiens civibus persuadere, ne patriam à juvene imprudente in extremum periculum adduci sineret, senatum quidem commovit: populo autem visus est invidia compulsus Scipionis felicitatem velle impedire, ac vereri, ne si is præclaro aliquo facto perpetrato aut debellasset, aut ex Italia saltem bellum avertisset, ipse segnis ac mollis
XLV existimaretur, qui tam diu id bellum nullo exitu duxisset. Et credidērim profectò Fabium initio multa tutorū cōsiliorū prudentiq; consideratione, metuq; ingentis periculi se ad impugnādum Scipionis conatum convertisse: post magis id studium intendisse, ulteriusq; provectum ambitione & æmulatione, ut incremētis Scipionis obstaret. Nam Scipionis quoq; collegę Crasso auctor fuit, ne id imperium ultrò concederet, sed ipse (si ita operæ fore videretur) potius classem contra Carthaginenses traiceret: quinetiam hoc effecit, ne Scipioni sumptus ad bellum suppeditarētur. Itaque Scipio sibi ipse de pecunia proficere coactus, eā ab Etrurię urbibus studio quodam in eum peculiari gratificātibus adeptus est: Crassum partim natura (etenim placido ac minimè contentioso ingenio erat) domi detinuit, partim

*Fabij cum Scipione dissensio.*

ex sa-

lex sacrorum, quod erat pontifex maximus. Quare alia rursum via XLVI
Scipionem aggressus Fabius, juvenes cum eo proficisci cupientes
detinuit, in senatu & concionibus vociferans, Scipionem non tan-
tum Annibalem fugere, sed & accepto pro secum reliquo Italiæ ro-
bore, classe abire, spe animos juvenum lactantem, persuadentemque
ut parentes, uxores, patriamque deserant, cujus ad portas hostis vi-
ctor & insuperabilis sedeat. Hæc quidem ita perterrefecerunt Ro-
manos, ut tantum iis, qui in Sicilia erant, exercitibus eum uti, ab-
ducereque ex his quibus in Iberia usus fuerat trecentos, quorum fi-
dem comperram haberet, permitterent. Atque hæc quidem suum
*Scipionis res in Africa gestæ.* ingenium & suas rationes secutus ita agere tum censebatur. At e-
nim Scipione in Africam transvecto, confestim admiranda ejus fa-
cta, res que gestæ præclarissimæ longeque maximæ Romam allatæ,
testimoniumque famæ ferentia spolia subsecuta sunt, & rex Numi-
darum captivus, præterea de binis hostium castris eodem tempo-
re incensis, multis hominibus, multis armis, equisque simul incen-
dio absumptis, annunciatum. Carthaginenses autem legatis ad An-
nibalem missis orabant, ut omissa incerta spe Italiæ potiundæ, ad o-
pem suis ferendam domum rediret. Romæ Scipio propter has vi-
ctorias omnium erat in ore. Quæ omnia cùm ita haberent, nihilo- XL
minus mitti successorem Scipioni Fabius volebat, nulla alia, quàm VII
" afferret, rei causa, nisi quod tritum illud referebat, periculosum es-
" se, unius hominis fortunæ tantas res credere: difficulter enim fieri
" posse, ut idem semper prospera utatur fortuna. Ibi verò in vehemen-
" tes populi incurrit indignationes, tanquam invidiosus homo & ini-
quus, aut omnino ætate ad diffidentiam & timiditatem delapsus,
ac immodico Annibalis metu attonitus. Nam ne Annibale quidem
ex Italia profecto gaudium civium esse integrum, fiduciamque con-
stantem passus est, sed tum maximè urbem postremum hoc discri-
men subituram versari in magno periculo dixit quippe Annibalem
quàm ante fuit atrociorem hostem, exercitumque multorum adhuc
imperatorum, dictatorum, consulumque calentem cruore Scipioni
occursurum: ita ut sermonibus his denuò urbem conturbaverit,
belloque in Africam rejecto, periculum Romæ præsentius factum
cives crediderint. Cæterùm Scipio haud ita multo post, ipsum An- XL
nibalem pugna devicit, dedentis sese Carthaginis fastum conculca- VIII
vit, majus omni spe gaudium suis attulit, imperiumque Romanum
*Fabij mors.* multis fluctibus quassatum, in integrum restituit. At Fabius vitam
non usque ad tempus produxit, neque audivit Annibalem esse de-
victum, neque magnam istam & constantem patriæ felicitatem in-
spexit: sed sub discessum annibalis ex Italia morbo decessit. Sanè
Epaminondam Thebani publicè sepultura affecerunt, quod ita pau-
per vitam clausisset, ut præter obeliscum ferreum nihil in ejus domo
*Fabij funus.* feratur repertum. Fabii autem funus Romani non quidem publico
sumptu fecerunt, sed privatim æreolum unusquisque ad ejus im-
pensas contulit: non ut egeno stipem dare, verùm ut patrem populi

terræ

terræ condere viderentur. itaque mors ejus eum honorem ac decus, quæ vitæ respondèrent, invenit.

## PERICLIS CUM FABIO COMPARATIO.

XLIX. Vitæ cùm Periclis, tum Fabii historiam hactenus recensuimus. Quoniam verò uterque & civilis & bellicæ virtutis multa ac præclara documenta edidit; age primo bellica conferamus. Pericles in bello operam suam tum navavit patriæ, cùm populus Athenienſis optima fortuna uteretur, ac jam ante potentissimus esset, summoque in vigore consisteret, itaque communi fœlicitate, rerumque robore videri potest munitus adversam fortunam evitasse. At Fabii actiones, fœdissima infœlicissimaque tempestate patriam restituendis, non urbem tutam, ne quid bonorum amitteret, præstiterunt, sed è malo statu in meliorem collocarunt. Ac Pericli quidem res à Cimone & Myronide prosperrimè gestæ, & Leocratis trophæa, præclaraque & fœlicia Tolmidæ facinora magis occasionem festos dies in urbe agendi, ac in prætura sua securo animo degendi præbuerunt, quàm bello eam recuperandi & custodiendi. Fabius verò cùm ante oculos haberet multas suorum clades & fugas, multos imperatorum & ducum obitus, & cædes, lacus, campos, & sylvas exercituum cæsorum plenas, sanguine & cadaveribus flumina usque ad mare undantia: sua ipsius voluntate ac ductu civitatem suffulciit: neque passus est superiorũ culpa concussam penitus corruere. Et quanquam probabile est, posse aliquem facilius urbem humilem, si rebus adversis laboret erigere, cùm eam necessitas cogat sapientis consilio obtemperare: quam populo secundis rebus elato ac ferocienti frænum injicere, quo ejus petulantiam atque temeritatem compescat: (quo maximè modo Pericles videtur Athenienses sub se habuisse) tamen moles ac multitudo calamitatũ, quæ tum Romæ inciderant, magnum virum fuisse ingentiq; robore animi præditum Fabium demonstravit, qui non passus sit de suis se consiliis depelli. Samo à Pericle captæ, Tarenti recuperationem licet opponere, & Eubœæ, urbes Cãpaniæ: Capuã enim Fulvius & Appius consules receperunt. Acie porro semel tantũ vicit Fabius, qua de victoria primũ triũphum duxit: Pericles terra marique de superatis hostibus novem statuit trophæa. Neq; tamẽ interim tam egregium Periclis factum memoratur, quàm fuit Fabii, quod Minucium Annibali eripuit, integrumque exercitum Romanum conservavit: præclarum sanè factum, communeque trium virtutum, fortitudinis, prudentiæ, & humanitatis.

*Rerum bello gestarum collatio.*

L. Rursum nullum tale erratum Periclis extat, quale fuit Fabii, boum artificio ab Annibale delusi, quem forte fortuna in angustiis deprehensum, noctu ignarus emisit, interdiu ab eo victus est præventusq; dum cunctatur, & superatus in dimicatione. Quod si egregii imperatoris est, non solùm præsentia rectè agere, sed & futura prospicere: Athenienses eum, quem prævidit & prædixit Pericles, finem belli

belli habuerunt: nam variis sese rebus implicantes, potentiam suam amiserunt. At Romani emisso contra sententiam Fabii Scipione, qui Carthaginiensibus bellum inferret, non fortuna, sed sapientia & fortitudine imperatoris devictis hostibus, debellaverunt. Itaque alterum rectè futura prospexisse, calamitas patriæ testata est: alterum longissimè aberrasse à scopo, fœlicitas suorum arguit. Est autem idem error in imperatore, vel improvisum in malum incidere, vel propter incredulitatem dimittere rei bene gerendę occasionem: una enim imperitia & audaciam parit, & diffidentiam. Hæc de bellicis re- LII
*Civilis rationis comparatio.* bus. Quod ad civilem rationem attinet, in magna est culpa Pericles, qui nolens Lacedæmoniis quicquam concedere, bellum contra patriam suam excitavit: quanquam ego ne Fabium quidem Carthaginiensibus cessurum, sed pro imperio fortiter propugnaturum fuisse existimo. Sed Fabii in Minucium clementia, Periclis contra Cimonem & Thucydidem factiones vitii coarguit: quos iste viros bonos, & optimatium studiosos in exsilium extrusit. Major autem Periclis contrà fuit potentia & auctoritas: itaque non passus est, ullum alium ducem suis malis consiliis reipublicæ calamitatem inferre. Solus Tolmidas invito ipsi elapsus, contra Bœotos rem infeliciter gessit: reliqui omnes ipsius, ut cujus summa esset potestas, consilio & voluntati suam adjunxerunt. Qua in re Fabius eo fuit inferior, quod ipse tutus & nullius peccati auctor, alios prohibere nequivit: nūquam enim tot clades passi fuissent Romani, si tātum Romæ Fabius, quantum Pericles Athenis valuisset. Liberalitatem Pericles nihil ab iis LIII
qui dabant accipiendo, Fabius indigentibus largiendo demōstravit, cum suo ære captivos redemit: nisi quod hęc pecunia non ita ingens, & circiter sex talenta tantum fuit: at Pericles cùm ineffabiles à socijs & regibus ipsum demerentibus pecunias posset accipere, seipsum ab omni pecunia invictum conservavit. Denique cum operum, templorum, ædificiorumque, quibus exornavit Pericles Athenas, magnificentia, ne universa quidem ea, quæ Romæ ante Cæsares sunt exstructa civitatis ornandæ gratia, conferri merentur: adeò magnitudo & splendor operum Periclis præstantiam quandam omni comparatione superiorem habuerunt.

## IN FABIUM PLUTARCHI
### Interpretis Annotationes.

*QVintus Fabius Maximus quo tempore vixerit, non est obscurum: nihil enim bello Punico secundo, quod & Annibalicum dicitur, notius est atq; insignius. Liv. lib. 30. ostendit mortuum duobus Servilis Coss. anno C.V.* IↃLI. *ducentis omnino ante Christi natales annis.*

Cap. 1. *Initio statim Guarinus impingit, cùm Fabium Maximum Nymphæ filium facit: neque animadvertit loqui auctorem de Fabio, qui ex Hercule, & vel Nympha vel Latina muliere natus Fabiæ stirpis auctor fuerit.*

Ibid.

Ibid. In venatione fossis.) *Quis hujus etymi sit autor, non scio. Sanè probabilius est, quod habet Sex.* Pompejus, *Fabios antiquitus Fovios dictos quod princeps ejus gentis ex ea natus, sit, cum qua Hercules in fovei concubuit, vel quod primus ostenderit, quemadmodum ursi & lupi foveis caperentur.*

Ibid. A Fabio Rullo.) *ῥυλάου est in Græco. Itaque Guarinus* Rylaum *finxit. Ego secutus sum Plutarchum, apud quem in Pompeio ubi de Maximi & Magni cognomentis disputatur, ῥούλλου rectè legitur, pro eo quod hic est mendosè ῥυλάου. Historia est apud Livium in fine libri noni.* Neq; *sum nescius, quem Plutarchus* Rullũ *dixit, eum apud alios* Rullianum: *apud quosdam, sed vitiosè, puto, (tametsi hic correctorem Guarinianæ translationis videatur Amiotus secutus)* Rutilianum *legi. Sed (ut dixi) Plutarchi hos locos ego sequor, neque interim nescio ex* Rutilo *potuisse usu fieri* Rullum.

Cap. 2. Non socordem se.) *In Græco est εὐπραγίαν quod non sanè video, quid hic loci habeat. Vtique ἀπραξίαν, aut δυσπραγίαν, aut ἀπραγίαν mallem. Quæ de oratione Fabij sequuntur, omnia sunt perversa à Guarino.*

Cap. 3. De Leguribus.) *λιβύων. Sed est legendum λιγύων, quod & interpretes senserunt & historia docet. Simile mendum erat in Pertinace Xiphilini, & in aliis locis.*

Cap. 5. Vt primum rescivit prætor.) *Vterque enim consul ad bellum exiverat: itaq; prætor munus consulare sustinebat more majorum, cujus & alij meminerunt, & Cicero lib. 10. epist. ad Plancum. non multè ante est Flaminium in caput ab equo prolapsum, ἐπὶ κεφαλὴν. apud Livium:* equus consulem lapsum super caput effudit. *Sed diligentib. hanc comparationem scriptorum commendo: modum instituti egressurus, si singula persequar.*

Cap. 6. M. Minucium.) *Hic est in Græco λευκίου, λ pro μ, infra μαρκίου pro μάρκου. Marcum & Livius constanter vocat. Quæ Livius heic de prodictatore scribit, brevitatis causa omissa videri à nostro possunt.*

Cap. 7. Diis vovit immolaturum se omnem fœtum.) *Hic unus est de ijs locis, qui interpreti suscepti muneris sedulo scrupulos injiciant, caputque scabere & ungues rodere jubeant. Faciamus saltem quod possumus Votum hoc fœturæ: alias* Ver sacrum *appellatur Livio ut in hac historia lib. 22 & alibi. & libr. 34.* Ver sacrum videri quod natum esset inter Kalen. Martias & pridie Kalen. Majas. *Ita Nonius quoque & Festus. Iam quod ad summam pecuniæ ejus quæ in ludos votos impendenda statuitur, attinet, Guarini versionem omitto: quam Budæus, hunc ipsum locũ libro præstantissimi de Asse operis tertio tractans, eo nomine reprehendit, quod τριτημόριον tertiam partem verterit. Ego (quod salvo Budæi honore dixerim) ambiguè magis quam falsò vertisse Guarinum censeo: quod non addiderit, quo ea tertia pars respiciat, hoc est totius ne summæ (uti Budæus accepit ideoque improbat) an verò denarij tertiam* Ver sacrũ.

*partem significet* τὸ τριτημόριον. *Ac tametsi rectè Budæus ex Plutarcho ostendere videatur posterius hoc esse intelligendum: eadē tamen ambiguitas restabit, si pro tertia parte reposueris* trientem. *Nam & triens de totius summæ tertia parte tam intelligi potest, quàm de triente denarij. Ego, addito uno vocabulo eam declinavi. Alioqui Plutarchi interpretibus allucinari, & omnes rationes conturbare in vertendis pecuniæ summis novum non est: idque nos annotare non semel coacti sumus. Restant tamen alij adhuc scrupuli.*

Sestertia & sestertii quid differant.

*Plutarchi summæ inter se quadrabunt, si illud* σηστερτίων *non per sestertios nummos sed per sestertia (sestertia cùm dicuntur, milleni sestertii nummi intelligi debent, hoc est, libræ seu minæ sestertiæ, vel millia æris duo cum dimidio, qua de re alibi) exponas: id quod ipse feci, casuum mutatione ambiguitatem evitans, quæ in Græco apparet. Nisi quis inde solvi dubium dicat, quod* σηστερτίων *tanquam major summa ante* δηναρίων *ut minorem posita est. Vnum (ita dicere liceat docendi causa) sestertia, ducentos & quinquaginta denarios, seu quod idem, hoc quidem loco, est, drachmas valet. Ergo 333. sestertia, erunt 83250. denarij. Adde jam his 333. denarios, & trientem (hoc est, duos obulos, seu unum scrupulum: drachma enim tres scrupulos, scrupulus duos obolos, continet) erit summa denariûm 8358 $\frac{1}{2}$ ad unguem ita à Plutarcho annotata, quam & ipse eo modo expressi, solitus alias Latinum morem in summis pecuniæ concipiendis servare. Sed hic omnino ad ternarij numeri mysterium erat respiciendum. (id quod & ex Livio apparet. & Plutarchus planissimè testatur) cum quo nihil admodum commune erit summæ huic, si omnia vel ad denarios vel ad sestertios nummos redigantur. Enimvero Plutarchi summa cum Liviana minimè convenit,* Ejusdem, *inquit,* rei causa ludi magni voti æris CCCXXXIII. millibus triente. *Hic operam & sententiam doctissimi Sigonij desidero, qui infinitos Livij locos restituit. Nam mihi non minus, quam ante me Budæo, locus est suspectus. Budæi quidem emendatio scita esset, eo quod præclarè mysterium ternarij continet, (si autem suspicatur legendum.* CCCXXXIII. *millibus* CCCXXXIII. *assibus triente) si vel cum Plutarcho conveniret, vel aliqua autoritate scriptoris aut codicum confirmaretur. Itaque eam in medio relinquam. In ea, quæ exstat, Liviana summa, si locus sit integer, quæso quid sibi vult triente? non est enim minus Guariniano illo ambiguum, cùm aut ad totam summam, aut ad mille æris, aut (quod vix fieri possit loco non manco) ad assem referendum videatur. Sed agedum (quando in hanc tractationem ingressi sumus, neque nobis indignam neque lectori, opinor* φιλομαθεῖ *injucundam: (Plutarchi summam ad millia æris revocemus, ac Livianam vicissim ad denarios, ut, quid intersit, videamus: quo nihil est expeditius. Nam sestertia cum millibus æris collata, proportionem constituunt sesquitertiam seu sestertiam, qua-*

Livii locus.

*lis est*

*lis est quinarij ad binarium: eo quod in uno sestertio nummo insunt duo asses, & semis. Denarij Plutarchiani si in asses mutentur, quos denos eis singulis contineri constat, fient millia aris 835. & nummi porro 833 1/3 cui summæ prima facie cum Liviana nihil videtur esse commune. Atqui vel ex Camillo constat nostri autoris, cùm de millibus aris loquuntur veteres, asses intelligi, quorum duo cum semisse sestertium nummum constant, quales in denario quatuor ineſſe liquet, cùm quater 2 1/2 sint 10. Neque verò non intellexit, immò docuit rem Romanorum nummariam Plutarchus: quod multis locis ejus prolatis monstrarem, nisi Budæus jam pridem, aliique id fecissent. Itaque duæ sunt causæ, cur alios eum autores secutum censeam. Una, quod summa est, quæ apparet, magna à Liviana discrepantia. altera, quod non per millia aris noster, ut Livius, sed per sestertia & denarios concipit. Quod Livianæ Budæus adjiciendum censet, ego super vacaneum puto: neque à lectione recepta discedo. Nam CCC. millia & triens, idipsum sunt quod vult Budæus habere. cùm triens trientem ex mille aris notet, qui idipsum (ut dixi) est. quod exponitur per asses 333 1/3. Summa autem Liviana denarios facit non nisi 33333 1/3 manente hac quoq; ternarij mysterio. cui (ut obiter id dicam) accedit millenarij (quo simplicem majorem Latini nullum habent numerum) vis atque dignitas. Si liceret mihi millia aris non de assibus, sed de sestertiis nummis accipere, haberem quo pacto penè Plutarchum cum Livio conciliarem, ut saltem non permagni referre eorum dissensio videri posset. Nam denariorum quidem mentionem facit diserè Plutarchus, etiam antequam ad eos totam summam revocat. Etenim 250. denaris faciunt mille sestertios nummos atque hoc pacto denariorum Plutarchiana summa, nummorũ (non assium) millia faciet 334 ut jam Plutarchiana summa Liviana tantũ mille sestertiis nummis superet. de quibus quid statuendum sit non habeo, nisi quod (ut dixi) alium autorem secutus Plutarchus, aliũ Livius videntur. Neq; enim video quid istis mille nummis faciamus, aut quo pacto eos apud Liviũ possimus inserere. quod fortasse fieri poterat, si quod monera fuisset genus, quod tres sestertios valeret: ac fingamus sanè fuisse ternionem: legeremus apud Liviũ CCCXXXIII. millibus ac triente, CCCXXXIII. ternionibus triente. Nam triens de mille est 333 1/3. Sed hoc est optare. Itaque ἐυτύχω: & hortor doctiores, ut, si quid habent promant: mea candidè protuli. Porrò autem Livius magnos ludos votos fuisse scribit, noster θέας μουσικὰς καὶ θυμελικάς: quæ ego spectacula & musica certamina verti, quod non putem cum magnis ludis eadem esse. Scenicos fortasse licuit vertere, (de quibus Livius præclare initio septimi) cùm in Sylla etiam θυμέλῃ pro scenico pulpito usurpavit, atq; etiam alii sta sumi testentur. Neque tamen peccasse me in vertendo ne sic quidem*

*arbitror: quando etiam Tertius suam artem,* Musicam *vocat. Hoc ipsum argumento esse possit, Plutarchum non ex Livio sua descripsisse. De ternario hic disputare nihil attinet. Porrò ubi ego montes scripsi, in Græca est* ὅροι, fines. *ego autem* ὄρη *cur legendum existimem, me tacente potest intelligi.*

Cap. 13 Metilii. ) μετιλίου *in Græco constanter est: interpretes* Metellum *ex Livianis libris supposuerunt. Ego Sigonium laudo, qui* Metilium *legi debere monuit.*

Cap. 17. Evidens argumentum. ) *Sententiam valde elegantē non rectè extulit Guarinus. Est autem germana Menandri, ei versiculo noto, & quo apud Lucianum Iovem consolatur Mercurius:*

οὐδὲν πέπονθας δεινὸν, ἂν μὴ προσποιῇ.

Nil passus es mali, si dissimulaveris. *Quod ad legionum divisionem attinet, diversum est apud Livium.*

Cap. 21. Percussoque femore. ) *Gestus est graviter indolentium, & indignantium: ut apud Homerum de Marte (si recte memini) filii necem comperiente,*

——— καὶ ὃ πεπλήγετο μηρώ.

*Sic & in vita Pompeii de piratis, qui metuere se ob captū Romanum sibi simularent,* τοὺς δὲ μηροὺς ἐπαίοντο: *& de Pompeio legis Manilia nuncium accipiente* ὀφρῦς λέγεται συνα γαγεῖν, καὶ τὸν μηρὸν πατάξαι. *Pro eo Cicero* frontem ferire *videtur dixisse ad Attic lib* 1. *& notus est locus Ciceronis pro Qu. Gellio, ubi M. Calidium ei atrocia crimina objicientem ita redarguit:* Nulla perturbatio animi, nulla corporis, frons non percussa, non femur: pedis, quod minimū est, nulla supplosio *Ex Ciceronis Bruto, & Quin. libr.* 11. *cap. de* Pronunciatione. *Sic & apud Herodotum in Euterpa,* ψαμμαυίτος ὣς εἶδε, ἀνακλαύσας μέγα ἐπλήξατο τὴν κεφαλὴν.

Cap. 22. Signa tollere. ) ἀετοὺς ἄρασθαι *lego cum interprete, pro* ἀυτοὺς: *quod nihil valet.*

Cap. 24. Primi horum, Fabii artibus. ) *Non sunt hæc de alterius anni Consulibus intelligenda: sed de Cn. Servilio & M. Attilio, qui in C. Flaminij locum suffectus post Fabij dictaturam reliquū anni consulatum gessit. Hoc ex Livio, Appiani Alexandrini Annibalico, & ratione temporum liquet: obiterq; monendum duxi, ne quis secus accipiens scrupulum sibi ipse injiceret. Etenim verba Plutarchi videntur significare, post dictaturam Fabij ante Varronem & Paulum aliud par consulum creatum fuisse.*

Cap. 25. Propter damnationē quandam. ) *L. Aemilius Paulus cum M. Livio Salinatore Consul annis ante tribus fuerat, & damnatione collegæ & sua prope ambustus evaserat. Liv. lib.* 22. *Apparet autē ex Frontini l.* 4. *ob prædā nō æqualiter militibus divisā in judic. factū.*

Cap. 28. Qui historias fusius descripserunt. ) διεξοδικὰς ἱστορίας: *id est, eas, in quibus non capita tantum rerum, sed singula ordine & accurate exponuntur, Guarinus peregrino sane sensu peregrinas dixit apud Livium de equitibus peditum more pugnantibus. diversa est vox Annibalis.*

Cap.

Cap. 33. Agerochos.) ἀγερώχους *frequens apud Homerum epitheton. ut Iliad* ϱ.

——ϱοδίων ἀγερώχων

*& in decimo* —— μυσεὶ ἀγερώχοι.

*Ibi Scholiastes* ἀγέρωχοι αὐτάδεις, θρασεῖς ἔφη· δὲ ὅτι δηλοῖ ἡ λέξις τὺς ὄγκον ἀνδρείους καὶ ὑπερόπους, παρὰ τὸ ἄγαν ὠθοῦντὺς ἐπὶ τὰ γέρεα ὀχεῖσθαι. *quod ipsum inter alias explicationes etiam Eustathius recepit. Id secutus sum ut huc maximè quadrans. Est & apud Ioan. Zezem in Alpha, Chil.* IX. 257.

Cap. 35. Pyrum sylvestrem.) ἀχράς. *est autem* ἀχρὰς piraster *cui opponitur* ἄπιος pirus *hoc loco, ut & aliàs & apud Stephanum in* Ἄπια. *Amiotus Guarini errorem secutus est, qui malum vertit.*

Cap. 41. Tenuerat Tarentum M. Livius.) λεύκιος *est in Graco,* Lucius: *quod cùm sit prænomen, quis non videat mendum esse? Sed* M. Livius Salinator *hic indicatur. estque hæc res non ex historicis modò, sed & Ciceronis Catone majore notissima: ut mirer, Guarinum non animad vertisse. Colossum Herculis fuisse opus Lysippi, est apud Strabonem lib.* 6.

Cap. 43. Proavum Fabii.) *Q. Fabium Rullum (ut supra dixi) Maximum quinquies Consulē fuisse, ex Livio etiam patet: sicut & de aribus ejus triumphis constat. Fuit autem Gurgiti legatus fuit bello Samnitico: Liv. libro* IX. *alii. Quod de triumpho hoc scribitur, est etiam apud Valer. lib.* 5. *cap.* 7. *Meminit Tull. in Muren. paulo post:*

Cap. 44. Nullo exitu.) Χρόνῳ διαπολεμήσας. *Inter hæc vocabula positam fuisse negantem particulam ἃ vel μὴ non dubito.* διαπολεμεῖν *enim est* debellare. *Non debellaverat autem, non confecerat bellum Fabius, etsi per multos id gessisset annos.*

Cap. 48. Præter obeliscum ferreum.) Obeliscus *Latinè significat* ὀβελίσκον. parvum verù, *seu (ut Plin. loquitur)* veruculum. *Fuisse pauperrimum, & delectatum sua paupertate Epaminondam, multis auctoribus traditum est: sed nullam uno excepto veruculo, in domo ejus fuisse supellectilem, credere durum est. &, ut puto, stultum. Itaque* obeliscum *non convertì, sed Græcam vocem reliqui, quo alia significatu utuntur etiam Latini. Hic* ego ferreum nomisma minimi pretii *intelligo, & facile meam sententiam videor tueri posse, Plutarchi ipsis testimonio, cujus ex vita Lysandri verba opponam:* κἀνδυτέον ὃ τὸ πάμπαν ὀλίγου ἄξιον ἔχειν, ὀβελίσκους χρωμένων νομίσμασι σιδηροῖς, εἰσὶν δὲ χάλκεοι, ἀφ' ὧν παροιμίαν, πολλοῦ ὑπὸ τῶν πρεσβυτέρων ὀβολοὺς καλεῖσθαι.

## IN COMPARATIONEM.

Cap. 50. Capuam enim Fulvius.) οἱ περὶ Φρέγελλαν *scribendum* Φύλλιον. *Sed Guarinus mendum secutus est, historia contrarium: eumque Amiotus. Capuā à Qu. Fulvio Flacco, & Appio Claudio proconsulibus, id est, qui superiori anno consules eam obsederant, receptam esse, cùm omnes historici, tum præcipue Livius lib.* 26. *demonstrat.*

Cap. 53. Circiter sex talenta. *)Captivorum quos sua pecunia redemerit Fabius, numerũ Plutarchus supra retulit* CCXL. *Livius* VII. *addit. Redemptos singulos* CCL. *denarijs, inter eos convenit. ita fiet, ut præcisè decem talenta impensa sint pro eis, si Plutarchianum numerum tenemus: non sex tantùm, quod hic mendose fortassis legitur. quippe sexaginta libræ, seu pondo, seu minæ, hoc est, sex denariorum millia, talentum unum constituunt, ut alibi ostensum est.*

*Talentum.*

## PLVTARCHI ALCIBIADES, GVILIELMO XYlandro, Augustano interprete.

*Genus.*

ALCIBIADIS genus ad Eurysacem Ajacis filium autorem refertur. Matrem ex Alcmæonidarum stirpe habuit Dinomacham Megaclis filiam. Pater Alcibiadis Clinias triremi propriis sumptibus instructa apud Artemisium præclaram bello navali operam navavit pòst in prœlio contra Bœotos apud Coroneam cecidit: exinde Xanthippi filios consanguinitate sibi junctos Periclem & Ariphronem, tutores Alcibiades habuit. Non ab re est, quod huic Socratis benevolentia & amor non parvum fertur ad gloriam momentum attulisse. Qui enim eodem tempore illustres fuerunt viri, Nicias, Demosthenes, Lamachus, Phormio, Thrasybulus, Theramenes, horum ne matres quidem quæ fuerint, memoriæ proditum est: cùm constet Alcibiadis nutricem Lacedæmoniam patriâ, nomine Amiclam fuisse, pædagogo autem eundem usum Zopyro. quorum alterum Antisthenes, alterum Plato tradit. De pulchritudine ejus nihil fortassis est dicendum, nisi hoc, eam omni ipsius ætate floruisse, ideoque & puero, & adolescenti, & viro facto gratiam ac venustatem conciliasse. Neque enim verum est, quod Euripides ait, omnium pulcrarum rerum etiam vergens ad senium tempus (quod ille autumnum nominat) pulchrum esse: sed Alcibiadi hoc, paucisque aliis propter naturæ bonitatem, virtutemque corporis contigit. Decoram porro voci ejus balbutiem fuisse ferunt, garrulitatemque in persuadendo gratiosam. Sanè vitium linguæ ejus etiam Aristophanes notavit, Theorum vexans:

*Illustrium virorum matres ignotæ.*

*Formæ Alcibiadis.*

*Tunc Alcibiades ad me ait balbutiens:*
*Celnin'? Theolus habet colacis caput.* XANTH. *bene*
*Alcibiades profectò illud balbutijt.*

Et Archippus filium Alcibiadis insectans:

*Incedit ille molliter, vestem trahens:*
*Vtque esse videatur quàm similimus patri,*
*Blæso ore, gutture ejulanteque loquitur.*

*Morum varietas.*

Mores ejus postea temporis, versante ipso in arduis rebus utenteque varia fortuna, multiplices ipsi quoque, ut consentaneum erat, mutationes & diversitates habuerunt. cùm autem natura inessent ei multi ac magni effectus, omnium vehementissimus fuit studium contendendi, & primarum partium appetitio: quod ex his etiam appa-

apparet, quæ ejus, cùm puer adhuc esset, dicta ac facta commemorantur. In lucta enim pressus, ne caderet, prementis manus, quibus nexus tenebatur, ad os attraxit, mordicusque impetiit: sicq; dimissus ab eo dicente: *Mordes, ô Alcibiades, tanquam mulieres? Nequaquam*, inquit, *sed ut Leones.* Parvulus adhuc taxillis in angiporto quodam cum æqualibus colludebat: ibi cùm ad ipsum jactus ordine pervenisset, forte plaustrum onustum eo advenit: recedentibus reliquis, primùm aurigam jubere Alcibiades, ut tantillum exspectaret, dum talos inspiceret: (inciderant enim in eam viæ partem, qua transeundum erat currui) cùm vector, ut erat rusticus, nihil motus precibus, pergeret, in faciem sese ante plaustrum projecit, ac transversum per viam extendit, jussitque hominem, si omnino vellet, ita transire: itaque metuens ille, puero, currum retro egit: & qui vide-

IV rant rem, perterriti cum clamore eo accurrerunt. Vbi ad discendas artes se contulit, omnibus præceptoribus sic satis se morigerum præbuit: tibia tantùm canere noluit, illiberalem eam & ingenuo indignam artem judicans. nam plectrum quidem & lyram & nihil de figura & forma, quæ liberalem hominem deceret, detrectare: fistulam autem inflantis vix etiam à familiaribus faciem agnosci: præterea lyram unà eo qui utitur canente, sonum suum edere: tibiam ejus qui uteretur os obstruere: vocemque intercludere. Proinde, inquit, canant Bœotorum pueri, qui loqui nesciunt: nos Athenienses exemplum Minervæ, & Appollinis (quos urbis nostræ autores esse à parentibus accepimus) imitabimur, quorum illa fistulam abjecit, hic fistulatorem excoriavit. Hæc seria inter jocandum referens Alcibiades, & se, & reliquos ea arte abstinuit: celeriter eo rumore inter pueros sparso, bene agere Alcibiadem, qui artem istam respuat, & eam discentes rideat: inde factum, ut hæc ars

V penitus è liberalibus disciplinis excluderetur. In criminationibus Antiphontis præterea scriptum est, Alcibiadem puerum domo aufugisse ad Democratem amatorem suum: Atiphronemque cùm statuisset eum abdicare, inhibitum à Pericle, quod diceret, siquidem jam mortuus esset puer, frustra id fore, cùm abdicari ante mortem uno die debuerit: sin viveret, fore ea ratione, ut omnis in posterum ei vita miserrima esset. Idemque ait quendam comitum ab Alcibiade in Sibyrtii palæstra ligno ictum & examinatum esse. Sed homini palam se præferenti, odii causa convicia se Alcibiadi facere, non video cur sit credendum. Cùm multi jam ac nobiles Alcibiadi se adjungerent, eumque colerent: facilè patuit, omnes id formæ ejus præstantia accensos facere. Socratis verò amor magnum testimonium erat virtutis egregiæque indolis, quam is effulVI gentem ex forma pueri perspiciebat. Ac quamquam videbat eum jam ante occupatum à turba civium, hospitum, confœderatorum, qui divitiis dignitate, adulando, gratiaq; animum ejus alliciebant: tamen contra hunc metum arma habebat, quibus uteretur, neque pateretur, tam præclaram stirpem in ipso flore fructum perdere.

*Tibia canere illiberale.*

*Antiphontis in Alcibiadem criminationes.*

*Socratis in Alcibiadem amor.*

Nihil enim usque adeò externis istis (quæ vocamus) bonis fortuna cinxit atque circumsepiit, ut philosophia id, oratione que libera & acri non possit adiri. Ita Alcibiades etiam, etsi ab iis, qui gratiam ipsius in conversando captabant, initio statim molliter habebatur, neque ad hujusmodi sermones audiendos admittebatur, quibus ad virtutem institui posset: tamen indolis suæ vi Socratem quis esset agnovit, eumque remotis divitibus illis & glorioſis amatoribus admisit. Cujus consuetudine deinde usus, cùm audivisset sermones non ejus, qui amorem viro indecorum venaretur, neque oscula & amplexus expeteret: sed vitia ami reprehenderet, inanemq; & stultum factum deprimeret: ibi verò sese:

*Trepidas ut alas gallus ille territus,*

demisit: Socratisque proinde institutum, verum Deorum ministerium ad curandos & servandos adolescentes esse censuit: ac dum seipsum despicit, illum admiratur, ejus comitatem amplectitur, virtutem veneratur, ne sentientes quidem mutationem eam, novo amore captus est, quem Plato tanquam obscœni illius contrarium, Anterotem nominat. Itaque mirabantur omnes eum cum Sotrate VII cœnare, exercere luctam, habitare, aliis se difficilem & intractabilem præbere, nonnullis etiam insolenter utentem, ut Anyto Anthemionis filio. Is cùm amaret Alcibiadem, convivio, hospites quosdam excipiens, hunc quoque vocavit ad cœnam. Alcibiades venturum se negavit: domi autem cum sociis inebriatus, post cœnam ad Anyti domum comessatum ivit, ac consistens in ostio aulæ, cùm vidisset mensas argenteis aureisque poculis oppletas, pueris suis mandavit, ut eorum dimidiam partem abreptam domum auferrent; ac ingredi non dignatus: eo facto abiit. Hospitibus frementibus, superbèque eum & contumeliosè cum Anyto egisse dicentibus, Imò autem humaniter & liberaliter, inquit Anytus, actum ab eo est, qui, cùm licuisset omnia auferre, semissem reliquerit. Ad hunc modum omnes suos amatores tractavit, uno inquilino VIII excepto. Hic non magnis (ut ajunt) præditus facultatibus, cùm omnia divendidisset, & ad centũ stateres confeciſſet, eam pecuniam Alcibiadi obtulit, utque eam acciperet, oravit: is delectatus ea re, ridensque hominem ad cœnam invitavit, & hilariter accepto, aurum suum reddidit; mandavitque ut postridie in publicorum vectigalium auctione omnes licendo superaret: tergiversantem (quippe multis talentis ista emptio erat constituta) ni obtemperasset, flagris cæsurum minatus est. Erant autem privatim Alcibiadi adversum publicanos simultates. Vbi diluxit, progressus in forum inquilinus, licentium publicanorum precium uno talento addito superavit: publicani coire, ac fremere, utque vadem nominaret, inquilino dicere, quem inventum iri ab eo non putabant. Turbato homine, & recedente jam, Alcibiades procul stans, magistratibus, ut se scriberent dixit, se pro amico hoc suo fidejubere. Id verò anxios animi publicanos reddidit, qui cùm semper emptionibus novis de prioribus

*Iniuria Alcibiadis.*

bus consuessent satisfacere, rem tunc nullo modo successuram videbant: itaq; orabant hominem, ut accepta pecunia, ipsis emptionem procedere sineret neque ante passus est eum concedere Alcibiades, quàm talentũ dedissent, idq; inquilinus accepit. Huic itaque ea ra-
IX tione profuit. Cæterum amor Socratis, cùm à tot tantisque rivalib. oppugnaretur, aliquando Alcibiadem tenuit, bonitate indolis adjuvante, dictisq; Socratis animũ ejus penetrantibus, corque commoventibus & lacrymas extorquentibus: nonnunquam adulatoribus multas ei voluptates objicientibus concedens, à Socrate dilabebatur: cùmq; profugisset, iterum eum Socrates verecundia ac metu venabatur, solũ enim Socratem Alcibiades reverebatur, atque metuebat contemptis cæteris. Cleanthes quidẽ suum amasium solis auribus à se teneri dicebat, rivalibus multas ejusdẽ apprehendendi esse Ansas, quas ipse attingere non posset: videlicet ventrem, pudenda, gulam. At Alcibiades erat quidem etiam ad voluptates proclivis, idque, victus sinistra ratio, qua eum in corpus suum peccasse Thu-
X cydides ait, innuere videtur. Verùm hi, qui eum depravabant, ambitionem ejus & gloriæ cupiditatem multò magis captabant, & alieno tempore ad magnas res suscipiendas incitabant, persuadentes fore, ut, quàm primùm rempublicam gerere cœpisset, statim non aliorum modo ducum & oratorum, sed ipsius quoque Periclis potentiam apud Græcos & gloriã sua obscuraret. Quemadmodum verò ferrum igni mollitum, aqua rursus densatum durescit: ita Socrates eum mollicie & vanitate totum diffluentem quoties apprehendit, oratione denuò compingens quasi atque solidũ reddens, ostendendo quibus adhuc rebus indigeret, quantumq; ei ad perfectã
XI virtutem deesset, humilem rursus minusq; audacem effecit. Porrò pueritiam egressus Alcibiades, Grammaticum accessit, librumque Homericum popposcit: cùmque is se quicquam Homericum habere negaret, pugno incusso abiit. Alteri Homerum à se emendatum polliceri: Tu ergo, inquit, literas doces, non juventutem potius informas, si ad Homerum castigandum tibi satis est doctrinæ? Periclis conveniendi causa cùm ad januam ejus venisset, audiretq; non vacare ei ut quenquam admitteret, quod cogitaret secum, quomodo rationes Athenienſibus redderet: discedens, Atqui, ait, præstabat
XII eum dispicere, qua ratione liceret eas non reddere. Adolescens adhuc expeditioni ad Potidæam interfuit, Socratemque contubernalem, & manipularem suum habuit. Acri prœlio commisso, utriusque virtus fuit conspicua: Alcibiademque vulneratum Socrates texit, atque haud dubia gloria ipsum armaq; eripuit. Quamobrem cùm ad huc præmium virtutis optimo jurepertineret, tamen duces satis apertè propter splendorem generis eum honorem ad Alcibiadem deferebant: & Socrates ut quærendæ ex præclaris rebus gloriæ studium in eo homine augeret, primus omnium testatus est, dignum esse, qui coronaretur, armaturaque integra donaretur. Deinde in pugna apud Delium cùm fugerent Athenienſes, Socrate quo-

*Alcibiadis & Socratis ad Potidæam militia.*

que, ut erat pedes, cum paucis discedente, videns id Alcibiades qui eques erat, non prætervectus est, sed Socratem defendit ac deduxit, quanquam instantibus magna cum cæde hostibus. Sed hæc posterioribus temporibus facta sunt. Porrò autem Alcibiades Hippo- XIII
nico Calliæ patri, gloria, potentia, genere & divitiis præcipuo, colaphum inflixit non irâ aut dissidio aliquo motus, sed quod risus captandi causa id se facturum sociis receperat. Quæ ejus petulantia cùm per totam urbem divulgaretur, omnesque (ut æquum erat) indigne id facinus ferrent, summa luce Alcibiades in domum Hipponici venit, pulsatoque ostio admissus, vestem deposuit, corpusque suum flagellare eum & pœnas sumere jussit. Hipponicus
*Vxor Alcibiadu.* verò injuriæ ipsi gratiam fecit, ac post, locata in matrimonium filia, Hippareta, generum sibi adscivit. Quidam non ab Hipponico, sed à Callia hanc Alcibiadi nuptu datam cum dote decem talentorum tradunt: post cùm ea peperisset, alia decem exegisse maritum, quasi ita conventum esset, si peperisset mulier: & veritum insidias Calliam, progressum ad populum, atque huic bona sua omnia ea conditione legasse, si nulla relicta sobole mortem obiret. Cæterùm XIV
Hippareta cùm esset modesta mulier, viriq; diligens, injuriis affecta à marito cum urbanis peregrinisque meretricibus consuetudinem habente, domo sua relicta ad fratrem abiit. Alcibiade id flocci pendente, nihiloque minus luxuritante, petiit Hippareta ut discessionis libellum ipsa præsens apud Archontem deponeret. Quò cùm ea, ut rem secundum legem perficeret, venisset, supervenit Alcibiades, abreptamque per forum domum suam retulit, nemine repugnare, aut adimere ei fœminam audente: atque ex eo Hippareta usque ad finem vitæ suæ cum marito vixit: mortua est autem paulò post, cum is Ephesum navigaret. Hæc vis non omninò injusta videtur, neque inhumana fuisse: ideoque (ut apparet) lex jubet, ut
*Alcibiadis chreia.* in publicum ea, quæ divortium est factura, producatur, ut liceat viro pascisci, & in matrimonio eam retinere. Habebat porrò ca- XV
nem Alcibiades magnitudine & forma mirabili, emptum septuaginta minis: huic caudam, & ipsam oppidò elegantem, abscidit, inde familiaribus culpantibus, referentibusque eum canis causa ab omnibus Athenien sibus conviciis proscindi, subridens: Hoc est, inquit, quod volebant: hunc enim volo sermonem Athenienses habeant, ne quid de me deterius loquantur. In primo ad populum
*Largitio.* progressu traditur pecuniam elargitus: non quod ita in animo habuerit sed cùm transiret, ac tumultum populi audiret, causam scisscitatum, accepisse eum exortum ob pecunias multitudini distribuendas: itaque ipsum accessisse & pecuniam donasse. Populo autem acclamante & plaudente, præ lætitia oblitum coturnicis quam
*Coturnix.* sub veste gerebat: eaque territa & fuga se propiente majorem ab Athenien sibus plausum sublatum, multosque ad capiendam avim accurrisse: captam ab Antiocho gubernatore, redditam: ideoque hunc summopere adamatum Alcibiadi. Etsi vero ad remp. acce- XVI
dendi

dendi magnas ei feneſtras genus, divitiæ, gloria bellica, amicorum neceſſariorumque copia aperiebant: nulla tamen potius te, quàm gratia dicendi potentiam ſibi apud populum parandam duxit. Valuiſſe eum hac re, teſtantur Comici: & oratorum eloquentiſſimus in oratione contra Meidiam, diſertiſſimum inter omnes Alcibiadem fuiſſe aſſerit, Quod ſi Theophraſto credimus, viro variæ cognitionis, & ſi quiſquam alius fuit philoſophorum, hiſtorico: in invéniendis & excogitandis iis, quæ ad rem propoſitam facerent, ſummam habuit facultatem: nec quid dicendum eſſet modò quærebat, ſed & elocutionis erat ſtudioſus: itaque non rarò verbis deſtitutus hæſitavit, ac inter orandum obticuit vocabulum quod ei excidiſſet memoria, requirens & circumſpiciens. Equorum nutritione, magnam ſibi famam paravit, multitudineque curruum: nemo enim præter ipſum neq; rex neque privatus in Olympicos ludos ſeptem currus introduxit: Vicit etiam, ut teſtatur Thucydides, & ſecundus etiam, & quartus fuit. Euripides autem tertio loco viciſſe dicens, omnem in hoc genere ſplendorem ac gloriam ab eo ſuperatam oſtendit. Carmen Euripidis ita habet:

*Facundia Alcibiadis.*

*Equi & currus Alcibiadis.*

*Te tua dignum celebrabo laude*
*Clinia fili, fidibusque gratis.*
*Curruum curſu rapido ſequentes*
*Vincere pulcrum eſt.*
*Tu rotis metam tetigiſſe primis,*
*Tu rotis gaudes iterum ſecundis:*
*Tertius gaudes tenuiſſe curſus*
*Solus Achiuum.*
*Hinc tibi plauſus datus eſt ouanti,*
*Et Ioüis feſtis oleaſter aptus,*
*Duplici multum merito corona*
*Tempora cinxit.*

Hunc ſplendorem auxerunt honores illi certatim à Græcis Aſianis habiti. Tabernaculum enim ei pulcerrimè exornatum Epheſii ſtatuerunt: pabulum equis, & victimarũ copiam ſuppeditavêre Chij: vinum & alium conviviorum apparatum Lesbii largiti ſunt, quanquam effusè multis epulum præbenti. Veruntamen intervenit huic ejus magnificentiæ calumnia quædam malæ fidei, quæ plurimis ſermonibus occaſionem præbuit. Narratur enim fuiſſe Athenis Diomedes quidam, homo non improbus, amicus Alcibiadis: hunc, cùm cuperet Olympico certamine victoriam adipiſci, & audiret, Argis eſſe publicum currum, qua in urbe Alcibiades plurimum gratia, & amicis poſſet, perſuaſiſſe homini, ut currum iſtum emeret: emiſſeque Alcibiadem, ac ſibi inſcripſiſſe, valere juſſo Diomede: hunc autem rem indignè tuliſſe, Deosque & homines obteſtatum. Hancque rem in judicium tractam apparet: & exſtat oratio Iſocratis de bigis, pro filio Alcibiadis, in qua tamen actor non eſt Diomedes, ſed Tiſias. Poſtquàm rempublicam attigit Alcibiades,

*Vt in rep. fuerit versatus.*

des, adolescens adhuc, depressis ab eo aliis omnibus, qui ad populum dicere solebant, cum Phæace tantum Erasistrati, & Nicia Niceratifilio certamen ipsi fuit: quorum hic jam ætate maturior, optimi ducis nomen habebat, Phæax tunc itidem, ut Alcibiades crescere incipiebat, illustribus natus parentibus: sed cùm aliis à rebus, tum ab eloquentia imparatior: aptiorque ad privatos congressus, probabiliterque de re quapiam disserendum, quàm ad forensia certamina: erat enim, ut ait Eupolis,

*Loquendo optimus, at dicendi plane inscius.*

Circumfertur & oratio quædam contra Alcibiadem à Phæace scripta, in qua inter alia est, Alcibiadem aureis atque argenteis pomparum instrumentis, quæ multa urbis erant, tanquam suis in quotidiana vita usum. Erat eodem tempore Hyperbolus quidam Perithoides, cujus ut improbi hominis mentionem etiam Thucydides facit: & continenter conviciis exagitatus, materiam ridendi Comicis omnibus ferè in theatris exhibebat: neque ullis maledictis ille movebatur, & ob contemptionem boni nominis (quod vitium cum sit impudentia & insania quædam, nonnulli fortitudinis nomine cohonestant) nemini probabatur: populus ejus opera crebrò utebatur, si dignitate & autoritate conspicuos viros contumelia afficere & calumniis impetere vellet. Is tunc quoque à populo summissus, ostracismum erat illaturus, quo genere exsulii subinde cives gloria & potentia præstantiores premunt, ac invidiæ magis quam metui consulunt, neque verò dubium erat, horum, quos dixi, trium uni ostracum intendi. Itaque Alcibiades factionibus inter se conjunctis, communicata re cum Nicia, ostracismum in autorem convertit. alii cum Phæace rem contulisse, ejusque secta sibi sociata Hyperbolo exsulium struxisse dicunt. Neque hic quicquam tale metuebat, cùm id supplicii ante non soleret malis aut obscuris hominibus irrogari: ut & Plato ait, quo loco mentionem Hyperboli hujus facit:

*Hyperbolus ostracismo pulsus.*

XX

*Nam digna moribus quidem suis tulit,*
*Indigna sespso, stigmatibusq; tamen suis:*
*Neque ostracismus propter hujus est modi*
*Excogitatus homines.*

*Alcibiades pacificationem Græciæ impedit.*

Sed quæ hac de re memorantur, alio sunt à nobis loco exposita. Alcibiadem verò non minus urebat in belli administratione hostibus, quàm in honore apud cives habitus Nicias. Intercedebat quidem Alcibiadi jus publici cum Lacedæmoniis hospitii, captosque apud Pylum ex iis comiter tractaverat. Sed postquàm hi Niciam, cujus potissimum opera pacem nacti, captivos receperant, summo amore prosequi cœperunt: atque inter Græcos rumor increbuit, bellum inter eos à Pericle turbatum, pacem à Nicia restitutâ (quam & Niciacam ab eo nominabant:) haud mediocri Alcibiades correptus dolore & invidia, de confundendo eo fœdere cogitare cœpit. ac primùm animadvertens, Argivos odio, & metu Spartanorum teneri, ac ideo quærere detrectandi fœderis occasionem, clam illis

XXI

spem

spem societatis cum Athenienſibus futuræ injecit: collocutuſque eſt per nuntios cum eorum primoribus, & hortatus, ne ſibi metuerent, neve Lacedæmoniis cederent, verùm ad Athenienſes ſe converterent. qui ipſi ſtatim eſſent mutaturi factum, & à fœdere diſceſſuri.

XXII Deinde cùm Lacedæmonii ſocietatem cum Bœotis coiiſſent, Panactùmque Athenienſibus, non (ut convenerat) integrum, ſed priùs dirutum reddidiſſent; nactus cives iratos, indignationem eorum oratione ſua auxit. Niciam quoque vexavit, criminaque ei objecit probabilia: quod is dux belli hoſtes apud Sphacteriam ſuperſtites noluiſſet capere, captos autem ab aliis gratificandi ſtudio Lacedæmoniis reddidiſſet; deinde, quod, cùm eſſet amicus eorum, non perſuaſiſſet, ne cum Bœotis fœdus facerent, & Corinthiis: Athenienſes

XXIII autem, niſi approbantibus Lacedæmoniis, non pateretur quenquam Græcorum ſua voluntate ductū ſe conjungere. His cùm premeretur criminationibus Nicias commodum Lacedæmone legati Athenas venerunt, mandata æqua planè afferentes, ſeque cum plena poteſtate ad omnem juſtam pacificationem miſſos dicentes. Cùm acceſſiſſet eos Senatus, ac poſtridie concio eſſet populi futura, veritus Alcibiades ne ſuum conſilium retrò caderet, tantum perfecit, ut legati cū ipſo colloquerentur. Vt convenére: Quid agitis, inquit, Spartani? oblitine eſtis, Senatum ſemper moderatum ſe & humanū his, qui cum ipſo agunt, præbere? populi autem magnos eſſe ſpiritus, magnarumque rerum cupiditatem? & nunc ſi omnia in veſtra eſſe poteſtate dicetis, imperabunt vobis, cogentque ut ex ipſorum agatis ſententia. Hoc quidem propoſitum veſtrum imprudens eſt. Agedum miſſo eo, ſi æquos habere vultis Athenienſes, neque vobis extorqueri quicquam invitis, ita de poſtulatis veſtris diſſerite, quaſi non penes vos ſit ſtatuendi poteſtas: ego in gratiam Lacedæmo-

XXIV niorum vobis operam meam dico. Hæc cùm jurejurando confirmaſſet, à Nicia eos prorſus abalienatos, ſuos fecit, fidem ei habentes, miranteſque hominis facundiam & prudentiam ſingularem. Poſtridie ubi convenit populus, ingreſſos legatos admodum humaniter interrogavit, quibuſnā conditionibus veniſſent: cùm reſpondiſſent, ſe non cum plena veniſſe poteſtate, confeſtim clamore ſublato eos maledictis inceſſit (quaſi verò injuriæ non ipſe autor, ſed illi eſſent) infidos & inconſtantes vocans, ac qui nihil ſani actum dictumve venriſſent. Indignatio ſenatus, populique eam vociferationem excepit: & Niciæ quoque fraudis neſcio ſimul admiratio, ſimul mœ-

XXV ror ob inconſtantiam legatorum inceſſit. Lacedæmoniis ita repudiatis, dux creatus Alcibiades, ſtatim Argivos, Mantinenſes, & Eleos fœdere Athenienſibus copulavit. Hujus facti modum laudavit nemo: magnum tamen fuit totam propè exagitaſſe, & à ſe mutuo divelliſſe Peloponneſum, totque armatos uno die apud Mantineam contra Lacedæmonios in acie conſtituere, amoto longiſſimè ab Athenis prœlio: quo quidem prœlio ſi victoria penes Lacedæmonios ſteriſſet, non magnum momentum erat contra Athenienſes alla-

*Alcibiades in legatos Lacedæmoniorum perfidia.*

*Alcibiades Athenienſibus Argivos, Mantinenſes, & Eleos jungit.*

allatura: sin superati fuissent, periculum erat de Spartæ salute. Post eam pugnam principes urbis Argis statim aggressi sunt populo oppresso civitatem in suam potestatem redigere. Lacedæmoniique supervenerunt, & popularem in rep. dominationem everterunt. Rursus autem populus cùm arma cepisset, & superior esset factus: Alcibiades Argos profectus, populi victoriam confirmavit, persuasitque ut longum murum ad mare usque deducerent, urbemque omnino Athenienſium potentiæ contiguam facerent: fabrosque & lapicidas ad id opus Athenis accersivit, omnique studio promovit, non minorem sibi, quàm urbi gratiam & vim parans Patrensibus quoque consuluit, ut & ipsi muris longis exstructis urbem mari annecterent & cùm quidam Patrensibus diceret: Ita Athenienses vos deglutient: fortassis, inquit Alcibiades, sensim & sumpto à pedibus initio: Lacedæmonii autem idem facient uno momento, caputque primo haurient. Quinetiam terræ finium proferendorum Athenienſibus autor fuit, semperque adolescentes monuit, ut juramento, quo se Agrauli obstringunt, satisfacerent: jurant autem se fines Atticæ habituros frumentum, hordeum, vites, oleas: itaque in id incumbendum, ut feracem omnẽ terram in suam potestatem redigerent. Enimverò dum hæc ageret ac consuleret tanto animo, tantaque calliditate & facundia, ingens interim ejus in victu quotidiano luxuria & mollities, in compotando & amoribus turpitudo conspiciebatur: vestes purpureæ fœminarum exemplo per forum tractæ, luxus insoles: excindebantur in triremibus tabulata, & quo mollius in iis dormiretur, non asseribus, sed tatciis vestis stragula lectique injiciebatur: clypeus aureus ei gestabatur, nullis majorum insignibus pictus, sed amore fulminifero. Quæ cùm viderent homines illustres, non modò abominabantur & stomachabantur, sed simul ejus levitatem & injustitiam, (tyrannica & aliena à liberis hominibus vitia) suspectam habebant. Populi verò qui fuerit de Alcibiade sensus, haud male his verbis exposuit Aristophanes:

XXVI

*Luxuria Alcibiadis.*

XXVII

*Populi de Alcibiade sensus.*

*Desiderat hunc, & odit: habere vult tamen.*

Et præterea per ambages ostendens, qualis esset;

*Educere in urbe leonem omnino haud expedit:*
*Sin quis alat, ejus obsequatur moribus.*

Nam largitiones in scenam, ac in urbem ornandam collati sumptus immodici, tum gloria majorum, eloquentia, corporis pulchritudo, robur, peritia rei militaris, fortitudo: hæc inquam effecerunt, ut populus Athenienſis reliqua etiam homini condonaret, ac moderatè ferret, vitiisque semper leviſſima nomina imponeret, ludos & facilitatem appellans. Ejus generis est, quod Agatharchum pictorem à se in carcerem conjectum, post domus suæ pingendæ causa liberavit, & pecunia donavit: quod Taureæ in præbendis scenæ sumptibus secum certanti colaphum inflixit: quod Meliam mulierem è captivarum numero exemit, puerumque ex ea sustulit & aluit.

aluit. Hæc omnia humanitatis seu facilitatis nomine signabant Athenienses; præterquam id, quod Meliorum omnium, nullo ætatis habito discrimine, occidendorum causa ipse potissimum fuisse creditus est, ei decreto suffragans. Cùm Aristophon pinxisset Nemeam, qui Alcibiadem in ulnis suis sedentem tenebat, concurrit
xxv ad id spectaculum multitudo. Seniores autem hæc omnia, ut ty-
III rannica & in leges peccata, molestè ferebant. Et videtur Archestratus haud absurdè dixisse: *Græciam duobus Alcibiadibus ferendis non sufficturam.* Quod autem Timon, cui, ut omnium osori hominum, *Misanthropi* cognomen erat, Alcibiadem lætis successibus utentem, aliquando splendido cum comitatu à foro redeuntem conspicatus non præteriit, neque (ut solebat aliis hominibus obviam dantibus facere) fugit, sed occurrens, injecta dextra: *Macte,* inquit, *virtute adolescens, perge ad altum contendere: omnium enim horum magno malo tuis auctus stabunt.* id aliis risum movit, alii conviciati sunt dicti autorem, nonnullorum verò animos magnopere commovit: adeò propter inæqualitatem ingenii Alcibia-
xxix dis, nihil certi de eo poterat judicari. Siciliæ porrò potiundæ & cupiditas Athenienses, etiam vivente adhuc Pericle, incesserat, & defuncto eo manus insulæ injecerant, ac subinde auxilia & suppetias (ita enim ipsi nominabant) vim passis à Syracusanis miserant, ut sibi majoribus copiis rem tentaturis aditus ad insulam pateret. Et cupiditati faces addidit Alcibiades, persuasitque ut non diversis temporibus, aut parva manu, sed magna simul classe Siciliam peterent ac subigerent: magnasque spes injecit populo, majora ipse animo concipiens: quorum non, ut cæteri, finem sed initium fore Sicilienſem expeditionem cogitabat. Quippe cùm Nicias Syracusarum capiendarum propositum tanquam arduum, improbaret, ab eoque populum deterreret: Alcibiades jam & Carthaginem, & Africam somniabat: his captis inde Italiam, ac Peloponnesum se subacturum, & quasi ingressum ad eas res Sicilia se usurum sperabat. Iamque eò arrectæ erant juvenum spes: senum quoque multi ac mirabiles de ea expeditione audiebantur sermones, multique in Gymnasiis & semicirculis sedebant, figuram Siciliæ, positumque
xxx Africæ & Carthaginis describentes. Ferunt tamen Socratem philosophum, & Metonem astrologum nihil boni ex hoc bello urbi futurum prævidisse. Quorum alter videtur à genio, quem sibi familiarem habet, præmonitus: alter (sive rationibus subductis futurum malum deprehenderit, sive divinatione quadam id persecutatus, incertum) simulato furore facem ardentem arripuit, domumque suam incendit. Alii nullo insaniæ prætextu usum Metonem, noctu domum combussisse narrant. Summoque mane progressum ad cives petiisse supplicirer, ut sibi ad tantæ cladis solatium filium militiæ immunem relinquerent, idque impetrasse, deceptis hoc pacto civibus. Nicias verò contra suam voluntatem dux belli est creatus, cui magistratus fugiendi non minimam causam collega dabat.

*Alcibiades belli Siciliensis fax.*

*Socratis & Metonis de eo præsagia.*

dabat. Atheniensibus enim videbatur bellum ita rectius administrari posse, si rem non Alcibiadi totam animi impotenti committerent, sed ejus audaciam prudentia Niciæ temperarent; tertius enim horum collega Lamachus, quanquam grandiore jam ætate, videbatur tamen nonnullis in certaminibus Alcibiadi fervore animi & temeritate haud secundus. Deliberatione de numero mili- XXXI
tum, & apparatu belli proposita, denuò conatus est Nicias bellum impedire: sed Alcibiadis repugnantis oratio plus valuit: tulitque legem Damostratus orator, ut penes duces esset plena potestas apparatus omnis totiusq; belli; jussitque eam legem populus. Omnibus jam ad navigandum paratis, in omen futuri exitii rapta sunt Adonidis sacra quæ in eos ipsos dies incidebant. mulieres enim simulacra, quasi mortuorum cadavera, frequentes efferebant pro more festivitatis ejus, funeraque & sepulturas imitabantur, plangebantque, & feralia carmina concinebant. Ad hæc Mercurii statuæ (*Hermas* vocant) quæ in viis & compitis Athenis positæ sunt plurimæ, pleræque una nocte facies & ora mutilatæ repertæ sunt; quæ res etiam eorum animos, qui cætera despiciebant, perturbavit. Sparsus est rumor, à Corinthiis propter colonos suos Syracusanos id factum fuisse, si, religione Atheniensibus objecta, bello aut protrahere tempus, aut omninò id tollere possent. Sed neque XXX
is, neque prodigii ratio animos plebis movit. neque enim porten- II
ti adversi quicquam credebant, sed factum ab ebriis, & à joco ad petulantiam prolapsis adolescentibus, Senatus, populusque ira simul metuque turbati, conspirationemq; magnæ rei audendæ causæ factam opinantes, acerbè in omnes quacunque ratione suspectos inquirebāt; paucis diebus haud pauci ejùs rei causa conventus cum senatus, tum populi agebantur. Ibi Androcles orator servos quosdam & advenas produxit, qui Alcibiadem cum amicis hermas istas truncasse, ac inter potandum mysteria per jocum egisse referrent: Theodorum nempe quendam præconis partes gessisse, Polytionem ejus qui faces gestat, sacerdotis Alcibiadem; reliquos socios adfuisse, sacrisque initatos, & Mystas inde vocatos. hæc enim perscripta sunt in accusatione quam Thessalus Cimonis filius Alcibiadi de profanata religione Deûm intendit. Concitato populo, ani- XXX
misque multitudinis contra Alcibiadem exasperatis, & Androcle I II
(qui unus è summis inimicis ejus erat) magis magisque eos irritante, initio turbatus nonnihil est Alcibiades. Sed postquàm de nautarum militumque in Siciliam iturorum erga se benevolentia cognovit, Argivosque & Mantinenses milites, qui erant numero mille, apertè dicere, maritimam se & longam militiam in gratiam Alcibiadis subjisse, ac, si qua esset ei injuria facta, statim discessuros; animum recepit, ac se ad defendendam suam causam paravit. Itaque metus inimicos ejus invasit, ne in judicio populus remissius ageret, propterea quod rei opera indigeret. Submiserunt itaque alios oratores, qui inimicitiam palam non ferebant, neque tamen minus

*Alcibiades pietatis accusatus.*

minus Alcibiadem oderant, quàm qui apertè idem agebant. hi populum monuerunt, incommodè fieri, si dux, cui in tantas copias liberum esset mandatum imperium, collectis jam exercitibus sociorumque auxiliis, in judicio causa dicenda tempus & occasionem rei gerendæ perdat: dimittendum potius nunc bonis avibus, ut bello confecto secundum easdem, quæ nunc propositæ essent, leges crimina objecta diluat. Non fefellit malignum dilationis consilium Alcibiadem progressusque in medium, indignam rem esse dixit, criminibus se & calumniis impetitum, iis post se relictis, incerta innocentiæ fama cum tantis copiis ad bellum ire: velle se, nisi eam demonstrasset, mori: sin insontem se purumque sceleris probasset, xxx spretis calumniatoribus cõtra hostes proficisci. Postquàm id non IV obtinuit, cum reliquis belli ducibus solvit. classis ea constabat triremibus haud multò, quam centum & quadraginta, paucioribus: gravis armaturæ milites erant quinque milia, & præterea centum milites: sagittarii, funditores, & levis armaturæ milites mille ac trecenti: reliqua ad bellum pertinentia, omnia satis instructa. Cum his Italiam advectus, Rhegio capto, deliberationem proposuit, quanam potissimum ratione bellum esset gerendum: in qua cùm sibi repugnantem Niciam, adstipulantem habuisset Lamachum, in Siciliam navigavit, & Catanam occupavit, neque præterea egit quicquam, statim ab Athenienſibus, ad dicendam causam accitus. Initio enim (ut ostendimus) leves modò quædam suspiciones & calumniæ contra Alcibiadem exortæ erant, à servis & inquilinis prolatæ. Post absentem eum majore vi aggressi adversarii, Hermarum violationi mysteria profanata annectentes, eaque acta à conjuratis ad novas res movendas jactantes, eos qui quocunque modo conscii sceleris fuisse putarentur, indicta causa in carcerem rapiebant, Alcibiademque non præsentem propter tanta crimina in judicium trahi posse dolebant: ac si quem nacti erant ejus amicum aut familiarem, ei se multo quam aliis iniquiorem præbebant. Delatores non recensuit nominatim Thucydides: alii Dioclidem & Teucrum commemorant, inter quos est etiam Phrynichus Comicus, cujus hæc sunt.

*Athenienſium in Siciliam expeditio.*

*Alcibiades absens accuſatur.*

*Chariſſime Mercuri, cave ſis corruas,*
*Alijs fraudi ſis, locum calumniæ*
*Præbens Dioclidæ, meditanti aliquod malum*
*Facinus. MERCVR. cavebo: ne flagitioſo hoſpiti*
*Delationis Teucro detur præmium.*

Et quidem isti indices nihil certum neque constans detulerunt: unus quoque eorum interrogatus, quomodo facies eorum, qui simulacra mutilassent, cognoverit? ad Lunam, respondit: turpissimè lapsus, cùm actum id fuerit, sub ipsum novilunium. Et quanquam cordatos viros id mendacium moverat, nihilo tamen molliori animo calumnias accepit populus, quin utcunque delatos in carcerem xxx raperet. Fuit inter eos, qui tum judicii causa in vincula conditi VI asservabantur, Andocides quoque orator (cujus genus Hellanicus

*Andocides orator in vincula conjectus.*

historiæ scriptor ad Vlyssem refert) homo populo infensus, paucorumq; in republ. imperio favere creditus. Suspicionem autem simulacrorum pręcisorum de eo haud exiguam id præbebat, quod ingens Mercurii statua propè domum ejus posita (quam Ægeis tribus dedicaverat) sola propè omnium aliarum, quæ in conspectum venerant, integra relicta erat, ideoque adhuc ea Andocidis statua dicitur ab omnibus, quantumvis inscriptione reclamante. Inter eos, qui in carcere erant cùm Andocide eadem de causa capti, fuit Timæus, non quidem gloria ei comparandus, perspicacia tamen animi, audaciaque eximius. is amicus consuetudine factus Andocidi, consilium dedit, uti sui ipsius, aliorumq; non multorum accusator potius esse vellet (quando & fatenti decretum impunitatem concedebat, & judicii incertus erat exitus, potentibus autem maximè periculosus) mendacioque potius saluti suæ consuleret, quàm alioquin eodem crimine damnatus turpem mortem obiret: præstare etiam reipublicæ ut paucis & dubiæ innocentiæ hominibus projectis, multos bonos viros periculo eriperet. His Timæi monitis acquievit Ando XXX
cides, delatoque de seipso, & nonnullis aliis judicio, impunitatem VII
ex decreto consecutus est: quos autem nominavit, ii omnes morte multati sunt, nisi si qui fuga sibi consuluerunt. fidei etiam firmandæ causa, servos suos cum aliis Andocides detulit. Neque verò in his omnem suam iram populus consumsit; quinimò simulacrorum violatoribus punitis iram otiosam, nullique jam alii rei intentam omnem in Alcibiadem convertit. Tandem Salaminiam navim ad eum miserunt, diligenter mandato nunciis, ne vim ei, neve manus afferrent, sed composita oratione juberent venire in judicium, populoque se purgare. Verebantur enim tumultum exercitus in hostico versantis & seditionem: quam Alcibiades, si ita voluisset, levi negocio excitasset: mœrebant enim ejus discessu milites: bellumq; tractum iri, & tardum finem inventurum timebant, Nicia duce, cui calcar ad agendum stimulans nunc adimeretur. nam Lamachus erat ille quidem vir acer & bellicosus, auctoritate tamen propter paupertatem carebat. Cęterùm Alcibiades cùm aveheretur, XXX
statim Atheniensibus, ne caperent Messanam, obstitit: erant enim in VIII
urbe, qui eam dedere statuerant: quos cùm certissimè cognitos haberet, rem Syracusanorum amicis patefecit, discussaq; ita proditione Messanam quasi è manibus Atheniensium eripuit. Vt in Thurios venit, egressus triremem, occultavit se, & quærentes fuga sefellit. Cúmque agnitus à quodam interrogaretur, *cur non fidem haberet patriæ? Omnia quidem*, inquit, *alia facile ei credo: Vitam ne matri quidem meæ in judicio commiserim, metuens ne forte per errorem nigrum calculum pro albo in urnam demitteret.* Post audiens se ab Atheniensibus morte damnatum esse: At ego, inquit, ostendam eis me vivere. Accusationem autem ita fuisse perscriptam invenio Thes XXX
salus Cimonis filius Laciades, Alcibiades Clineiæ filium Scamboni- IX
dam postulavit impietatis in Deos, Gererem & Prosperinam, quorum

*Alcibiades ad Iudicium Athenas evocatur.*

rum mysteria imitatus fuerit, eaq; domi suæ sociis demonstraverit, ipse vestem sacerdotis indutus sacra docuerit, seque ipsum nomine sacerdotis, Polytionem facigeri, Phegæensem Theodorum præconis nomine insigniverit, reliquos socios mystas & sacrorum inspectores appellaverit: contra instituta hęc omnia Eumolpidarum, præconum, & pontificum Eleusiniorum. Proinde absentem damnaverunt, pecunias ejus publicarunt: additumq;, ut omnes utriusq; sexus sacerdotes in caput ejus exsecrarentur: idque decretum sola Theano Menonis filia Agraulensis fertur detrectasse, precibus, non im- XL precationibus se sacerdotem constitutam dicendo. His ita contra Alcibiadem decretis, fortè tum ipse Argis erat. quo primùm à Thuriis in Peloponnesum perfugiens se contulerat. Desperato autem in patriam reditu, inimicos metuens, Spartam misit, atq; impunitatem sibi veniamque dari petiit, pollicitus se plus commodi allaturum eorum rebus, quàm ante ulciscendi studio damni ipsius dedisset. Ignoscentibus Spartanis, & ad se alacriter venientem accipientibus, primò id perfecit, ut cùm ante auxilium ferre Syracusanis cunctarẽtur, Gylippum tunc eo mitterent ad frangendas Athenienſium, quas in Sicilia habebant, vires: deinde ut novum ex Peloponneso bellum contra Athenienses moverent: tertium & maximum fuit, quod persuasit, ut Deceleam muris munirent, quo non alia ulla res magis perniciem Athenis attulit. Porrò cùm publicè Spartæ in honore habebatur, tum non in minore apud privatos erat admiratione: ratione- que victus Laconica multitudinis sibi benevolentiam parabat, & fucum vulgo faciebat: ut cùm viderent eum radere cutem, frigida lavari, atro pane & jure nigro vesci, vix crederent ei viro unquam cocum domi fuisse, aut visum unguentum, aut Milesiam chlamy- LXI dem ab eo tactum. Erat enim hæc una ex multis egregiis artibus ejus, & ad homines alliciendos aucupium, quod se studiis eorum, ac victus rationi adsimilabat, ipso chamæleonte in mutanda forma celerior. hunc enim ajunt solum album colorem non posse simulare: at Alcibiadi sive boni, sive mali nihil erat, quod non imitando exprimere posset. Itaq; Spartæ erat exercitationibus deditus, victus sordidi, & austeri: in Ionia delicatus, luxui deditus, ocioſus: in Thracia ebriosus, assiduo equitans: dum viveret cum Tisapherne satrapa, omnem Persicum splendorem luxu & fastu superabat. Neque verò ita facilè moribus suis exutis alios sumebat, neque ad omnes mutationes habili erat ingenio: sed cùm videret si suo modo vixisset, iis molestum se futurum, quibus cum versabatur: naturam suam LXII solebat figura aliqua & persona iis accommodata occultare. Itaq; ergo quandiu vixit Spartæ, si exteriorem ejus vitæ habitum quis inspexisset, potuisset dicere:

*Abcibiades absens damnatur.*

*Vt se Spartanus coniunxerit Alcibiades.*

*Decelea munitur.*

*Alcibiades chamæleonte mutabilior.*

*Non es tu Achillis filius,——*

sed verè talis vir, qualem Lycurgus instituit: veris autem moribus ejus & interioribus factis idem acclamasset,

*Sed mulier eadem quæ prius,——*

Timæam enim Agidis regis uxorem, absente militiæ marito, ita adulterio contaminavit, ut & conceperit ex ipso, neq; inficias iverit: cúmque puerum peperisset, palam quidem Leotychidam nominaverit, intus autem amicis sibi mulieribus, pedissequisque à matre datis insusurraurit, esse Alcibiadem: tanto mulier amore ejus laborabat. Ipse verò quasi per ludibrium, non libidinis voluptatisve causa, se adulterium id commisisse ajebat, sed ut ex se nati Spartæ regnarent. Hæc ita fieri multi ad Agin deferebant: verùm is temporis maximè ratione adductus est, ut verum esse crederet. Nam terræmotu subito perterritus è thalamo conjugis se cursu proripuerat, neque totis exinde decem mensibus cum ea concubuerat: itaq; post id temporis natum Leotychidam professus est non ex se natum, eamque ob causam postmodò Leotychides regno excidit. Post XLIII eam cladem quam Athenienses in Sicilia sunt passi, legatos unà Spartam miserunt Chii, Lesbii & Cyziceni, deficere se ab Atheniensibus testantes, si à Spartanis in fidem acciperentur. Hîc cùm pro Lesbiis Bœoti, pro Cyzicenis Pharnabazus oraret, Alcibiadis consilium obtinuit, ut primis omnium Chiis subveniretur: ipseque cum classe missus, ferè totam Ioniam ab Atheniensibus ut deficeret permovit, multumque cum Spartanis ducibus conversatus, Atheniensibus damna intulit. Agidem verò non adulterium modò, sed & invidia gloriæ ad Alcibiadis inimicitiam instigabat, cùm pleraque geri & succedere Alcibiadis ductu rumor teneret, jamque etiam potentissimus honorisque cupidissimus quisque inter Lacedæmonios gloriam ejus graviter ferret. Tantum igitur hi apud magistratus domi impetraverunt, ut iis suis, qui in Ionia erant, de occidendo Alcibiade per litteras præciperent. Quod ita fore clanculum ille præsentiens, ac sibi metuens, de omnibus quidem rebus cũ Lacedæmoniis communicabat, omninò autem manus eorum vitabat. Tandem XLIV accepta fide Tisapherni regis satrapæ se commisit, statimque apud eum primum dignitatis locum obtinuit: quippe versutiam ejus insignem atque calliditatem barbarus, homo nequaquam simplex, sed mali ingenii, malisque hominibus delectatus, admirabatur. tanta porrò inerat Alcibiadi in consuetudine quotidiana suavitas, ut nulla non natura, nullum non ingenium ea posset capi: adeoque his etiam, qui cum vel metuebant, vel invidebant, præsentia ejus & aspectus voluptati lætitiæque erat. Quare Tisaphernes, homo alioquin, ut quisquam Persarum, inhumanus & Græcorum osor, tantopere adulationibus Alcibiadis erat captus, ut vicissim eum demerendo ipsius obsequia superaret: omnium enim suorum hortorum pulcerrimum, aquis pratisque salubribus præstantissimum, receptaculaque habentem in quibus tempestas vitari, & animi causa ludi possit, regio luxu ædificata, Alcibiadem nominavit, itaque eum omnes deinceps appellaverunt. Proinde Alcibiades Spartanorum in- XLV fidelitate cognita, à rebus eorum fiducia sua aversa, Agidem apud Tisaphernem traduxit, effecitq; ne Lacedæmoniis auxilia solito studio fer-

*Alcibiades à Spartanis ad Thisaphernem confugit.*

dio ferret, sed tenuiter pecuniam suppeditaret: ut neque hi Athenienses evertere possent, & eo bello paulatim utrique attriti & confecti, sub potestatem tandem regis redigerentur. ejusque consilio libenter acquievit Tisaphernes, seq; eum amare & admirari satis testatum fecit. Quo factum est, ut ab utraq; parte Græci in Alcibiadem oculos conjicerent: Atheniensesq; præsertim adversam fortunam sentientes pœnitebat eorum, quæ in ipsum statuerant: ipse quoque jam animo angi incipiebat, ac metuere, ne Athenis eversis in potestatem Lacedęmoniorum sibi infensorum veniret. In Samo tum temporis erant omnes propemodum res Atheniensium positæ, indeque cum classe profecti, partim ea quæ defecissent recuperabant, partim cætera in fide continebant, utcunque adhuc hostibus mari pares, à Tisapherne autem, ac centum quinquaginta triremibus Phænissis, quæ jamjam adventare ferebantur, sibi metuebant, quæ si advenis-
XLVI sent, nulla salutis spes reliqua urbi erat. Id cùm haberet compertum Alcibiades, occultè ad Atheniensium primores mittit, spem facit, conciliaturum se iis amicitiam Tisaphernis, non in plebis id quidem gratiam (neque enim se fidem iis habere) sed optimatum: modò ii auderent se viros strenuos præbere, libidineque populi coercita ipsi per se rempublicam & urbem servare aggrederentur. Cùm vehementer hanc promissionem Alcibiadis gratam plerique nobilium haberent, unus è ducibus, nomine Phrynichus Diradiotes, suspicatus (id quod res erat) Alcibiadem non magis paucorum quàm populi in repub. principatum curare, sed reditus sibi conficiendi gratia, traducēdo plebem primorum benevolentiam captare: repugnavit. Superatus autem aliorum sententiis, ideoq; apertè jam inimicus Alcibiadis factus, occultè rem Astyocho classis hostium præfecto renunciavit, monens ut Alcibiadem, nutantis in utranq; partem fidei
XL hominem, observaret atque caperet. Sed hoc Phrynicum fefellit,
VII à se proditore proditorem compellari. Astiochus enim Tisaphernem summopere timens, Alcibiadi, quem noverat plurimum apud illum valere, Phrynichi consilium indicavit. Alcibiades statim in Samum misit, qui Phrynichum accusarent. Sic Phrynichus, omnibus contra se frementibus, cùm periculum nulla alia se posse ratione effugere [illegible], statuit hoc malum alio graviori malo sanare: rursusque misso ad Astyochum nuncio, expostulavit cum eo de indicio, pollicitusq; est juxta, se ei naves & exercitum Atheniensium in manus traditurum. Hæc proditio ne noceret Atheniēsibus, altera Astyochi proditione effectum est, qui rursus Phrynichi sententiam Alcibiadi detexit: idq; prævidens fore Phrynichus, seque iterum ab Alcibiade accusatum iri intelligens, occupavit Atheniensibus dicere, hostem cum classe impetum ipsos facturum: proinde apud naves essent & navalia munirent. Literis ergo Alcibiadis allatis ad eos huic ipsi rei intentos, quibus eos jubebat sibi à Phrynicho cavere, quod is stationem navium prodere constituisset, fidem non habuerunt: existimantes Alcibiadem, qui hostium consilia perspecta haberet, iis ad

*Alcibiadis cum Atheniensibus pactum.*

calumnias contra Phrynichum struendas abuti. Postea tamen temporis cum Phrynichum Hermo unus excubitorum in foro pugione ictum interfecisset; Athenienses, re in judicio examinata, Phrynichum proditionis damnaverunt, Hermonem cum sociis ejus coronis coronaverunt. At in Samo amici Alcibiadis superiores adversariis facti, Pisandrum Athenas mittunt, qui præsentem reipub. statum convelleret, optimatesque hortaretur ut rempub. invaderent, populumque opprimerent: hac enim conditione Alcibiadem Tisaphernis amicitiam & societatem ipsis polliceri. hoc prætextu utebantur ad statuendum paucorũ in republica principatum. Sed postquam rerum administratio in manus eorum pervenit, qui Quinquemille viri dicebantur, numero autem erant quadringenti, hi quidem nihil omnino animum Alcibiadi adverterunt, bellumq; remissius gesserunt: partim diffidentes civibus, adhuc animos à mutatione reip. insolenti nonnihil alieno gerentibus; partim sperantes, Lacedæmonios, qui semper paucorum in rep. principatum prætulerant, eo facilius ipsis concessuros. Et quidem qui Athenis erat populus, invitus conquiescebat, quod necati essent nonnulli, qui se apertè quadringentis opposuerant. Qui verò erant in Samo, audita reip. mutatione, indignè rem ferentes, statuerunt confestim in Piræeum navigare, accersiveruntque ad se Alcibiadem, & ei ad evertendos tyrannos imperium detulerunt. At verò Alcibiades, etsi subitò ad magnum fastigium ab iis elatus, non tamen (quod alii solent) omnia in eorum gratiam agenda, nihilve quicquam iis denegandum censuit, qui ipsum de exsule & errone tantæ classi, exercitui, copiisque præficiebant: sed, ut decuit magnum imperatorem, propter iram inconsultò ruentes inhibuit, atque ab errore retraxit. Quo quidem facto evidens est, servatas esse ab eo res Athenienſium. Si enim tum à Samo classem domum versus abduxissent, hostibus confestim tota licuisse potiri Ionia, Hellesponto, insulisque, nemine resistente: bellumque Athenienſibus contra Athenienses in ipsa urbe exstitisset. Quod ne fieret, unicus præcipuè Alcibiades effecit, non multitudinem modò verbis flectens & docens quid rei suscepturi essent, sed & singulos deprecans atque castigans. Adjutorem habuit etiam Thrasybilum Steirensem, qui ei adfuit, & magna voce (erat enim, ut ajunt, vocalissimus omnium Athenienſium) causam eandem egit. Hoc primum fuit præclarum Alcibiadis in patriam beneficium. Alterum, quod pollicitus naves Phœnissas quas à Rege mittendas Lacedæmonii expectabant, se aut Athenienſibus adjunctorum, aut, ut ne ad Lacedæmonios quidem venirent, effecturum, rei curandæ causa statim Samo avectus est; Thisaphernes autem naves istas jam apud Aspendum visas deceptis Lacedæmoniis non misit. Causa rei ab utrisque est Alcibiadi imputata, maximè autem à Lacedæmoniis: quippe quod is barbaro consilium dedisset, ut sineret ipse sese intestinis bellis conficere Græcos: neque verò dubium erat, utri parti tantæ navales copiæ accessissent, eam altera profligata, totum mare

Resp. Athenarum mutata.

XL VIII

XL IX

L

in sua

in sua potestate habituram fuisse. Posthæc Quadringenti dejecti sunt Athenis, Alcibiadis amicis strenuos se auxiliarios iis, qui popularem reipub. statum cupiebant restituere, præbentibus. Iubentibus autem iis qui ad urbem erant, ut rediret ab exsulio Alcibiades: non voluit ipse vacuis manibus & nulla re gesta, quasi misericordia & studio multitudinis reditum impetrasset, sed cum gloria in patriam reverti. Eo consilio, primùm cum paucis navibus à Samo per mare Cnidium & Coum navigavit, ibi cùm auditu accepisset, Mindarum Spartanum cum tota classa Hellespontem petere, Athenienseseque ei à tergo instare, ad ferendum horum ducibus auxilium properavit. Ac fortè fortuna navigans cum octodecim triremibus eo tempore assecutus est istos quo omnibus navibus prœlium utrique iniverant apud Abydum; ac victi utrinque altera parte, altera vincentes, usque ad vesperam acri pugna decertabant. Vt visus est cum suis navibus, utrisque falsa opinio incidit, hostesque animis confirmati sunt, perturbati Athenienses. Celeriter ibi signum suis à prætoria, navi extulit, Peloponnesiosque jam victores, & cedentibus Athenienssibus instantes adortus, fusos ad terram expulit, incumbensque, naves eorum diffidit ac consauciavit, viris enantibus, Pharnabazoque iis in terra auxilium ferente, & naves defendente: tandem triginta hostilibus navibus captis, suisque servatis Atheniensis trophæum erexerunt. Hoc tam splendido feliciter perpetrato facinore, cupiens se statim Tisapherni ostentare, abiit ad eum cum comitatu imperatoris, dona ferens & hospitalia munera: sed præter expectationem ei res cecidit. Tisaphernes enim jam pridem male audiens apud Lacedæmonios, veritusque ne apud regem etiam accusaretur, Alcibiadem in tempore ad se venisse ratus, Sardibus in custodia habuit, hoc se flagitio obtrectationes sublaturum sperans. Verùm Alcibiades cùm captus triginta dies fuisset, equum fortè nactus custodes effugit, ac Clazomenas pervenit: ibi mentitus in fraudem Tisaphernis, se ab eo demissum, ad exercitum Athenienssium navigavit. Inde audito Mindarum, unaque Pharnabazum Cyzici esse, milites cohortans, ostendit oportere eos & navali & pedestri prœlio decertare, imò etiam oppugnare urbes hostis pellendi causa: neque enim, nisi si ubiq; vicissent, habituros. Proinde impositis in naves militibus, in Proconnensum advectus est, ac ibi jussit naves minores in mediam classem subduci, & caveri, ne ullo modo hostes ipsum contra se cum classa venire sentirent: repentè etiam tum effusus imber cum tonitribus & caligine in apparatu eo occultando eum adjuvit, ita ut non hostes modò fefellerit, sed Athenienssibus jam de re gerenda desperantibus naves conscendere jussis, avectus sit. Paulò post & caligo dissipata est, & Peloponnesiorum classis in alto ante Cyzicenorū portū conspecta. Alcibiades autem veritus, ne multitudinē suarū navium hostes conspicati ad terram fugerent, ducibus mandato ut tardè navigātes aliquo ipsum intervallo consequerētur, quadraginta cum navibus hosti in conspectum venit, & ad

*Quadringenti depositi.*

*Naumachia apud Abydum.*

*Alcibiades à Tisaphernę capitur, & evadit.*

*Eius apud Cyzicum de Mindaro & Pharnabazo victoria.*

pugnam cum provocavit. Ea paucitate decepti hostes occurrerunt: commissaque pugna, reliquis supervenientibus, fugam territi dederunt. Alcibiades cum viginti optimis navibus perrupit, celeriterque terræ advectus, navibus egressus cùm suis, fugientes, è navibus hostes insectatus. magnam stragem edidit: Mindarumque & Pharnabazum auxilio suis venientes, alterum fortiter pugnantem occidit, Pharnabazum in fugam conjecit. Hoc modo Athenienses spo- LIV
liis multis armisque, & omnibus hostium navibus potiti, Cyzicum quoq; à Pharnabazo relictam, cæsis Peloponnesiis, ceperunt: ac proinde non Hellespontum solum tutò obtinuerunt, sed & reliquo mari Lacedæmonios profligarunt. Literæ etiam interceptæ sunt, quibus Ephoris clades accepta indicaretur. *Actum est: Mindarus periit, exercitus est: quid agendum sit, nescimus.* Tantum verò milites Alcibiadis sibi arrogarunt, adeoque animos extulerunt, ut dedignati sint posthac ipsi nunquam victi cum reliquis aliquoties victis commisceri. Nam non multò ante apud Ephesum Thrasyllus victus, & æreum trophæum ab Ephesiis in dedecus Athenienſium erat statutum. Hoc milites Alcibiadis, Thrasylli militibus exprobrabãt, seipsos & ducem laudibus tollentes: cumq; iis neque exercitationes communes habere, neq; in suis castris locum iis dare volebant. Sed postquam Pharnabazus cum magno equitatu peditatuq; Athenienses in Abydenorum agrum profectos adortus est, & Alcibiades unà cùm Thrasyllo auxilium iis tulit, fugatumque hostem usq; ad tenebrarum noctis initium insecutus est: inde inter se commixti milites, mutuoque humaniter accepti in castra redierunt. Postridie fixo trophæo prædam è Pharnabazi regione egit, nemine resistere auso: pontifices tamen, sacrisque præfectas mulieres, quas receperat, omnes sine precio dimisit. Inde bellum parans contra Chalcedonen- LV
ses, qui defecerant, præsidiumq; & præfectum (*harmosten* ipsi nominant) à Spartanis acceperãt, audito eos omnia sua bona ex agris collecta apud Bithynos amicos suos deponere, in horum fines exercitum adduxit. præmisso; præcone cum eis expostulavit: Bithyni veriti, bona Chalcedonensium dediderunt, fœdusq; icerunt cum Atheniensibus. Conversus inde ad Chalcedonem, cùm urbem eam munitionibus ab uno mari ad alterum porrectis clausisset, Pharnabazus ad obsidionem disjiciendam advenit: & Hippocrates præfectus cum suis copiis urbem egressus, adortus est Athenienses. Alcibiades utrique oppositа acie, Pharnabazum turpi fuga sibi consulere coegit, Hippocratem multosque cum eo victos interfecit. Secundum hæc LVI
pecuniæ colligendæ causa in Hellespontum profectus Selybriam proditione cepit. Qua in re in apertum vitæ periculum se conjecit, occasione tenendæ urbis præcipitante. Qui enim urbem se in manus ei tradituros polliciti erant, media nocte sublato fascibus succensis igni signum daturos composuerãt: veriti autem, ne unus conjuratorum, qui subitò animum mutaverat, rem degeneret, coacti sunt maturius quàm convenerat ignem edere. Alcibiades nondum

*Militum Alcibiadis arrogantia.*

*Chalcedonis obsidio.*

parato

parato ad id, quod agendum erat, exercitu, assumtis triginta tantum viris ad muros accurrit, celeriter reliquos subsequi jubens. Aperta porta cum triginta his aliisque certatis viginti, qui tum se adjunxerant, ut in urbem ingressus est, Selybrianos armatos contra se venire animadverterit. Hîc in pugna contra tam multos, cum tam exigua manu, spes nulla erat salutis: & fugæ dedecus invictus ad eum usque diem dux non sustinebat: tuba canere, & silentium mandare jussit, atque facto silentio, unum ex suis edicere Selybrianis, ut arma
LVII contra Athenienses capta ponerent. Hoc edictum apud eos, qui erant armati, ardorem pugnandi exstinxit, totum intra mœnia receptum hostilem exercitum putantes: reliqui in majorem pacificationis spem erecti sunt. Dum inter se colloquuntur, exercitus Alcibiadis reliquus adfuit. Isq; conjiciens id quod res erat, Selybrianorum, animos non esse alienos à pace, veritus ne Thraces (quos multos sui studio militiam sequentes in exercitu habebat) urbem diriperent, omnes extra mœnia abire jussit: Selybrianis deprecantibus nullum maleficium intulit, sed accepta pecunia, præsidioque imposito, discessit. Interim duces obsidendæ Chalcedoni relicti, cum Pharnabazo fœdus inierant his conditionibus, ut pecuniam is daret, Chalcedonenses rursus Athenienſibus subditi essent, ac ditio posthac Pharnabazi non infestaretur, isque legatos Athenienſium tutò ad regem, comitatu addito, deduceret. Reversum eo Alcibiadem Pharnabazus, ut ipse quoque pactum juramento confirmaret, monuit, isque negavit, nisi prius cum ipsis Chalcedonensibus collocutum & cum suis
LVIII re perpensa se facturum. Postquàm id pactum jurejurando stabilitum est, Byzantium propter defectionem factam Alcibiades circumsedit, & munitionibus cinxit. Cúmque Anaxilaus, Lycurgus, & alii nonnulli salute promissa urbem se tradituros recepissent, rumorem spargens se ab obsidione motibus Ioniæ avocari, interdiu cum tota classe discessit noctu reversus, ipse cum armatis peditibus è navibus exivit, ad murumque progressus se continuit: naves in portum subvectæ, magnoque cum clamore, tumultu, & strepitu eum vi occupantes, subita re animos Byzantiorum terruerunt, conversisq; omnibus ad portum, & vim mari illatam propulsandam; occasio data est iis, qui Athenienſium rebus studebant, ut impunitate proposita Alcibiadem cum suis in urbem reciperent. Non tamen sine certamine negotium confectum est. Qui enim in urbe erant Peloponnesii, Bœoti, ac Megarenses, navibus egressos Athenienses in fugam conjecerunt, navesq; repetere coegerunt: deinde Athenienses in urbem admissos cùm intellexissēt, composito agmine iis occurrerunt. Pugnatum est acriter, vicitq; Alcibiades dextrum cornu, sinistrum Theramenes ducens, & ex hostibus qui cædem evaserant, cepit trecentos.
LIX Finito prœlio, nemo Byzantiorum neque cæsus, neque urbe pulsus est: his enim conditionibus illi urbem tradiderant. Itaque postea proditionis postulatus Anaxilaus Lacedæmone, eam orationem habuit, qua nihil à se turpe factum ostenderet: se, cùm esset non

*In Selybria capienda Alcibiadu periculum.*

*Byzantium ut ab Alcibiade receptum.*

Lacedæmonius, sed Byzantius, & in periculo non Spartam, sed Byzantium videret constitutum, urbe circumsessa, cùm nihil rerum importaretur, quod autem in urbe esset cibi id Peloponnesii & Bœoti comederent, esurientibus Byzantiis cum uxoribus ac liberis suis: non prodidisse hostibus urbem, sed bello malisque liberasse, imitatum præstantissima Spartanorum exempla, qui patriæ commodis nihil antiquius aut justius habuissent. & auditis his pudore suffusi Spartani, viros hos crimine absolverunt. Cæterùm Alcibiades tactus jam patriæ videndæ desiderio, majoriq; etiam ardens cupiditate ostendendi se civibus suis, quibus tot contra hostes peperisset victorias, Athenas revectus est cum classe: erant autem cùm multis clypeis & spoliis undique exornatæ Atticæ triremes, tum magnum post se captivarum numerum trahebant: rostraque à se victorum & pessundatarum navium haud pauciorum ducentis secum inferebat. Addit his omnibus Durius Samius, qui genus suum ad Alcibiadem auctorem refert, Chrysogonum, qui Pythico certamine victoriam aliquando obtinuerit, nauticum carmen tibia cecinisse: Callipedem histrionem tragico vestitu & cothurnis indutum, cæteroque habitu instructum, quo uti solent, qui docendis fabulis in theatro certant, remigum officia cantando direxisse: navim prætoriam explicato velo purpureo in portum subivisse. Hæc neq; Ephorus, neque Theopompus, neque Xenophon commemorat: neque vero probabile est ita debacchatum fuisse Alcibiadem, & eo tempore per luxum voluisse Athenienſibus insultare, cùm ab exsulio & tantis miseriis rediret. Enimverò & timidè reversus est in patriam; & cùm tenuisset portum, non ante triremi egressus est, quàm in tabulato navis stans, Euryptolemum consobrinum suum, complures que alios amicos & propinquos adesse vidit, qui sui excipiendi causa adstabant, utque prodiret, hortabantur. Postquàm navi exiit, & obviam facta hominum turba est, reliquos duces ne visos quidem putasses, ita ad unum Alcibiadem concursum est: hunc inclamabant, salutabant, comitabantur, coronabant: qui propius accedere non poterant, eminus spectabant, junioribusque eum seniores demonstrabant. Multis quoque id gaudium urbis temperatum est lacrymis, cùm præsentem felicitatem superioribus calamitatibus comparantes, cogitarent, nunquam futurum fuisse, ut vel Sicilienſe bellum secus caderet, vel ullus alius conatus irritus esset, si eo tempore Alcibiadem imperatorem tantis rebus, tantisque copiis præfectum retinuissent: quando is in præsentia urbis propemodum mari toto exclusæ, terraque vix suburbanorum potentis, ad hæc intestinis seditionibus concussæ, res susceptas, aut exiguas potius & abjectas reipublicæ reliquias ita excitasset: ut non maris modò imperium redderet, sed & in terra ubique hostes victos propulsatosque ostenderet. Lex de ejus reditu primò perlata est, promulgante eam Critia Callæschri filio, ut ipse in Elegiacis testatur, memoriam beneficii ejus Alcibiadi renovans:

*Alcibiades ut Athenas rediit.*

LX

LXI

*Ipse*

*Ipse tuli ad populum legem, primusq; rogavi,*
*In patriam dulcem quæ tibi dat reditum.*
*Munit hanc fidei certo mea lingua sigillo.*

LXII Tunc verò populo in concionem congregato, progressus Alcibiades, deplorato suo infortunio, leniterque incusato populo, omnem mali ejus causam fortunæ suæ iniquæ, invidiæq; numinis adscripsit: tum copiosè de bello, quamque haud vulgares de eo spes concipiendæ, animique fiducia confirmandi essent, locutus, aureis est coronis ornatus, imperatorque plenæ potestatis terra marique creatus. Decretum etiam factum, ut bona ei redderentur, utque imprecationes, quas contra eum Eumolpidæ & præcones conceperant jussu populi, expiarentur. Idque cùm à cæteris fieret, Theodorus pontifex: Ego verò, inquit, ne imprecatus quidem ei sum quicquam mali. si nulla civitatem injuria affecit. At enim in tanta Alcibiadis felicitate, nonnullos tamen tempus reditus solicitos tenuit. Appulit enim ea die, qua Plynteria (sic à lavacris dicta) Minervæ celebrantur. Et perguntur à Praxiergidis; mensis Targelionis die XXVII. omnisq; tum ornatus divæ detrahitur, & delubrum operitur: itaque eam diem Athenienses præ reliquis atram & mali ominis censent: & videbatur Dea non propicia se præbuisse, neque comiter accepisse Alcibia-
LXIII dem, tecta & obvelata, quasi eum repelleret. Alcibiadem autem omnibus ex animi sententia peractis, ac jam centum triremibus ad navigationem paratis, cupiditas quædam generosa usque ad mysteriorum peragendorum tempus detinuit. Ab eo enim tempore, quo Decelia fuit ab hoste munita, itineraque ab Athenis Eleusinem tendentia ab hostibus fuerunt occupata, sacra Eleusinia, mari eò profectis Athenienses, nullo cum decore erant celebrata: nam & sacrificia, & choreæ, & multæ ceremoniæ, quæ in via adhibebantur cùm sacram pompam ducunt, eo tempore necessario intermittebantur. Itaq; & ad cultum Deorum, & ad laudem hominum facturũ videbatur Alcibiadi, si illis sacris antiquos ritus reddidisset, pompamque ejus sacrificii per medios hostes terra deduxisset. Intelligebat etiam fore, ut aut quiescentis Agidis auctoritatem magnopere imminueret: aut si is rem impedire aggrederetur, pugnam pro religione Deûm sanctissimisq; cæremoniis in conspectu patriæ iniens
LXIV omnibus civibus suam virtutem testatam faceret. Quod cùm ita decrevisset, re indicata Eumolpidis & præconibus speculatores in extremitatibus constituit, summoque mane quosdam præcursores emisit: ipse sacerdotes, & sacrorum curatores armis tectos composito agmine duxit cum silentio: quæ ejus expeditio veneranda ac religiosa est visa ab iisq;, qui invidia non laborabant, dux pontificũ & sacrificulorũ appellatus fuit. Nemine hostium adoriri ipsos auso, incolumes omnes in urbem reduxit. cùm ipse animo elatus, tũ imperii sui gloria aucta: quod ipso duce invicti Athenienses videbantur. Plebem verò egenosque in primis adeo id factum delectavit, ut tyrannidem ejus in se mitificè exoptarent, nonnullique cum accedentes horta-

*oratio Alcibiadis, eique imperium solidatum.*

*Nefastodie Alcibiades reduxit.*

*Eleusinia ut instaurarit Alcibiades.*

hortati sunt, ut invidia contemta, decretis, legibus nugisque istis urbi perniciem afferentibus, abrogatis & deletis, pro suo arbitrio civitatem regeret, neque quicquam calumniatores curaret. Sanè non constat, quis ejus sensus de tyrannide fuerit: certè potentissimi civium veriti, ne eam invaderet, operam dederunt ut quàm primum classem educeret, ejusq; rei causa cùm alia decrevere, tum ut quos ipse vellet collegas adsciscere. Profectus ergo cum centum navi- LXV
bus ad Andrum appulit: ibi Andriis & Lacedæmoniis, qui aderant, victis, urbem tamen non cepit: idque inter cętera ei ab inimicis vitio datum est. Quod si quem, unquam alium, profectò Alcibiadem videtur sua ipsius gloria evertisse. Rebus enim tam præclarè gestis, eam de se audaciæ prudentiæque existimationem excitaverat, ut quodcunque eum confecturum Athenienses sperabat; si ea spe frustrati essent, non facultatem ei aut successum, sed studium & voluntatem defuisse crederent. Sperantes ergo, Chios quoque & totam Ioniam ab eo subactam se adituros, indignati sunt, non statim ita, ut animo ipsi conceperant omnia ab eo perfecta sibi annunciari: neque reputaverunt quàm imparatus à pecunia bellum gereret contra eum hostem, cui rex Persarum sumtus suppeditaret. Et verò egestate sæpenumerò coactus est Alcibiades relicto exercitu alio navigare, ut stipendia & commeatum suis pararet: adeoque id, quod ei objectum est ultimo, crimen hanc causam habuit. Lysander à Lacedæ- LXVI
monis ad regēdam classem missus, cùm pro dimidia drachma bessem viritim suis nautis distribuisset ex illa pecunia, quā Cyrus suppeditaverat: Alcibiades, cui vix erat, unde semidrachmas suis daret, in Cariam pecuniæ parandæ causa profectus est, mandata classis administratione Antiocho, præceptoque dato, ne navali pugna congrederetur, ne tum quidem, si ab hostili classe advecta lacesseretur. Sed Antiochus, ut erat homo nauticæ quidem rei admodum peritus, cætera tamen imprudens & importunus, adeò mandatum Alcibiadis nihili fecit. ut libidine adductus suam aliamq; triremem militibus instruens ad Ephesum navigarit, ac multa imprudenter scurriliterque dicens faciensque, hostium proras prætervectus sit, Lysander initio cum paucis navibus provectus, insecutus eum fugientem: deinde tota cum classe Athenien sibus subsidio venientibus, eductis suis ipse etiam triremibus, navalem victoriam obtinuit, Antiochum interfecit. multas naves, multos hostes cepit, trophæumque constituit. Alcibiades reversus Samum ut rem gestam cognovit, tota cum classe est profectus, & Lysandrum ad pugnam provocavit: sed is parta victoria contentus, se continuit. At ex inimicis Alcibiadis, qui LX
in castris Athenien sium erant, Thrasybulus Thrasonis filius Athe- VII
nas profectus est, ibiq; contra Alcibiadem populum concitavit, cladis eum auctorem fuisse jactans, ludibrioq; eum tantum imperium habuisse, idque, cùm proximè classis hostium stationem haberet, tradidisse hominibus qui apud ipsum compotationibus nauticaque garrulitate plurimum potuissent, ut ipse navigio circumvectus tutò pe-

*Alcibiadis res gestæ.*

*Lysandri victoria absente Alcibiade.*

tò pecuniam corradere, luxuriæque, ebrietati, & meretricibus Abydenis Ioniciſq; vacare poſſet. Criminabantur etiam locum in Thracia apud Biſanthen, muris ab eo munitum: refugium ſcilicet ſibi ſi ubi aut non poſſet, aut nollet in patria vivere. Athenienſes fidem his calumnijs habentes, ut iram ſuam in ipſum teſtatam facerent, alios belli duces conſtituerunt. Quo audito Alcibiades ſibi metuens omnino ab exercitu diſceſſit, manuque militum peregrinorum conducta, privatim Thracibus, qui ſub rege non erant, bellum fecit: ſimulque & à captis multum pecuniæ exegit, & Græcos vicinos à LX barbaris tutos præſtitit. Interim Tydeus, Menander, & Adimantes VIII duces, omnes quotquot tum erant Athenienſibus naves ad Ægospotamos (Helleſponti id oppidum eſt, Latinè *capræ flumina* dicere poſſis) habebant, Lyſandrumque, qui claſſem ſuam in ſtatione apud Lampſachum tenebat, ſolebant quotidie ſub auroram advecti provocare ad pugnam, indeque rurſum avehi, & quod contemnerent hoſtem nullo ordine, nulla cura adhibita diem exigere. Id Alcibiades, ut propè aderat, non neglexit, ſed equo advectus monuit duces, male ipſos facere, quod claſſem locis importuoſis continerent, ubi urbs nulla omnes res neceſſarias Seſto adferendæ eſſent: delinquere etiam in hoc, quod paterentur claſſiarios, ubi terram attigiſſent, hinc inde pro ſuo arbitrio vagari ac palare, oppoſita ipſis præſertim ea claſſe, cujus milites adſuefacti eſſent unius ducis mandatum taciti omnes exequi. Hæc diſſerenti, hortantique, ut claſſem ad Seſtum transferrent, non paruerunt duces. Tydeuſq; etiam contumelioſè abire eum juſſit: non enim ipſum, ſed alios bello duces LXIX conſtitutos. Alcibiades nonnihil etiam proditionis eos ſuſpectos habens, diſceſſit, notiſque ex exercitu, qui ipſum comitabantur, dixit: ſe niſi hac à ducibus contumelia eſſet affectus brevi perfecturum fuiſſe, ut, aut inviti Lacedæmonii navali prœlio decernerent, aut naves ſuas relinquerent. Hæc ejus verba alij jactantiæ hominis imputabant: alij haud ab re eum id dicere intelligebant, qui potuiſſet Thraces ſuos quos multos jaculatores, multos equites habebat, terra adducere, caſtraque Lacedæmoniorum oppugnare & turbas ciere. Enimverò in erratis Athenienſium perſpiciendis ſatis eum fuiſſe ſagacem, mox re ipſa compertum eſt. Subitò enim imprudentes adortus Lyſander, tanta clade affecit, ut octo tantùm cum Cone triremes effugerint: reliquæ omnes, ducentis non multò pauciores, in poteſtatem hoſtis venerint, triaque hominum millia; quos Lyſander omnes interfici juſſit: nec nullo interjecto tempore, ipſas Athenas cepit, naves eorum combuſſit, lõgos muros deſtruxit. Proinde Lacedæmonios terræ mariſque dominium jam adeptos metuens Alcibiades, in Bithyniam ſe contulit, magnam ſecum ferens vim pecuniæ, maiorem in arcibus, quas extruxerat, ſuis relinquens. LXX In Bithynia cùm Thraces ibi degentes eum magna bonorum parte ſpoliarent, ſtatuit ad regem Artoxerxem proficiſci, exiſtimans ſe neque deteriorem Themiſtocle, regi periculum faciente inventum

*Alcibiadis imperium abrogatur.*

*Clades Atheniensium.*

*Fuga Alcibiadis in Bithyniam.*

iri &

iri, & prætextum habere honestiòrem: non enim se contra cives a-
gendi causa ad eum venire, sed ejus vires & auxilium contra hostes
*Ad Pharnabazum.* patriæ imploraturum. Sperans itaque Pharnabazi potissimum ope-
ra tutò se perventurum quò intenderat, ad hunc se in Phrygiam
contulit. eumque aliquandiu ibi commoratus, ita demeruit, ut sum-
mo in honore haberetur. Cæterùm Athenienses principatum LXXI
Græciæ ademptum dolentes, cùm libertate etiam spoliati essent à
Lysandro, qui urbem triginta tyrannis habendam tradiderat. tum de-
mum in eas devenerunt cogitationes, quibus si usi fuissent ante, sa-
luti suæ optimè consuluissent: lamentantesque, & errata sua recen-
sentes, maximè omnium à se peccatum in secunda contra Alcibia-
dem actione intellexerunt. hunc enim nulla sua culpa projectum:
*Athenien-sium pœni-tentia, & spes de Alci-biade.* iratos ministro, quod paucas naves turpiter perdidisset, longè tur-
pius optimo & bellicosissimo duce urbem privasse. Languida tamen
adhuc se spes quædam ostendebat, non periisse funditus res Athe-
niensium Alcibiade salvo, hunc neque prius in exsulio vitam ocio-
sam delegisse, & nunc quoque etiam rebus suis constitutis non pas-
surum Lacedæmonios impunè superbire, neque tyrannorum l bi-
dinem præteriturum. neque erat absurda hæc multitudinis de Alci-
biade spes, quando & tyranni diligentissimè, quid is ageret, aut
quid pensi haberet, inquirebant. Tandem Critias, unus ex eorum LXX
numero, Lysandro ostendit, populari quidem Athenienssium impe II
rio everso, Lacedæmonios tutò Græciæ imposterum imperaturos;
sed utcunque paucorum in republica dominationem æquo animo
ferant Athenienses, numquam profectò Alcibiadem passurum, se vi-
vo eos præsenti rerum statui acquiescere. Neque tamen persuasum
est Lysandro antequam à magistratibus Sparta scytalen (genus id
est epistolæ Laconicæ) accepit qua tollere è medio Alcibiadem ju-
bebatur: sive ii celeritatem ingenii, & ad res magnas gerendas aptis-
simam naturam ejus hominis metuebant, sive Agidi eam gratiam
dabant. Misit igitur ad Pharnabazum Lysander, qui eũ exequi man-
*Insomnium & interitus Alcibiadis.* datum Spartanorum juberent. Is Magæo fratri, & Susamithræ avun-
culo suo negocium necandi Alcibiadis injunxit. Degebat tum fortè
in quodam Phrygiæ pago Alcibiades, habebatque secum Timandram
meretricem. in somnis autem visus sibi erat vestem Timandræ in-
duisse, eamque caput ipsius in ulnis tenuisse, ac ut solent mulieres,
fuco & cerussa faciem pinxisse. Alii imaginatum ajunt caput sibi à
Magæo amputatum esse, & truncum cremari: id convenit inter eos;
paulò ante interitum hoc ei insomnium apparuisse. Qui ad ne- LXI
candum eum missi erant, non ausi ingredi domum in qua erat, eam III
in orbem circumsteterunt atque incenderunt. Alcibiades hoc sen-
tiens, vestium & stragulorum magnam partem correptam in ignem
conjecit, ac obvoluto chlamyde brachio sinistro, dextra strictum en-
sem tenens antequam vestimenta ignis absumsisset, illęsus per flam-
mas exsiluit; Barbari eo conspecto dissipati sunt, neque quisquam
eum subsistere, manumve conserere ausus est: sed eminus conjectis

jaculis,

jaculis, sagittisque immissis straverunt. Hoc pacto trucidatum Alcibiadem Timandra digressis barbaris sustulit, & iis, quas suas in promptu habebat, tunicis velatum, pro ea, quæ tum ei aderat, copia splendidè magno cum studio sepelivit. Hujus filia fuisse traditur Lus, quæ Corinthia dicta Hyccaris Siciliæ oppido captiva abducta
LXX fuit. Sunt qui de morte Alcibiadis cum iis, quæ nos retulimus, *Alia mortis causa.*
IV convenientia scribunt, causâ tamen mortis ei Pharnabazum attulisse, vel Lysandrum, vel Spartanos negant: sed Alcibiadem ferunt vitium uxori cujusdam familiarium suorum obtulisse: eamque cùm secum detinuisset; fratres mulieris rem indigne tulisse, noctuque domum, in qua is habitabat, incendisse: ipsum per flammas se (ut diximus) prompientem telis confecisse.

## IN ALCIBIADEM ANnotationes.

Cap. 1. *Bellum Peloponnesiacum qui scit quo tempore fuerit, & in qua ætate sequerit Alcibiades, facilè intelliget, nimirum maximè circa Olympiadam* XC. *triginta ante captam à Gallis Romam annis. cæterum vel hic liber ostendit, quàm incommodum sit, & difficile eorum consilium, qui non de novo verti (quod ipsi nitidum agere vocant) sed castigari modò veteres Græcorum scriptorum versiones volunt. Equidem operam ludet, quicquid conabitur. tametsi conatum esse scio hoc unum atq; alterum: qui quid effecerint, judex sincerus & diligens æstimet. Certè plerunq; transmisso camelo, culex in cribro deprehensus hæsit; hoc est, maximis & perniciosis erroribus præteritis, leviscula quædam annotantes, officio se probe functos crediderunt. Quod ut verum est, sta in neminis dico contumeliam. scio enim non omnium esse idem studium: neq; omnes qui interpretandi munus, aut repurgandi auctores sibi sumunt, tanta solicitudine eo in opere versandum sibi opinari. Alcibiades Plutarchi nondum est (quod sciam) Latinè redditus. Quod enim extat, paraphrasis videretur si cum sensu auctoris congrueret: videreturq; is interpres nihil pensi habuisse dum suam (si dis placet) eloquentiam ostentaret. id quod magna cum injuria Plutarchi fecit, ejus verba plerumq; pervertendo, & sapissimè aliena ineptaq; de suo intermiscendo. Nos id præcipuis in locis ostendemus, maleq; tractato libro lucem pro virili auxilium q. feremus. Et initio statim Eurysacis mentionē Donatus omisit, nō rectè. Hunc filiū Aiacis Telamonij fuisse, notū est vel ex Sophocle. Alcmæonidē verò Dinomacha genitum, ne somniavit quidē Plutarchus: hoc dixit, Dinomachā Megaclis filiā Alcmæonidarū stirpe procreatam, Alcibiadis matrem fuisse. Verba in Græco sunt planissima: ut quæ monstrorum causa fuerit ne suspicari quidem possim. Cæterùm Alcmæonidarum nobilis erat gens Athenis: originem à Nelei posteris trahens, nimirum Alcmæone Sylli F. Thrasymedis N. qui, cùm* *Alcmæonidæ quis?*

*cùm eum Herculis posteri in Peloponnesum reversi Messena & avito regno ejecissent, Athenas profectus, isti prosapiæ nomen & originem dedit. Auctor in Argolicis Pausanias. Mentio horum haud ignobilis est etiam in Herodotiana Terpsichora, & Eratone. Meminit hujus familiæ etiam interpres Aristophanis, προθεωρίᾳ in Nubes. Quin & apud Plutarchum in Solone Megacles Alcmæonis F. & Alcmonidæ, optimatum contra Pisistratum partes foventes, referuntur. Megaclem Andocides ἐν τῷ κατ' ἀλκιβιάδου, sicut & Patrem Cliniæ Alcibiadem ostracismo jussos solum vertere refert. Demosthenes in oratione adversus Meidiam, paternum Alcibiadis genus ad Alcmæonidas, maternum ad Hipponicum refert. & de utroq; sunt ibi annotata quædam ab Vlpiano. Plutarchus alios sequi auctores maluit, atq; inprimis Isocratem. Is enim in oratione περὶ ζεύγους, palam ita scribit sub persona filij Alcibiadis: ὁ γὰρ πατὴρ ἦν πρὸς μὲν ἀνδρῶν εὐρυσακιδῶν, ὧν τὴν εὐγένειαν ἐξ αὐτῆς τῆς ἐπωνυμίας ῥᾴδιον γνῶναι, πρὸς γυναικῶν δὲ ἀλκμαιωνιδῶν, & quæ sequuntur de ejus gentis in rempublic. officiis: quæ sunt etiam apud Thucydidem lib. 6. in historia Pisistraditarum. Pro εὐρυσακιδῶν, male ibi legitur εὐπατριδῶν, quod à sciolo suppositum conjicio. Sic & in eadem oratione paulò post Clinias dicitur ad Chæroneam occubuisse, cùm non χαιρωνείᾳ sed κορωνείᾳ legi debeat, ut ex historia & Plutarchi hoc loco constat, & Platone, qui idem in Alcibide priore commemorat. Suidas quidem (nescio quibus auctoribus fretus) refert matrem Alcibiadis, Periclis sororem fuisse: quod si verum est, utiq; uterina fuerit, cùm hic Xanthippum patrem habuerit. Auctor libelli de excellentibus imperatoribus, qui ab Aemilio Probo ad Atticum scriptus fertur. Periclis privignum Alcibiadem fuisse tradi à quibusdam affirmat. Sed id absurdum videtur. Supra Periclis genus ex Herodoto retulimus ita:*

*Isocratis locus emendatur.*

*Hippocrates* { *Megacles.* / *Agarista.* } *Pericles.*
*Xanthippus.*



*Hunc ego Megaclem patrem esse Dinomachæ, omnino persuasum habeo. Si igitur verum est quod Suidas, nescio quem secutus auctorem, tradit; Agarista vel ante vel post Xanthippum Megacli nupta ut fuerit, necesse est, Patrem Alcibiadis Cliniam suo sumptu militasse adversus Persas. Herodotus ante Plutarchum in Vtania scripserat. Platonis locus est in priore Alcibiade, de ejus Pædagogo. atque hunc quidem Zopyrum Thracem domo fuisse, Plato ait, & Clemens Alexandrinus libro 1. Pædagogi.*

Cap. 2. Quod Euripides.) *Locus non succurrit: si tamen est in iis, quæ extant tragœdiis. En tibi interpretem:* adultã hominis ætatem esse pulcherrimam. *scilicet hoc volebat Euripides, De pulchritudine Alcibia-*

*Alcibiadis est apud Clementem Alexandrinum* ὥσπερ καὶ οἱ λιθοξόοι τοὺς Ἑρμᾶς Ἀφροδίτης καὶ Ἀλκιβιάδου ἀπεικάζουσι. *Sicut Veneris Phryne, ita Mercurio Alcibiades ob pulcritudinem materiem praebuit.*

Ibid. Aristophanes.) *Versus ejus interpres mutilavit. Locus est ad initium Vesparum.* Celnin' *pro* cernis ne *posui, ut balbutiem exprimerem. sic* Theolus *est* Theorus & colacis *dixerat Alcibiades, cùm vellet* coracis: *hoc est* corvi. *Nam alluditur hic adulatorem, qui* κόλαξ, colax *Græcis est, &* κόραξ, corax, corvus. *qua affinitas multis dicteriis Græcorum in adulatores occasionem praebuit.*

Cap. 5. In criminationibus Antiphontis.) λοιδορίας *est vocabulum mala partis. itaque sic malui, quàm accusationes vertere. Citatur hic liber etiam apud Athenæum lib. 12. hoc modo:* αὐτὸς ὤφλε, ὧν τῷ κατ' Ἀλκιβιάδου λοιδορίας. *Quo ex loco videri posit oratio fuisse, qua ob convicia sibi facta accusaret Alcibiadem, quomodo sunt orationes* καθ' ὑπερβολὴν ἐξέλης, κατὰ κόνωνος αὐλίας, κατ' Ἀλκιβιάδου λειποταξίου, *apud Demosthen. & Lysiam. Sed ego Plutarchum secutus sum. Locus alioquin satis obscurus est, nequo intelligo ut Acciaiolo versio quadrare posit. Meam si quis melius aliquid ostendat, libenter mutabo. In Græco* δεικὰ τὸν, *falsum est, haud dubiè* δεῖ τὸ *legendum.*

Cap. 7. Semissem.) τὸ μέγα, *pravè. In Eroticò idem refertur, &* τὸ καῦτο *legitur. De amore, & ejus generibus Plato cùm in Phædro & alibi, tum maximè in Symposio legendus.*

Cap. 9. Cleanthes quidem.) ὑφ' ἑαυτοῦ, *cùm sit reciprocum, ad Cleanthem retuli. Donatus ita vertit, ac si legisset* ὑπ' ἀνδρὸς: *tametsi* ἑαυτοῦ *iterum legitur.*

Ibid. In corpus suum peccasse.) *Locus est lib. 6. ante orationem ejus, qua bellum Siciliense suasit.*

Cap. 12. Apud Delium.) *De hac in Lysandro dixi. Caterùm hoc loco rectè observabis, eis, qui re bellica præmium meruissent, panopliam dono fuisse datam. quam non inscite puto armaturam integram vocari.*

Cap. 16. Oratorum eloquentissimus.) *Demosthenem intelligit. Extat locus in ea oratione ubi Alcibiadem ob intemperiem & insolentiam punitum refert, & ejus laudes amplificat, ut eò magis invisam Midiæ petulantiam redderet.*

Cap. 17. Te tua dignum.) *Sapphici sunt versus: Græci neq; compositi, neq; mendorum vacui apparent.* ἀνίκα *legi, pro* ἀνίκα.

Cap. 18. A Græcis Asianis.) *In Græco est* ἡ τῶν πολεμίων φιλοπμία: *idque secutus est cum Donato Amiotus. Sed* πολεμίων *non video ut locum habere posit: neq; enim hi hostes, aut inimici Atheniensium vel Alcibiadis eo tempore erant. Ephesii, Chij, Lesbij. Itaq; quod non assequebar quid restituendum esset, sensum malui consentaneum ut cunque reddere.*

T Cap.

Cap. 19. Circumfertur & oratio.) *Haud satis video quid sibi hæc verba velint, nisi si fortè legendum sit ὑπὸ Φαίακων, à Phæace: sta enim sententia exigit. & notæ istæ tachygraphicæ ac calligraphicæ utinam tam leviculis duntaxat depravationibus ansam dedissent.*

Cap. 20. Thucydides.) *libro octavo, ubi eum in Samo occisum scribit.*

Ibid. Nam digna moribus quidem.) *Hos versus miserè confudit Donatus. In Nicia autem de hac re fusius, atque alibi etiam Plutarchus.*

Cap. 22. Sphacteria.) *Insula exigua, Pylo opposita, nonnulli Sphagiam vocant. Historia est apud Thucydidem ὀλιγοδιλικῶς præscripta lib. 4. apud Plutarchum in Nicia, Diodorum lib. 12. Panactum est etiam apud Stephanum. Harpocratio ait esse in confinio Atticæ & Bœotiæ.*

Cap. 23. Imperabunt vobis cogentque.) *ἀναγκάσουσι καὶ βιαζόμενοι, ἀγνωμοσύνη, mendum subest. Quid legerit Donatus existimare non possum. ego ἀγνωμονήσει arbitror rectum esse: nisi illud ἀγνωμοσύνη absolutè positum contendas: quasi diceret,* Hoc vestrum propositum impudentia est. *Quomodo Davus apud Terentium loquitur:*

Andria. 1. 3. ——— Fuit olim quidam senex
Mercator: navim is fregit apud Andrum insulam:
Is obiit mortem: ibi tum hanc ejectam Chrysidis
Patrem recepisse orbam, parvam fabulæ.

*Nam ad totum commentum illud narrationis,* Fabulæ *refertur. Sed hoc loco durius cadet. itaque ἀγνωμονήσει legerem. in versione utrumque extulit.*

Cap. 25. Post eam pugnam principes urbis.) *χιλίαρχοι. Si rectè legitur, belli & exercituum duces, seu tribunos militum significat. haud nescio an πολίαρχοι fuerit scriptum. Indicat utique eos qui oligarchiam affectabant, ut etiam ὀλιγαρχικοὶ legi possit. Pugnam autem, cujus mentio hic fit, apud Mantineam factam, in qua Argivi succubuerunt, describit lib. 5. Thucydides, & lib. 12. Diodorus.*

Cap. 26. Agrauli.) *De Agraulo Stephanus & alii. Mirum, quæ monstra hic Acciaiolus introduxerit, totum hoc ad Parentes sua paraphrasi detorquens.*

Cap. 27. Aristophanes.) *In Ranis est locus, quod dixi* per ambages. *τῇ ὑπονοίᾳ est in textu: hoc est,* allegoria; *Donatus alieno admodũ ab hoc loco sensu* suspicionẽ *vertit: Plutarchus in lib. de audiendis poëtis, docet antiquis ἀλληγορίαν vocabulo τῆς ὑπονοίας solitam dici nec abludit etymon: quippe cùm in eo troppo intelligatur aliud quàm dicatur aperte. Quomodo & hic utitur Plutarchus, allegoriam Aristophanicam adducens, à quo nomine leonis Alcibiades notatur. Zezes quoq; Lycophronis interpres fatetur ὑπόνοιαν cum allegoria idem esse.*

ὑπόνοια.

Ibid.

Ibid. Agatharchum pictorem.) *Donatus inepte, ut jam falsitatem taceam, conjecerit. Causam hujus flagitii reddit Vlpianus in orationem Demosthenis supra citatam : nempe quod is cum pellice Alcibiadis rem habere deprehensus fuisset. Atque ex hoc loco satis liquet, εἱρξεν apud oratorem non esse* theatro arcuit, *sed* carceri inclusit *Meminerunt Agatharchi hujus Suidas & Harpocratio. Ex iisdem apparet*, Nemeam *tibicinam & impudicam fuisse mulierem.*

Cap. 32. Religione Deûm.) *Cereris & Proserpinæ. Est enim legendum, non τῷ θεῷ sed, τὼ θεὼ: ut paulo post legitur in formula accusationis. Paulò ante:*

Ibid. Polytionem.) Πολυτίων, *Polytio hic legitur. l. 4. Sympos.*

Cap. 35. Chariſſime Mercuri.) *Erant enim herma isti, statua Mercurij. Versus in Græco non sunt distincti: sed sunt senarij jambici. & facile est eos ratione scansionis dividere. hæc autem, φυλάξομαι respondentur à Mercurio.*

Cap. 36. Ad Vlyſſem. *Sic & apud Suidam legitur.*

Cap. 37. Tandem Salaminiam navim.) *τὴν σαλαμινίαν. Donatus, ut videtur, quid rei* Salaminia *esset, non intellexit : alias non ita vertisset.* Quosdam elegit. qui Salaminiam ad Alcibiadem mitterent. *Fuit autem* Salaminia triremis, *navis Atheniensium publica (sicut & Paralus, de qua in vita Lysandri annotavimus) publicoque negocio præsertim reos peregrè agentes ad judicium evocandi, destinata. Itaque & Thucydides libro 6. & Diodorus libro 13. idem hæc ipsa de re, quod Plutarchus scribunt: nempe missam τὴν σαλαμινίαν navem, qua ad judicium adveheretur, estque elegans Critolai proverbium hac de navi apud Plutarchum in Pericle, quod ubibus eam certis destinatam fuisse ostendat. Meminit & Suidas. Paulò infra.* Salaminia navis.

Ibid. Theodorum Phegæenſem.) *In Græco est* Φηγέα, *sed scribendum est,* Φηγαία. *Hoc ex Harpocratione constat, hanc Aeantidis tribus curiam nominante.*

Cap. 41. Non tu es Achillis filius.) *Duobus utitur proverbiis, diversitatem inter id quod simulabat; & id quod erat Alcibiades expressurus. Horum posterius recte Donatus ad Helenam retulit: quam Electra apud Euripidem (Oreste) in lugenda matre comis & forma parcentem, redire ad antiquum ingenium iisdem verbis dicet. Prius est sumptum de versiculo, qui tacito autoris nomine refertur à Plutarcho in libello De amici & adulatoris discrimine.*

ἔ πῶς ἀχιλλέως, ἀλλ' ἐκεῖνος αὐτὸς εἶ.

*Es ipse Achilles, non Achillis filius.*

*Quo versu quomodo scitè uti possimus veluti proverbio, hic locus commonstrat.*

Cap. 46. Astyocho classis hostium.) *Lacedæmoniorum, ut evidens est ex octavo Thucydidis. Nam Donatus, cum à Tisapherne*

*classi ejus præfectum falsò dixit. Paulo ante,* Vnus è ducibus nomine Phrynichus: *adde gentile nomen* Diradiotes ὁ Δειραδιώτης. *Id nescio quomodo me fugerat vocabulum neque dissimulo, mendi mihi id esse suspectum. Atheniensem quidem fuisse Phrynichum liquet. Diradiam tribum vel curiam (nam inde solebant nominari, ut Demosthenes Paanieus, Agnon Alimusius, &c.) nullam novi. Diradiotes Apollo Argis cultus in Dirade (δειρὰς jugum montis significat) de quo in Argolicis Pausanias, nihil huc facit, ἐπισκεπτέον ergo mihi, immò potius veniam petendum, qui non cogitaverim* Δειραδιώτης *legendum, quod gentile nomen est, a* Δειραδῶν *curia tribus Leontidis, teste Stephano de urbibus. Idem est apud Harpocrationem, apud Suidam quoque sed mendosè,* Δειρατιώτης *Stiriensis infra dicitur Thrasybulus. erat autem Steria Pandionidis tribus curia, ut ex Suida & Stephano liquet.*

περίπολος.

Cap. 47. Vnus excubitorum.) ἑνὸς τῶν περιπόλων. *Servum vertit Donatus. sed inepte.* περίπολος *hoc loco, ut & apud Thucydidem in hac ipsa historia, & alias,* φύλακα. *& aliquando* ζητητὴν, excubitorem vigilem, exploratorem *significat, Testis Suidas, qui & versum ex Avibus Aristophanis citat, & verba Scholiasta ponit, itaque Thucydidis testimonium addit. Hinc apud eum loco dicto* περιπολάρχης *est* vigiliarum præfectus. *Vide etiam quæ sunt apud Harpocrationem.*

Cap. 48. Quinque millium viri.) πεντακισχίλιοι. *Omisit hoc copiosissimus paraphrastes noster, & Diodorus quoque horum nullo apice meminit. Diligenter totam hanc Reipub. mutationem descripsit Thucydides. Nostri autem Vocabuli duriciem & novitatem necessitas (puto) excusaverit.*

Cap. 54. Spoliis multis.) νεκρῶν, cadaveribus. *Quam vocem etiam ratio rei bellicæ istorum temporum repudiat. non enim tum cadavera redimebantur, neque sanè erat extra Mindarum quisquam tanti pretii. Spolia ego intelligo ornatum armaturæ, ut fit fiebatque, adjectum,* πολέμια καὶ μάχης πάρεργα πλούτου ἐνδείξεις. *Fortasse σκύλων legendum. nam poeticis vocabulis usum Plutarchum, facilè est observatu: à quibus ne Xenophontem quidem, Musam illam Atticam, sibi temperasse, notum est peritis. Potuit inter ἔνεκα Pallantis baltheus, & id genus alia referri.*

Cap 56. Vt arma.) μὴ πίθωσιν. *Ego μὴ illud non agnosco. Paulò post:*

Cap. 57. Nisi prius cum ipsis.) ἢ κοινὸν *nihil est. Suspicor* κοινολογοῦν *legendum. Ego in ipsa versione meam conjecturam posui, vel mihi vel alijs, oblata meliore, obliterandam.*

Cap. 60. Tragico vestitu & cothurnis.) *Multa Donati erratà omisi, neque enim vel debent, vel possunt commemorari omnia. Hoc loco mirificè ensem, hastam, & arma histrioni aptavit, bovi clitellas nimirum enim σκυτὸς & ξυρίδας intellexit.* ξυρὸν *quidem cultum seu hastam notissima. Sed* ξυρὶς vestis genus est, tragicæ *etiam,*

uti

*uti Suidas & alij annotaverunt. Interpres Aristophanis in Nebulas, propè initium, in versum.*

ὥσπερ μεγακλεὺς ξυστίδ' ἔχων, *annotavit* ξυστίδα *esse purpuratam vestem, vel (ut alij velint)* κροκωτὸν ἱμάτιον, *qua in pompa uterentur athletæ vel morum rectores: atque etiam ea, qua tragici reges. Alioqui* vestem *etiam* muliebrem *significat. Theocritus Pharmac.*

καμ' φιστειλαμένα τὰν ξυστίδα τὰς κλεαρίστας. *Vide ibi scholia, si lubet.* στατὸν *cothurnum verti, nescio an rectè: sed tamen quid aliud sit, nescio,* ἀναγώνιος κόσμος *est, qualis in certamine cujuscunque generis habetur.*

Cap. 62. Plynteria.) *Minervæ sacra esse dixit: quod ita Plutarchum innuere liquet,* τὴν θεὸν *dicentem* κατ' ἐξοχὴν. *Varinus quidem annotavit, in Aglauri Cecrope natæ honorem ea peracta, citato ad id Lycurgo in oratione de sacerdotio: & est idem apud Hesichium. sed Xenophon, longè fide dignissimus autor, palam ad Minervam refert.* *Plynteria.*

Cap. 69. Magnam secum ferens.) πολλὰ μὲν ἄγων χρήματα, πολλὰ δὲ κομίζων. *illud* ἄγων *suspectum est mihi. Videtur autem hæc fuisse sententia, Alcibiadem opes suas partim perdidisse, partem in Bithyniam secum detulisse, reliquum in arce apud Bisantham asservasse. idque* πάλιν *quod statim sequitur innuit, ni fallor. Certe post illud ipsum* πάλιν *aliquid videtur excidisse. neq; à Thracibus illata ei damna puto ad Bithyniam pertinere: Locus videtur lacer.*

Cap. 73. Hiccaris Siciliæ.) ὑκκαρῶν *scribendum est, non* ἱκαρῶν, *quod non Geographi modo demonstrant, sed & sic infra in Nicia legitur. & apud Athenæum lib. 13. Paraphrastes hoc omisit: retinuit mendum Amiotus.*

## PLVTARCHI C. MARCIVS CORIOLANVS, *Guilielmo Xylandro, Augustano interprete.*

1 MARCIORUM familia Romæ patricia fuit, multosque illustres viros produxit: inter quos fuit etiam Ancus Marcius, filia Numæ natus, qui Tullo Hostilio in regno successit, Publius quoque & Quintus Marcii fuerunt, qui maximum atque pulcerrimum aquæ ductum Romæ fecerunt: & Censorinus è Marcia gente fuit quem Romani iterum censorem creaverunt, ipsumque deinde autorem secuti legem tulerunt, ne cui eum magistratum bis petere liceret. Cajus autem Marcus, de quo hic nobis sermo habetur, post mortem patris, à matre vidua educatus, suo exemplo doluit, orbis nonnulla quidem mala adesse, non tamen id infortunium obstare, quo minus in egregium aliquis & præstantem aliis virum evadere possit. Idemque testimonium tulit iis, qui arbitrantur bo- *Marciorum familia.*

nam naturam, si non rectè instituatur, inter bonos fructus multa etiam vitia proferre, perinde atque bonum agrum, si non accuratè colatur. Robur etiam animi in hoc viro ac constantia, magnos impetus, motusque ad res præclarè gerendas efficaces edidit: contrà iræ immodicus, studioque contendendi pertinax, hominibus suam consuetudinem difficilem intolerabilemq; præbuit. & qui ob voluptatem pecuniæque despectum, atque in ferendis laboribus patientiam laudabatur, ac temperantiæ, justiciæ, & fortitudinis nomine commendabatur: hujus vicissim in civilibus negociis rigor, & paucorum in repub. dominationis constituendæ suspecta duricies invisa omnibus molestaque erat. Adeo nullum est majus donum, quod acceptum bonitati Musarum homines ferre debeant, quàm quod doctrina & disciplina emolliuntur & mitigantur ingenia, modumque tenere, & nimia omnia vitare discunt. Cæterùm ea tempestate, qua vixit C. Marcius, Romæ inter omnes virtutes bellica seu militaris maximè in honore habebatur fortitudo, cui rei documento est, quod cùm *virtus* generis sit vocabulū compluribus virtutibus commune, unica tamen *fortitudo* virtus nomen apud eos tum occupavit, obtinuitque ut fortitudo quæ propriè appellaretur, *virtus*, usurparetur. Itaque Marcius cùm natura esset militarium certaminum præ cæteris cupidus, statim à puero arma tractavit: ratusque nihil prodesse ea quæ aliunde comparentur, nisi ea quæ nobiscum ad eam rem arma instrumentaq; nascuntur, probè adornata apparataque in promtu haberentur; ita corpus suum ad omne pugnandi genus exercuit, ut & cursu velox & in lucta validus esset, & omni in congressu locum tenere, neque eo expelli posset. Quo effectum est, ut qui cum eo de animi virtute fortitudineque contenderent, superati causam in robur corporis ipsius invictum nulloque labore fatigabile conjicerent. Prima ei, adolescenti etiamnum militia fuit, quo tempore Tarquinium Roma & regno ejectum, ac post multas pugnas cladesq; extremam quasi aleam hanc jacientem, plurimi Latinorū, ac permulti ex reliqua Italia adjuverunt, Romamq; reducere (non tum gratia Tarquinii, quàm metu rei Romanæ crescentis invidiaq; impulsi) conati sunt. Eo in prœlio fortuna varie ultro citroq; inclinante, Marcius in conspectu dictatoris strenuè pugnans, virum Romanū cùm sterni videret, neglecto suo periculo prosiluit, ac pro eo propugnavit, hostemque irruentem necavit. Imperator victoria potitus, hujus facti causa eum inter primos querna corona donavit: quam lex ei defert, qui civē ex hostibus servaverit. Cur querceam eam coronam esse legislator voluerit, haud satis constat. an propter Arcades hunc quercui honorē habuerit, *glandivoros* oraculo nominatos? an quia ubiq; in promtu militantibus ea arbor est? an quia quercus Iovi urbium tutori sacra sit, ideo propter servatum civem id decus rectè conferatur: Est autem quercus inter arbores sylvestres fructus copia & bonitate præstantissima, inter cultas robustissima; præbetque ad cibum glandes, ad po-

*Ingenium Coriolani.*

II

*Studium militiæ.*

III

*Corona civica querna.*

ad potum mulsum, & instrumentum venationis viscum exhibet: atque ita maximum terrestrium animalium, aviumque numerum lo-
IV co obsonii suppeditat. Feruntur eo in prœlio Castores apparuisse, statimque eo finito visi esse in foro victoriam annunciantes, equis sudore fluentibus insidentes, quo loco nunc juxta fontem templum est iis exstructum: eademque de causa Idus Quintiles (quadie pugnatum fuit) Castori & Polluci sunt consecratæ. Enimverò ut decus & honor maturius collatus in juvenes, levi tantum gloriæ cupiditate affectos, ardorē eum exstinguit, sicq; statim expleta satietatem affert: ita eadem gravis, ac constantis ingenii juvenibus tributa, augent apud eos studium gloriæ, auræque instar afflantis impellunt ad honestatem persequendam. non enim quasi accepto præmio, sed, ut si pignore sese obligassent, turpe sibi putant fore, si existimationi suæ desint, ac non aliis super alia præclarè factis de se conceptam exspectationem vincant. Hoc modo affectus Marcius, seipsum fortitudinis laude superandum sibi proposuit, novisque subinde facinoribus priora cumulare statuit: itaque rebus præclarè gestis res egregiè gestas, spolia ex hostibus relatis nova semper addidit, semperq; posterioribus ducibus de se honoribus & virtutis testimoniis afficiendo certandi materiam præbuit: cùmque eo tempore continenter bella Romani gererent, ex nullo sine corona & ornamento
V rediit. Vt autem alii gloriam virtutis sibi finem statuunt, sic matris ille gaudium gloria sua quærebat: nullum enim majorem se honorem, nullam majorem fœlicitatē adipisci posse arbitrabatur, quàm si coram matre sua laudaretur, atq; coronaretur, eiq; præ lætitia lacrymanti in amplexū veniret. Nimirum hoc erat, quod & Epaminondas (ut fertur) confessus est, summæ se fœlicitatis loco ducere, quod victoriā ipsius Leuctricā pater & mater vivi inspexissent. Verùm hic quidem utrunq; parentem læticiæ suæ & fœlicitatis socium ac testem habuit. Marcius autē matri Volumniæ patri quoq; debitam partē esse persolvendam ratus, non satisfecit ei ante, quàm uxorem ejus jussu duxit, & cum matre, quanquam jam prole auctus habitavit. Inclyta jam ejus per totam urbē virtute, senatui divitum
VI causam foventi contra plebem contentio incidit. Multis & gravibus injuriis se à fœneratoribus premi querebatur vulgus iis, quorum modicæ fuissent facultates, planè omnibus spoliatis per oppignorationes, & venditiones, egenis autem æris alieni causa abductis, & in vincula conditis, qui cicatrices pro patria acceptorū vulnerum multas gererent, passi ea præsertim postremo bello Sabino. Quo quidem bello impendente, locupletiores polliciti erant, se moderatius acturos: & dictator M. Valerius jussu senatus id plebi stipulatus fuerat. bello fortiter & fœliciter confecto, hostibusq; victis, neque remiserant de pristina duricie quicquam fœneratores, & senatus memoriam omnem pactorum dissimulans, patiebatur nexos abripi, & pignora eripi pauperibus. Ergo turbæ iterum, malæq; coitiones Romæ existebant. Neq; fefellit hostes, tumultuari plebem: itaque

*C. Marcij gloria studium quale.*

*Secessio plebis æris alieni causa.*

impressione in agrum Romanum facta, incendio & vastatione grassati sunt: neque quisquam militum vocantibus ad arma consulibus nomen dedit. Inde rursum inter senatores discordia est oborta, aliis concedendum pauperũ turbæ, nimiumq; rigorem juris leniendum censentibus, aliis contra tendentibus. Inter hos fuit etiam Marcius, VII non pecuniæ quidem tantopere rationem habendam asserens, sed si saperent patres, curandum uti nascentem plebis libidinem, senatus patientiam oppugnandis legibus tentantis, & ferocientis, maturè compescerent atque opprimerent. Cùm sæpius intra paucos dies ejus rei causa conveniret senatus, neque expediretur negocium: subitò plebs coitione facta se mutuò cohortati, urbe excesserunt, & in monte Sacro ad flumen Anienem consederunt: nihil quidem seditiosè aut per vim agentes, pulsos tantum se jam pridem urbe à divitibus vociferantes: utique aërem sibi, & aquam, locumque sepulcri in Italia futurum: Romæ habitantibus nihil præter vulnera & mortem pro divitibus pugnando obeundam esse. Attulit hæc res VIII terrorem senatui, & quos maxime æquitatis studiosos, populares q; esse de senioribus putabat, oratores ad plebem misit. Verba fecit Menenius Agrippa multisque plebem obtestatus, multa liberè pro senatu locutus, fabulam ad extremum proposuit, hominum deinde sermone vulgatam: Omnia corporis humani membra quondam contra ventrem conspirasse, eumque accusasse, quod solus omnium corporis partium otiosus desideret, neque ad id alendũ quicquam conferret: cæteras partes, ut ventris cupiditates explerent, ingentes labores ac difficilia munia obire. At ventrem eorum stultitiam risisse, quod ignorarent, ipsum quidem omne alimentum accipere in se, verùm rursus ad omnes partes à se dimittere ac distribuere. Tum conversa oratione: Idem, inquit, senatum vobis ô cives dicere intelligite: administratione enim reipublicæ & consilio omnium vestrûm commodum utilitatemque procurat, vobisque distribuit.

*Menenij Agrippæ ad plebem oratio & fabula.*

*Primi tribuni plebis.*

Reconciliata ex eo patribus multitudo est, impetrato ut quinq; viros ipsis liceret eligere, qui indigentibus auxilio essent, hi tribuni plebis inde dicti, primique creati à plebe hi, qui secessionis duces fuerant, Iunius, Brutus, & Sicinius Bellutus. Vt rediit Romam plebs, statim se obsequentem ad arma vocantibus magistratibus præbuit, nominaque dedit. At Marcius quanquam neque ipse æ- IX quo animo ferebat plebem prævaluisse, optimatumque in republica principatum convulsum, & videbat multos nobilium idem sentire, hortatus est tamen, ne in certaminibus pro patria suscipiendis plebe segniores essent, sed virtute potius quàm potentia præstare se ei ostenderent. Erat in Volscis (contra hos enim tum bellum gerebatur) urbs Corioli, omnium dignitate prima. Hanc cùm Cominius consul obsedisset, Volsci veriti ne caperentur, undique contractis auxiliis ad obsidionem disjiciendam, ibique tum Romanis acie decernendum contenderunt, duobus ex locis impetum in hostes facturi. Cominius divisis copiis hosti advenienti obviam est profe-

*Corioli capti.*

profectus, T. Tarcium, unum ex præstantissimis Romanis, oppugnandæ urbi reliquit. At Coriolani spreta hostium paucitate, eruptione facta Romanos aggressi fuderunt, fugientesq; in castra compulerunt. Ibi Marcius parva cum manu excurrit, hostesque sibi obviam factos prostravit, reliquorum impetum inhibuit, suos magna voce revocavit. Erat enim, id quod in milite requirit Cato, non manu tantum promtus, ictuque timendus, sed & vocis sono, & aspectu hosti terribilis. Collectis circa eum multis, hostes territi se
X receperunt. Neque id satis visum Marcio, quin & insequeretur cedentes, & effusa fuga usque ad portas Volscos ageret. Vbi cùm videret Romanos se avertere, quod & multa de muris tela conjiciebantur, & cum fugientibus in urbem hostibus armatis repletam ut irrueret, in animum inducere nemo auderet: tamen fixo gradu hortatus est suos alta voce, à Fortuna urbem instantibus magis, quàm fugientibus apertam. Ita cum paucis sequi audentibus per hostes vi se proripuit, ac in urbem itruit, nemine initio resistere, aut venienti obviam se dare ausо. Deinde cùm videret paucos admodum suorum unà irrupisse, suis hostibusque permixtus fertur incredibilem pugnam obiisse manuum agilitate, velocitate pedum, audaciaque animi: omnibusque in quos impetum fecisset, superatis, Volscos partim ad extremas urbis partes compulit, reliqui desperata re, projectis armis, tutò suos inducendi in urbem Marcio facultatem dederunt. Vrbe capta, cùm ad diripiendum plerique Romanorum se contulissent, indignè id tulit, vociferans iniquam rem agi, si consule & civium exercitu jam fortassis contra hostes pugnante, ipsi per ocium prædam quærerent, vel hoc prætextu periculum
XI prælii vitarent. Paucis animum advertentibus, cum iis quibus erat volentibus ea via profectus est, qua profectum exercitum senserat, multisque cohortatus suos, ne labori succumberent, multis quoque Deos comprecatus, darent sibi tantum beneficii, ut in tempore pugnæ cives suos assequi, cumque iis prælium obire posset. *Testamentũ militare.* Mos era Romanis eo tempore, ut in procinctu jam stantes, ac scutis manus inferentes, sagaque accingentes, simul etiam tribus aut quatuor audientibus hæredem suum nuncuparent: quæ *testamenta* non scripta, *militaria* vocabantur. Id tum agentes milites in conspectu hostium, Marcius assecutus est: initioque nonnihil perturbavit quorundam animos, ut cum paucis respersus undique sanguine, & sudores madens advenerat. Vt verò ad consulem accurrit, dextraque data urbem à se captam renunciavit, consulque ipsum amplexus est, cum iis qui audiebant rem gestam, tum reliquis, quid actum esset, conjicientibus audacia aucta est, sublatoque clamore duci se ad hostem, & committi prælium postularunt. Ibi Marcius consulem percontatus, quænam esset hostium armaturæ ratio quisve ordo, & quo loco robur hostilis exercitus constitisset: cùm respondisset Cominius, opinari se Antiates, quod esset hostium bellica vi & audacia validissimum, mediam aciem occupasse: *Volsci prælio vincuntur.*

petiit: Marcius, ut cum suis contra illos collocaretur: id què consul, miratus viri alacritatem, ita fecit. Cùm ad manus ventum esset, XII resque hastis gereretur, Marcius ante reliquos in hostem procurrit: neque tulerunt oppositi impetum Volsci. statimq; ea pars acici, qua is irruperat, dissipata est; cæteri eum ab utroque latere circundederunt. Ibi consul Marcio metuens auxilio ei, quos secum habebat, fortissimos misit: initoque acri circa eum prælio, multisque parvo tempore cadentibus, fusi tandem vique in fugam compulsi sunt hostes. Quos cùm insequerentur Romani, Marcium labore & vulneribus confectum, ut rediret in castra rogaverunt; sed is, *Non est se victorem defatigare*, dicens, fugientibus institit. Superatæ etiam reliquæ partes Volscorum, multis captis & occisis. Postridie consul, præsente Marcio & reliquis militibus pro tribunali actis, ut par erat pro tanta victoria, diis gratiis, ad Marcium conversus, miris modis hominis virtutem prædicavit, quam partim ipse eo in prœlio spectasset, partim Marcius testatam suis fecisset: deinde, ex præda omni, pecuniæ, equorum, hominum, decem sibi capita deligere jussit, antequàm præda militibus divideretur: præterea præmii loco equum egregiè ornatum dedit. Approbantibus XIII hoc Romanis, Marcius in medium progressus, Equum accipio, inquit, ac laudibus consulis gaudeo: reliqua non tam honorem, quàm mercedem puto. itaq; contentus ero eadem, qua alii, prædæ distributione. Vnam hanc mihi gratiam magnopere peto. Fuit mihi inter Volscos hospes & amicus, vir bonus & moderatus, qui nunc inter captivos est, è divite ac fortunato servus factus: tantis huic malis circumvento, sufficit saltem venditionem arcuisse. Major, quàm ante ad hæc ejus verba omnium clamor sublatus est, plurèsque invictum pecunia hominis animum, quàm bellicam virtutem admirabantur. nam & his, qui tantis ejus honoribus invidebant, dignus jam, cui magna tribuerentur, eo ipso videbatur, quod ea recusabat; magisque ejus in respuendo, quàm in merendo virtutem amplectabantur. Præclarius enim est pecunia, quàm armis bene uti: cæterùm ipso usu pecuniæ contemtus plus laudis meretur. Sedato clamore & tumultu Cominius: Quando, inquit, virum hunc cogere, ut accipiat oblata à nobis munera, non possumus, commilitones: at eum honorem, quem hujus rei causa sibi habitum repudiare non potest, ei deferamus: *Coriolani* cognomen inquam, nisi illud jam ante res ipsa ei imposuit. Itaque cognomentum Coriolani deinde obtinuit, quo & maximè notus fuit: prænomen autem Caii gessit, quo à Marcio, communi gentis nomine, distinguebatur. Tertiam Coriolani appellationem habuit, tituli loco, quales Græci ab actione aliqua, aut casu, aut forma corporis, aut virtute solent gerere. ab actione, ut est Soteris, & Calinici, quorum hoc *egregia victoria potitum*, illud *servatorem* significat: à forma corporis; ut Physco, quod est *ventricosus*: Grypus, hoc est *adunco naso præditus*: à virtute, ut Evergetes, quod *benefactorem notat*, & Phi-

*Marcio honores habiti, utque accepti ab eo.*

*Ratio cognomentorum apud Græcos & Latinos.*

Philadelphus, *amantem fratris*: à casu, ut Eudæmon, seu *Felix*, quod nomen Battorum secundò fuit. Nonnullis regum etiam per obtrectationem cognomenta facta sunt: ut Antigono Dosonis, quod in repræsentandis promissis cunctaretur, Ptolomæo Lamyri, XV id est, *proterve loquacis*. Sed hoc genere Romani frequentius usi sunt, qui quendam ex Metellorum genere Diadematum (quasi *vittatum*) dixerunt, quod ulceris causa frontem obligatam habens aliquandiu obambularet: alium Metellum Celerem, quod defuncto patre paucis post diebus funebres ludos gladiatorios dedisset. sunt & quædam cognomina, à nascendi casu tracta: ita Proculum vocant, qui *peregre profecto patre nascitur*, Postumum, qui *mortuo*, Vopiscum, qui è *gemellis vivit*, altero extincto. A corporis vitio, non Syllas modo, & Nigros, & Rufos, sed Cæcos etiam, Claudosque dicunt: pulcrè adsuefacientes, ne quis cæcitatem, aliudve corporis vitium ignominiæ loco duceret, sed tanquam domesticum nomen eam appellationem ferret. Ve- XVI rùm hæc alio pertinent. Finito bello seditionem denuò tribuni plebis excitarunt, nullam quidem novam neque justam causam nacti, sed ea mala, quæ priores ipsorum turbas ac discordias necessariò erant consecuta, in occasionem vexandorum nobilium vertentes. Plerisque enim in agris neque sementes erant factæ, neque terra culta: & bello occupata urbe aliunde advehendi frumenti otium non fuerat. Itaque ingenti penuria oborta, cùm viderent tribb. plebis, populo neque annonæ copiam esse, neque si esset, ad emendum pecuniam: sermones & obtrectationes contra divites divulgarunt, quasi ii injuriarum acceptarum memores, fa- XVII mem urbi induxissent. Forte tum Velitris legati venerunt, urbem deditionem, ac mitti eo colonos postulantes: ita enim apud eos pestis erat grassata, ut vix decima hominum pars esset superstes. Et existimabant homines prudentes commodum, atque in tempore eam petitionem Veliternorum accidisse, cùm & Roma inopia alimentorum pressa, levatione opus haberet, & fore finis seditionibus videretur, urbe à turbulenta & tribunis adhærente multitudine, tanquam redundantia aliqua morbosa & inquieta, expurgata. Itaque & colonos lectos Velitras destinaverunt consules, & militiam contra Volscos reliquis indixerunt: id machinantes, ut ab intestinis motibus otium esset, existimantesque melius conventurum inter divites & pauperes, patricios & plebeios, si una XVIII in armis, castris, communique iterum versarentur bello. Repugnavere tamen ei consilio Sicinius Brutusque cum sociis: vociferantes, rem crudelissimam coloniæ vocabulo mitissimo velari: detrudi tanquam in barathrum pauperum hominum turbam, in urbem contagioso aëre, & cadaverum inhumatorum acervis infestam, ut ibi apud peregrinos & contaminatos habitarent lares. Quin etiam quasi non satis mali sit, partem civium fame necare, partem pestilentiæ objicere, spontaneum porrò bellum suscipi; ut nimirum

*Roma turbæ propter famem.*

*Velitræ colonia.*

nihil

nihil mali abſit à civitate, quæ ſervire divitibus recuſaret. His ſermonibus multitudo crebrò incitata, neq; nomina conſulibus exercitum ſcribentibus dedit, & de colonia peſſimè ſenſit. Anxio Se- XIX
natu, Coriolanus, plenus jam faſtu, tumenſque animo, & in admiratione optimatũ habitus, palam tribunis plebis majori, quàm quisquam alius, contentione reſtitit: obtinuitque ut colonia deduceretur, magna iis multa propoſita, qui fortè lecti eo non exiſſent. De bello autem cùm deſperaſſent omnino Patres; Marcius, aſſumpta clientum, eorumque quos perſuadendo ſibi adjunxerat, manu, incurſionem in agros Antiatum fecit: multaque frumenti, multa pecorum & hominum præda parta, nihil ipſe ſibi vindicans, milites verò onuſtos præda ducens, Romam rediit. Itaque reliqui invidentes iſtis, Marcii gloriam ac potentiam moleſtè tulerunt, augeri eum ad opprimendam plebem ſuſpicantes. Paulò poſt, conſulatum Marcius petiit. Flexit hoc multorum animos, inceſſitque vulgus verecundia, virum genere ac virtute primum, cujusque tot & tanta conſtarent in patriam beneficia, ignominia premendi. Mos enim erat Romæ: ut qui magiſtratum aliquem ambiret, is ci- XX
ves prehenſaret, oraretque ut ſuam petitionem juvarent: & ejus rei cauſa in forum prodibat tunicatus, ſine toga: ſive ut humilitatis aliquid is habitus ſupplicantium adferret, ſive ut cicatrices ſuas, aperta fortitudinis ſigna oſtendere poſſet. Nondum enim eo tempore plebs donorum accipiendorum ſuſpecta fuit, ut largitionũ præcidendarum cauſa juberent candidatum ſine toga & diſcinctũ progredi ad cives. Longo poſt tempore venditio & emptio in campum inſinuavit, permixtaque eſt ſuffragiis pecunia: indeque etiam in judicia & ad exercitus corruptela progreſſa, in unius hominis poteſtatem. armis pecunia mancipatis, Romam redegit. Neque inceptè dictum eſt à quodam, ab eo primùm oppreſſum populum, qui primus epulum & dona ei dederit. Ac videtur id malum occultè & ſenſim urbi obrepſiſſe, neque ſtatim deprehendi potuiſſe: neque enim conſtat, quis primus Romæ populum aut judices pecunia corruperit. Anytus Athemionis filius primus narratur Athenis pecunia judices demeritus, cùm Pyli proditæ accuſaretur, ſub finem belli Peloponneſiaci: qua tempeſtate Romanum forum adhuc ab aureo, & ſincero hominum genere tenebatur. Enimverò cùm mul- XXI
tas Coriolanus oſtentaſſet cicatrices, quas contuentibus ſeptendecim annis, palmam virtutis tot in prœliis meritus, acceperat: pudorem multitudini virtus hominis injecit, interque ſe de eo conſule creando ſermones contulerunt. Sed poſtquàm comitiorum die in forum proceſſit, ſplendido cum Senatorum comitatu, neque dubium erat, quin ii nullam unquam rem tantopere, quàm ejus conſulatũ, expetiiſſent: rurſus à benevolentia populus ad invidiam recidit: & accedebat ad invidiam metus, verentium, ne ſi vir optimatum partis ſtudioſiſſimus, tantæque inter patricios autoritatis conſulatu poiretur, populum omninò libertate ſpoliaret. Hæ co-

*Coriolanus plebi & trib. repugnat.*

*Coriolanus conſulatum petens repulſam patitur.*

gita-

gitationes tantum valuerunt, ut Marcius repulsam tulerit, aliique sint consules creati. Cùm senatus graviter hoc tulit, non Marcium, sed se contumelia affectum censens: tum verò ipsum Marcium casus hic non mediocriter affecit: utpote eum virum, qui altos spiritus ducens, iracunda & contendendi cupida parte animi potissimum ferretur, neque doctrina & institutione gravitatem, ac mansuetudinem sibi parasset, quibus ad virtutem civilem maxime opus est, neque enim sciebat, id quod Plato præcipit, contumaciam, solitudinis contubernalem, ei, qui ad rempublicam & versandum *Contumacia.*
inter homines animum adjecit, magnopere fugiendam, amplectendamque eam quæ à nonnullis admodum solet derideri, patientiam
XXII injuriarum, animique remissionem. Verùm Marcius, (ut erat sui semper similis, & immobilis, ac qui omnibus velle superiorem esse, neminique concedere, fortitudinis utique non impotentiæ animi, mollicieique putare) tum præcipuè iracundia in animo effervescente, aut tumoris instar se efferente, plenus perturbationis, iramque contrà populum discessit. Patricii verò juvenes, ac qui nobilitate inter Romanos maximè vigebant, cùm semper mirificè ei studuissent, (quod eo in rebus bellicis duce ac magistro perhumano usi fuissent, dedicissentque ab eo virtutis æmulatione absque invidia rebus bene gestis gloriari) tunc maximè adfuerunt, doloris-
que & indignationis socios se præbentes, iram hominis nullo rei-
XXIII pub. bono inflammaverunt. Interim magna frumenti copia in urbem allata est, cujus pars coemta in Italia, non minor à Gelone tyranno Syracusanorũ dono missa erat: & plerique in magnam spem veniebant, urbem simul & penuria & discordia liberatum iri. Ita- *Coriolanus frumenti in populum divisionem impugnat.*
que congregato senatu, statim Curiæ circumfusa plebs, eventum exspectabat, sperans & emptum frumentum modico ipsis precio venditum, & quod erat dono missum, gratis distributum iri, & erant intus tribb. plebis, qui hoc patribus suaderent. Ibi verò Marcius assurgens, graviter est in eos invectus, qui plebi gratificandum censuissent, favoris popularis captatores, proditoresque optimatum in republica principatus, eos nominans, qui prava temeritatis & libidinis semina in plebem sparsa contra seipsos foverent, quæ quidem præstitissent initio statim exstirpari, neque fuisse populi novo magistratu ita augendum robur, ut terrori nunc sit senatui, dum omnia
suo arbitrio agat, cogi nusquam possit, consulibus dicto audiens es-
XXIV se nolit, magistratibusque sublatis ductores suos eo nomine insignìat. Enimverò, inquit, nos dum sedemus, ut largitiones eis, distributioneque decernamus (id quod apud Græcos eos fit, ubi omnia sunt in manu populi posita) utique inobedientiæ plebis viam ad communem perniciem civitatis expedimus. Neque enim gratiam pro deserta aliquoties militia, aut pro secessionibus & calumniis, quas admiserunt contra senatum, relatam sibi putabunt: sed metu perculsos ad demulcendum ipsos, concedendumque quæ velint, nos demisisse rati, finem detectandi imperia, factionesque &

sedi-

seditiones agitandi nullum in posterum facient. Itaque vestrum hoc consilium planè amentium est. Quin si sapimus, tribunatum potius eis adimimus, quo & consulatus evertitur, & urbis concordia scinditur, ut non, sicut ante, una sit, sed à se ita divulsa, ut nunquam coalescere, ad concordiam redire, turbisque intestinis eam liberari illi sint passuri. Multa in hanc sententiam locutus Marcius, juniorum animos mirum in modum concitatos astipulantes sibi habuit, propemodumque omnes divites: solum hunc virum clamabant in urbe invictum atque ab adulatione alienum restare: seniorum quidam, quid esset eventurum, suspicantes, repugnabant: & quidem evenit nihil boni. Tribb. nam- XXV
que plebis cum interessent senatui, ut viderunt Marcii sententiam prævalere, ad plebem è Curia se proripuerunt, auxilium ejus implorantes, & ad concionem vocantes. In quam ut est magno cum tumultu conventum, ac qui sermo esset habitus à Marcio, renunciatum: parum abfuit, quin plebs ira ardens in senatum impetum faceret. *Accusatur.* Verumtamen tribuni omni culpa in Marcium collata, lictores miserunt, qui eum ad causam dicendam pertraherent: quos ut contumeliosè ille Curia expulit, ipsi cum Ædilibus venerunt, ut vi hominem abducerent, manusque ei injecerunt: sed patricii, facto agmine, tribunos repulerunt, ædiles etiam plagis affecerunt: tandem nox tumultum solvit. Mane cùm viderent consules populum exasperatum undique in forum concurrere, metuere urbi cœperunt: ideoque convocato senatu de placanda & sedanda sermonibus moderatis, decretisque benignis multitudine retulerunt: non enim tempus de gloria contendendi esse, sed curandum, si quid saperent, ut imminens periculum gravissimum placido & mansueto consilio averteretur. Accedente XVI
majori senatorum parte, progressi in concionem, orationem quàm potuit fieri placandis populi animis aptissimam habuerunt, placidè calumnias refellentes, modestèque plebem verbis castigantes, promittentesque nihil sibi de precio annonæ contra ipsos certaminis futurum. Cùm major populi pars contentionem remisisset audiendaque modestè & placidè consulum oratione delinitos se esse jam & pacatos plerique judicarent: tribuni plebis surgentes, senatui quidem moderatum se exhibenti populum vicissim, quantum ejus rectum esset, concessurum dixerunt: Marcio autem causam dicendam, demonstrandumque, non confundendæ reipublicæ opprimendique populi causa ab ipso senatu irritatum: vocantibus ad causam dicendam tribunis plebis non obtemperatum, denique ædiles in foro contumelia, verberibusque acceptos esse: quibus certè factis videatur, quantum in ipso fuerit, bellum civile excitasse, civesque ad arma provocasse. Hæc eo ab ipsis dicebantur, ut aut frangerent spiritus Marcii, eumque præter naturam suam demereri plebem palam cogerent: aut, si more suo uti vellet, iram in sese populi implacabilem concitaret: quorum posterius eventu-

rum

XXVII rùm rectè conjecerunt. Surrexit enim tanquam se purgaturus: cùmque deprecationem aliquam expectans populus silentium fecisset, non modò gravi omnibus molestaque in se defendendo libertate, liberioreque adhuc ipsorum accusatione usus est, sed & contentione vocis, & vultu ita se metu vacare ostendit, ut contemni ab eo & parvi fieri populum appareret. Qua ejus oratione cùm exasperaretur populus, satisque apertè indignationem præ se ferret, Sicinius (qui audacissimus erat tribb. pleb.) pauca cum collegis collocutus, pronuntiavit, morte damnatum à collegio tribunorum plebis Marcium: ædilibusque mandavit, ut adductum in Capito-
XXV lium, de rupe præcipitarent. Vt ædiles manus Marcio injecerunt, III atrox, insolensque id factum etiam de vulgo plerisque videri: at patricii animo plane abalienati, summoque dolore conciti, cum clamore ad opem eiferendam contendere: ac partim dimovere eos, qui comprehenderant Marcium, eumque intra suorum turbam recipere, partim ad populum manus tendere, ac deprecari. Cæterùm in tanto tumultu neque oratione neque vociferatione quicquam efficiebatur: donec amici & familiares tribunorum, animadvertentes non posse sine multorum patriciorum cæde Marcium abripi aut puniri, tribunis persuaserunt, ut inusitatam pœnæ gravitatem tollerent, neque eum vi indictaque causa occiderent, sed populo judicandum traderent. Proinde Sicinius progressus, patricios percontatus est: Cur Marcium populo supplicium imponere volenti eriperent? rursusque iis quærentibus: Quo animo ipsi virum inter Romanos præstantissimum cuperent indicta causa ad tam crudele & à legibus alienum supplicium rapere? respondit Sicinius: Vos verò non est ut hac occasione contentionem contra populum suscipiatis: dat enim vobis quod petitis, ac fiet sanè de eo judicium. Ti-
XXIX bi Marci edicimus ut ad trinundinum adsis, populumque suffragiis de te acturum doceas, nihil esse à te delictum. Ac tum quidem satis habuerunt patricii rem ita compositam esse; Marciumq; læti secum abduxerunt. interea verò temporis, dum trinundinum appeteret, bellum contra Antiates exortum, spem illis disjiciendi judicii præbebat: sperabantque id bellum diuturnum fore, itaque populum vel marcescente ira placidiorem futurum, vel occupationibus eam bellicis omninò dissipatum iri. Sed ut mox facta pace cum Antiatibus reditum est, crebri inter patricios acti sunt conventus, Marcio metuentes, idque circumspicientes, quo pacto neque hunc destituerent, & occasionem concitandæ plebis tribunis nullam præberent. Et Appius quidem Claudius, qui præ reliquis infensus populo existimabatur, testatus est, senatum à seipso dissolutum rempublicamque proditum iri, quando jus ferendi de patriciis suffragia populo concederent. Contrà qui ætate maximè provecti, popularesque erant, non iniquum, sed mansuetum & humanum fore populum censebant, adeptum eam potestatem: non enim contemptu senatus, sed quod se ab eo despi-

*Contumacia ejus in purgando se.*

*Coriolanus dies ad populum dicitur.*

despici putarent, judicii potestatem eos exposcere, adeptosque id honorem & solatium habituros, statimque iram deposituros. Marcius ergo cùm videret benevolentia erga ipsum, metuque populi senatum animi incertum, quæsivit à tribunis, cujusnam criminis ipsum apud populum postularent: cùm respondèrent, tyrannidis eum accusari, eamque ab ipso affectari sese demonstraturos, surgens: Iam nunc, inquit, eo ad populum causam dicturus, neque vel judicium ullum, vel si convincar, supplicium detrecto: tantum vos videte, ut hoc mihi crimen objiciatis, neque fucum senatui faciatis. Cùm affirmassent, ita fore, in judicium venit. Congregato populo, primò omnium vi obtinuere tribuni, ut non centuriatim, sed tributim ferrentur suffragia, inque iis ferendis homines egeni, inquieti, & nihil honestatem curantes, ditioribus, notis, ac stipendia meritis civibus antecederent. Deinde regni affectati crimine omisso (quod se nullo modo demonstraturos norant) sermo Marcii in senatu habitus repetitus est, quo annonæ precium levare vetuisset, & tribunatum populo adimendum censuisset. additum & novum crimen: prædam, quam ex Antiatum agro invenisset, non illatam ab eo in ærarium, sed suis militibus divisam. Id maximè perturbasse Marcium dicitur, improvisum videlicet, & cujus excusandi probabilem ad populum orationem in promtu non haberet: nam cùm suos milites laudaret, eos, qui non cum ipso militarent, quorum major erat numerus, infensos sibi reddebat. Tandem suffragiorũ latione tribubus tradita, absolventibus tres, plures fuerunt quæ damnarent: pœna dicta fuit, ut perpetuò exsularet. Sententia promulgata, nulla unquam bellica victoria tantum populo gaudium attulit, quanto tunc exultans discessit: senatus contra ingenti perculsus est trifticia pœnitentiaque gravi correptus, quod non quidvis potius pertulissent, quàm populum tanta licentia in ipsorum contumeliam uti paterentur. Neque erat tum opus vestium aliorumve insignium nota: sed facilè cognoscebatur plebeius esse qui gaudebat; patricius, qui mœrebat. At verò Marcius ipse imperterritus, infractusq; incessu & vultu, ut ante, composito, inter reliquos omnes graviter affectos conspiciebatur, solusque se ipse non miserabatur. non sanè rectæ rationis & animi moderationis beneficio, sed irâ totus concitus, gravique indignatione: quam dolorem esse plerique ignorant. Iracundus enim cùm ira accenditur ac quasi excandescit, omnem humilitatem & remissionem exuit: itaque iratus qui est, eodẽ modo strenuus videtur, quo is qui febricitat, calidus: sic animus illius pulsu, agitatione que & tumore quodam distenditur. Et statim quidem ut esset affectus, abundè re ipsa demonstravit. Marcius domum enim suam ingressus, matrem ac conjugem lamentantes salutavit, atque, ut, quod fortuna attulisset, mediocriter ferrent, hortatus, rectà ad portã contendit: ibi à comitantibus eum patriciis, neque accepta ulla re, neque precatus quicquam, cum tribus vel quatuor clientibus discessit. Inde per paucos

*Vt accusatus sit Coriolanus & damnatus.*

*Coriolanus damnatus ad Volscos fugit.*

*Ira cur non videatur dolor.*

paucos dies in quadam villa cùm animũ suum in varias cogitationes diduxisset, consilium neque honestum, neque utile, sed quale ab ira subministrari potuit delegit; Romanos utiq; ulciscendi, bellumque iccirco grave ac finitimum contra eos excitandi. Periclum primùm de Volscis facere in ea re statuit, quos & milite & pecunia adhuc validos esse norat, cladibusque nuper acceptis, non tantum virium amisisse, quantum iræ & pertinaciæ inde concepisse. Erat vir Antiâs, divitiarum, fortitudinis, nobilitatisque causâ inter Volscos regiæ dignitatis, nomine Tullus Attius. Huic se præ omnibus aliis Romanis invisum esse Marcius sciebat, sæpenumerò enim in præliis mutuò se provocaverant, atque minitati fuerant, ac æmulatione juvenili gloriæ bellicæ, privatum publico odium adjecerant. magno tamen animo eum esse præditum sentiebat, maximeque inter omnes Volscos cupere eum ansam nactum Romanis damnum aliquod injungere. Proinde testimonium tulit ei, qui dixit; *Tullus Attius.*

*Compescere iram difficile est, nam quod petit,*
*Mercatur ipsa morte* ——

XXX Etenim veste habituque assumpto, quo maximè se, quis esset, ignoIV tum fore censebat; exemplo Vlyssis

*Dirorum intrepidus sese intulit hostium in urbem*

sub vesperam, multisque obviam factus, à nemine cognitus, Tulli ad ædes contendit; ingressusque statim apud focum capite velato consedit ac conquievit. Domestici admirantes, tamen, ut surgeret inde, jubere non sunt ausi (nam & habitus & silentium auctoritatem ei conciliabant.) Tullo tum fortè cœnanti, quid novæ accidisset rei, indicant. Is relicta cœna, ad Marcium venit, sciscitaturusque est, quis esset, cujusque rei causa venisset. Tum Marcius capite detecto, paululumque sermonem moratus: Si me, inquit, non agnoscis, sed & conspiciens me an is sum dubitas, necesse est, ut me ipse apud te ac-
XXXV cusem. Cajus sum Marcius, qui plurima Volscis damna intuli, co- *Coriolani ad Attium oratio.*
X gnomenque, quod inficias me ire non patitur, Coriolani inde fero. nullum enim aliud multorum illorum præmium adeptus sum laborum atque periculorum, quàm notam mei apud vos odii, hocque solum mihi non est ademptum: reliqua universa invidia libidineq; populi, mollicie & proditione senatus & nobilium erepta mihi sunt. Actus verò in exsulium, supplex ad tuos penates confugi, non impunitatis & salutis causa impetrandæ (quid enim erat cur huc me conferrem, si mortem formidarem?) Sed ulciscî me cupiens irò etiam nunc pœnas ab his, qui me extorrem egerunt, sumens, quod me tibi dedo. Quod si igitur tibi in animo est hostes invadere, agedum vir generose, meum infortunium in rem tuam verte, calamitate mea ad communem Volscorum felicitatem utere. tanto enim rectius pro vobis bellum geram quàm contra vos gessi: quanto melius possunt hi, quibus res hostium sunt notæ, iis quos ea latent. Sin de bel-
XX XXX lo desperasti, neq; mihi vivere, neque tibi me servare expedit, olim
I VI hostem tuum inimicumque, nunc verò nulli futurum usui. Hæc ut

audiit Attius, summam cepit voluptatem, injectaque dextrâ: Surge, inquit, Marci, ac bono es animo: magno enim nobis emolumento est tui te nobis dedentis adventus: & à Volscis porrò majora spera.

*T. Latinius, per insomnium de instaurandis ludis monetur Romanos iussus.*

Ea nocte humaniter accepit Marcium: sequentibus diebus inter se de bello Romanis inferendo consilia contulerunt. Interim Romæ cùm senatus in plebem odia, potissimũ ob Coriolani damnationem redintegrata, turbas dabant: tum prodigia multa atque gravia vates, privatique referebant. Inter hæc tale quiddam traditur. Titus erat Latinius nomine vir, non admodum illustris, tranquillus alioquin, & moderatus & cùm superstitionis, tum futilis loquacitatis libero animo. Huic in somnis species Iovis visa est, jubentis dicere senatui, missum sibi ab eo ludis malum, minimeque spectatu jucundum præsultorem. Hoc somnium non magnæ sibi primum curæ fuisse Latinius referebat: cùm verò iterũ tertioq; visum neglexisset; & filium sibi carissimum morte ereptum, & subitò se omnibus captũ membris fuisse. Atq; hæc lectica in senatum apportatus renunciavit: statimque inde corroborato rursum corpore, pedum officio domum rediisse traditur. Hoc miraculo senatus motus, summa diligentia de re inquisita: ea ita habebat: Servum quidam suum aliis servis tradiderat, flagellis exigendum per forum, atque inde necandum. Hoc illos agentes, hominemque flagris proscindentes, ipsumque præ dolore variè se hinc inde torquentem, indecorisque motibus corpus jactantem, fortuitò pompa ludorum subsecuta est. Ac multi quidem id deforme spectaculum indignè ferebant, nemo tamen inhibebat, sed eum tantum conviciis ac execrationibus impetebant, qui tam acerbè servum plecteret. Eo enim tempore Romani servis se admodum humanos exhibebant: nimirum ipsi quoque in partem laborum rusticorum venientes, & cum servis communi victu utentes. videbaturque magna pœna servo peccanti irrogata, si lignum quod temonem currus fulcit, per viciniam circumgestasset, qui enim erat hoc modo punitus visus, deinde apud domesticos & vicinos nullam fidem inveniebat, furciferque (ei enim ligno furcæ nomen est) appellabatur. Ergo ut Latinius senatui de suo insomnio indicavit, cùm dubitaretur quisnam is malus & indecorus ludorum præsulator fuisset, recordati sunt nonnulli supplicium insolens servi istius, per forum flagellis acti, & inde interfecti. Approbantibus horum sententiam sacerdotibus pœnas dominus dedit, Iovi ludi instaurati sunt. Enimverò Numa videtur mihi cùm alioquin sapientissimus sacrorum magister fuisse, tum id ad majorem religionis venerationem præclarè instituisse, ut cùm magistratus, aut pontifices rem divinam facerent, præco præcedens magna voce clamaret: *Hoc age*; qua voce animum adverti sacris juberet, neque quicquam operis interjici illis, aut aliud quodcunque negocium ostenderetque, pleraque res humanas necessitate quadam & vi peragi. Cæterùm non tantam modò ob causam, sed etiam ob exiguam Romani solent sacra reficere: id enim decreverunt fieri, cùm unum ex equis thensas

*Supplicia servorum Romæ.*

*Instaurationis sacrorum causa.*

sas trahentibus vires defecissent: & rursus cùm auriga læva manu habenas corripuisset: & posterioribus temporibus, unum sacrificium tricies est factum, cùm semper offendisse aliquid aut defecisse visum fuisset. tanta Romanis erat religionis cura. Porrò Marcius & Tullus clam (contra quàm potentissimis apud Volscos placebat) hoc agebant, ut Romanis, dum ii adhuc intestina discordia turbarentur, bellum inferrent. Id enim primores Volscorum eo nomine facere verebantur, quod erant ipsis cum Romanis induciæ in duos annos pactæ. Occasio belli committendi ab ipsis Romanis objata est, qui ludis solennibus quadam suspicione aut calumnia adducti edixerant, ut Volsci ante Solis occasum Roma exirent. Quidam hoc ut fieret fraude Marcii actum ajunt, Romam submittente, qui Volscos falsò deferret apud magistratus, quod statuissent, dum ludi agerentur, Romanos adoriri, & urbem incendere. Id quidem edictum omnium Volscorum animos contra Romanos irritavit. Tullus autem rem verbis exaggerans, suosque instigans, tandem persuasit ut Romam legatos mitterent, qui agrum & urbes bello sibi ademptas repoſcerent Romani eam legationem indignè tulerunt, responderuntque, Volscos priores arma capturos, Romanos ea posteriores deposituros. Inde Tullus convocato in concilium omni Volsco nomine, cùm decrevissent bellum, autor fuit ut Marcium vocarent, oblitique acceptorum ab eo malorum crederent, plus ipsum socium belli allaturum rebus eorum commodi, quàm damni hostis dedisset. Marcius ut vocatus orationem ad populum habuit, apparuitque eum non dicendo minus quàm armis acrem esse belloque egregium, prudentiaque & audacia præditum maxima; unà cum Tullo imperator cum plena potestate ad id bellum est creatus. Proinde veritus, ne tempus, quo ad apparandum bellum haud exiguo opus erat Volscis, rei gerendæ occasionem ipsi adimeret; primoribus civitatis magistratibusque mandato, ut quæ ex usu essent, ipsi conducerent atque appararent, ipse cum iis quos alacriores reliquis extra delectum sibi adjunxerat, subitò neque quopiam id exspectante Romanorum in fines impressionem fecit. Qua re tantum prædæ paravit, ut Volsci ea agenda ferendaque & in castris fruenda defatigati sint. Atqui prædam ipse eo facto, vastationemque hostilis agri minimè quærebat, id præcipuè spectabat, uti patricios calumniis plebis objiceret. nam cùm omnia alia depopularetur & vastaret, ab eorum agris omnia maleficiâ, omnem rapinam summa cura prohibuit. Itaque jurgia inter ordines, & turbæ existebant, patriciis, populo exprobrantibus, quod hominem potentem injustè patria egissent: populo eos incusante, quod memoria injuriarum acceptarum Marcium acciviſſent, ac aliis bello afflictis, ipsi ociosi spectatores sederent, extraq; belli incommoda constituti, suas opes retinerent. Hoc ut confecit Marcius, magnũq; ad audendũ, contẽnendumq; hostem Volscis momentum attulit, securè se recepit. Collectis magna celeritate & alacritate omnib. Volscorũ copiis, cùm satis magnæ

*Volsci Roma expulsi nova belli occasio.*

*Coriolanus à Volscis dux belli creatus, Romanos invadit.*

magnæ cæ viderentur: visum est partem earum retinere, quæ urbibus præsidio esset, altera contra Romanos proficisci: optionemque ducendi, utram vellet, Tullo Marcius detulit. Tullus nihil Marcium virtute inferiorem se fassus, meliorique eum in omnibus prœliis fortuna usum, ducere eos, qui exirent in bellum, jussit: se in Volscis remansurum, urbes custoditurum, exercituique de rebus necessariis prospecturum. Itaque magis adhuc animo confirmatus Marcius, primùm ad Circeios duxit, Romanorum coloniam, eamque dedentem se nullo damno affecit. Inde Latinorum agrum depopulatus est, qui Romanorum (erant enim is fœdere juncti) sæpius auxilium imploraverunt. & adhuc sperabant, eos ibi pro se propugnaturos. Verùm & plebs Romana ad bellum suscipiendum erat segnior, & consules, quod exiguum tempus magistratus ipsis erat reliquum, periculum subire nolentes, infecta re legatos dimiserant. Itaque Marcius ad ipsas urbes profectus, Tolerium, Lavicos, Pedem, Bolanosque resistentes ipse vi ceperit, corporibusque mancipatis, bona diripuit. Quæ verò oppida deditionem fecissent, diligentissimè curavit, ne vel suo injussu detrimentum aliquod acciperent, ideoque procul ab iis castra habebat, agrisque abstinebat. Postquàm vero Bolas urbem intra decimumtertium lapidem Roma distantem cepit, magnaque pecunia potitus, omnes propè, qui erant juveníli ætate, occidit: Volcisque jam quoque, qui urbibus præsidii loco erant impositi, manere noluerunt, sed sublatis armis ad ipsum contenderunt, unum se eum suum ducem agnoscere dicentes. tum verò nomen ejus per Italiam magnum, gloriaque mira exstitit, quod unius viri transitio tam inopinatam rerum mutationem effecisset. At res Romana nullo ordine, nullo decore gerebatur, civibus de pugna desperantibus, & quotidianis modò coitionibus, seditiosisque sermonibus intentis: donec Lavinium (qua in urbe & sacra Deorum, quorum à majoribus usque cultus ad Romanos erat propagatus, continebantur, & qua in urbe generis sui originem habebant repositam: nam eam primum urbem Æneas condidit) obsideri ab hoste annunciatum est. Is rumor subitam miramque non populi modò, sed & nequaquam minus inopinatam, absurdamque patriciorum animis mutationem attulit. Populus enim damnationem Marcii antiquare, ipsumque in urbem revocare intendit. Senatus cùm de hoc eorum proposito frequens consultaret, improbavit, ac prohibuit: sive studio omnibus, quæ populus vellet, resistendi: sive gratiæ populi ejus reditum adscribi nolens, sive jam ipse etiam Marcio succensens, qui universos infestaret, non læsus ab omnibus, ac patriæ se hostem declararet, in qua noverat præcipuam optimamque civium partem una cum ipso dolere, communemque accepisse injuriam. Sententia Senatus vulgata, populo non licebat quicquam legibus aut suffragiis agere, cùm patres auctores non fierent. At Marcius his cognitis, omissa Lavinii obsidione, ad ipsam urbem infesto animo exercitum adduxit, castraque fecit apud fossas Cloelias, quinque ab urbe millibus

*Vrbes à Coriolano captæ.*

*Lavinium.*

*Coriolanus vel Romam ducit.*

XLV bus passuum. Hujus adventus ut magnum terrorem tumultumque in urbe excitavit, ita discordiis finem imposuit. Neque enim præterea quisquam vel senator, vel magistratus populo reditum Marcii poscenti contradicere ausus est: sed cùm viderent in urbe discursiones mulierum, supplicationes apud templa Deûm, lachrymas & deprecationes senum, summam ubique audacię & salubrium consiliorum inopiam: assensi sunt, rectè populum ad reconciliandum Marcium se contulisse, magnopereque erratum à patribus qui eo tempore iras & injuriarum memoriam resuscitassent, quo maximè ea deponi debuerant. Iraque communi omnium sententia decretum est, ut mitterentur ad Marcium legati, qui reditum ei in patriam offerrent, utque bellum desineret, orarent. Missi sunt senatores, Marcio necessitudine juncti, ac qui conjunctionis & familiaritatis causa multam se in primo congressu humanitatem ejus expturos sperabant: sed ea ipsis spes ad irritum cecidit. Ducti enim per castra hostium, invenerunt eum animo conturbato, & horrenda cum severitate inter primores Volscorum sedentem, jussi ab eo dicere, cujusnam rei causa venissent. cùm placida oratione gestuque decoro petitionem suam exposuissent. Marcius, quod ad se attinebat, iracundè & acerbè respondit. Volscorum nomine, quorum dux esset, postulavit ut [illegible]ger ubique bello ademptæ redderentur, jusque civitatis, perin[illegible]ac Latinis, decerneretur: aliàs nisi justis his, æquisque conditionibus, pacem non futuram. Spàcium deliberandi tri-

*Legati ad Coriolanum missi.*

XL ginta dies definivit, confestimque ex eo loco castra movit. Hanc

*Invidia Volscorum & Tulli in Coriolanum.*

VI primùm ansam ipsum criminandi arripuerunt è Volscis ii, quibus jam pridem invisa viri erat potentia. in quorum numero Tullus etiam fuit, nulla quidem privatim injuria, sed morbo hominibus familiari affectus: indignè enim ferebat, suam omninò gloriam obscurari, seque à Volscis negligi, omnia sua in uno Marcio sita ducent[illegible]us, reliquosque contentos esse ea potentia & imperio, quod ab illo ipsis esset concessum, jubentibus. Itaque primarum tum accusationum semina occultè sparsa sunt, factisque coitionibus æmuli quiritabantur, castrisque ab eo motis proditionem factam interpretabantur, non murorum quidem armorumve, sed occasionum, quarum in bello maximum esset in utramque partem momentum: injectamque ab eo triginta dierum moram, quo spacio summa rerum mutatio posset intervenire. Et quidem id tempus Marcius non ociosè exegit, sed circumferens arma sociis Romanorum incommodavit, & septem urbes magnas populasque cepit. Romani vero suis opitulari non audebant, sed plena erant eorum pectora trepidationis, stupefactisque omnino, & resolutis corporibus similiter ad bellum affecta. Postquam tempus præscriptum exiit, ac Marcius cum

*Altera legatio ad Coriolanum.*

IL VII omnibus rediit, aliam legationem miserunt, orantes, ut ira posita Volscos ex agro Romano abduceret, atque in commune deinde consuleret: nihil enim se metus causa facturos, sed si quid Volscis concedendum putaret, obtemperaturos, siquidem ab armis iis discessis-

sent. Ad hæc Marcius se jam non ut Volscorum ducem, sed tanquam civem Romanum respondere dixit, hortarique ut justiciæ rationem habeant, ac moderatius sentiant, & intra tertium diem ad se veniant, ea, quæ postulasset ante, decreto confirmaturi: sin aliter ipsis visum fuisset, scirent, non licitum ipsis impunè vana cum oratione in castra reverti. Reversis legatis, Senatus tanta urbem tempestate ac fluctibus urgentibus, ad sacram (quod ajunt) anchoram confugit. Decretum est enim, ut omnes pontifices, sacrificuli, æditui, augures que irent ad Marcium, suis quisque insignibus ornati, hortarenturque, ut bello remoto cum civibus de Volscis ageret. Admisit hos in castra Marcius, sed nihilo, quàm ante, mitius neque egit quicquam neque dixit: jussitque (ut prius etiam) aut acciperent pacis conditiones, aut bellum susciperent. Vbi rediere Sacerdotes, de- XL
cretum est, ut cives quieti stationes in muris disponerent, hostem- VIII
que, si oppugnatum venisset, arcerent, spemque potissimum in tempore, & inopinatis fortunæ vicibus collocarent. Nam in se quidem eo tempore nullum salutis præsidium Romani inveniebant: sed tumultu, trepidatione, sinistrisque rumoribus & ominationibus tota urbs tenebatur: donec talis casus incidit, qualem Homerum multis locis proponens, non planè suam plerisque probat sententiam. Cùm enim is in magnis & præter opinionem hominum evenientibus rebus acclamat:

*De animi impetibus divinitus excitatis.*

*Mentis consilium huic subjecit cæsia Pallas:* & alibi:
*Aut aliquis Diûm mentem convertit, & ipsum*
*Admonuit populi tum de rumore futuro.* item.
*Sive ita conijciens, seu quis Deus hoc ita jussit.*

reprehendunt, quasi verò is rebus facultatem nostram excedentibus, & incredibilibus, fabulæque similitudinem habentibus eventus, consilio nostræ voluntatis, delectuique deroget. At Homerus hoc non facit. Sed consentaneas illas & usitatas actiones, & ea, quę XLI
secundum rationem aguntur, nostro consilio & voluntati imputat: ut cùm sæpe in hanc sententiam dicit:

*Ipse ego magnanimo decrevi talia corde,* &,
*Sic ait. At magnum vehemens incessit Achillem*
*Tunc dolor, iracundia intra præcordia pectus*
*Divisum in duplices turbavit nobile curas.* & rursus:
*At non prudenti persuasit Bellerophontæ.*

Sed idem in arduis inusitatisque rebus, & ad quas impetu quodam animi, ac furore quasi divino opus est, Deum proponit: non qui consilium nostrum tollat, sed moveat, neque impetus animo indat, sed visa & imaginationes objiciat, quæ impetuum duces sint: atque ita sanè non involuntariam efficit actionem, sed voluntati initium præbet, eamque spe & confidentia confirmat. Aut enim omninò excludendus est ab omni principio causaq; actionum nostrarum Deus: aut quisnam alius tandem sit modus, quo hominum ille actiones adjuvet? non enim corpora nostra effingit, manusve ad id, quod facto

opus

opus est, aut pedes applicat: sed eam animi partem, quæ ad agendum
est deligendumque nata, principiis quibusdam, & visis, cogitationi-
L busque objectis excitat, aut contra avertit & inhibet. Cæterùm in
urbe tum mulieres aliæ apud alia templa, pleræque & primariæ ad
aram Iovis in Capitolio supplicabant. Inter has erat etiam Valeria,
soror Poplicolæ, ejus, qui domi militiæque rempub. plurimis in re-
bus magnopere juverat, ac jam ante (ut in ejus vita demonstravi-
mus) vitæ pensum absolverat: atque hæc Valeria Romæ illustris,
honorataque erat, ut quæ se generis splendore haud indignam gere-
ret. Hæc tunc eo (de quo jam disputavi) modo repentè affecta, inq;
eam cogitationem, non sine numinis instinctu delapsa, qua patriæ
servandæ rationem assecuta est, surrexit, cæterisq; sibi adjunxit, ad
Volumniæ, quæ mater erat Coriolani, ædes venit. Quam ut in-
gressa reperit cum nuru sedentem; filiosq; Marcii gremio tenentem,
corona mulierum ei circumfusa: Vtrò, inquit, ó Volumnia, tuq; o
Virgilia, mulieres ad mulieres venimus, neque Senatus decreto, ne-
que magistratus jussu: sed Deus nostrum (ut existimo) miseratus sup-
plicationem, nos, ut huc ad vos deprecatum veniremus, excitavit.
Quæ nostra petitio, siquidem ei acquiescetis, cùm nobis omnibus
erit, civibusq; salutaris, tum vobis mihi obtemperantibus, illustrio
LI rem allatura gloriam, quàm adeptæ sunt Sabinæ, quod maritos suos
& parentes de bello in pacem amicitiamque reduxerunt. Agite no-
biscum ad Marcium ite, & supplicationem nostram adjuvate: testi-
moniumque patriæ justum & æquum ferre, quod ea multis ac gra-
vibus ab ipso affecta injuriis, nihil vobis mali per iram neque intu-
lerit, neque inferre statuerit: sed ei vos reddat, etiam si nihil ab eo
clementiæ sit impetratura. Exclamatum est ad hæc Valeriæ verba
à cæteris mulieribus, & Volumnia: Cùm æquam, mulieres, commu-
nis calamitatis partem vobiscum sustinemus: tū privato infortunio
affligimur quæ Marcii gloriam virtutemq; amisimus, corpus autem
ejus hostilibus armis septum, in custodia asservari verius, quàm mu-
nitum videmus. Maximum vero hoc nostrum malum ducimus, si
patriæ vires adeo debilitatæ sunt, ut in nobis spem salutis ea repo-
sitam habeat: quarum nescio rationemne ille habiturus sit, qui pa-
triam, cui matrem, uxorem, liberosq; posthabere consueverat, flocci
pendit. Verumtamen utimini sanè nostra opera, duciteque nos ad
eum: nam si nihil aliud, at certè in deprecatione pro patria exspira-
LII re possumus. Inde Virgiliam, cum filiis, reliquisq; mulieribus sur-
gere jussit, unoq; agmine in castra Volscorum profectæ sunt. Adspe-
ctus ille ipsis etiam Volscis miserabilis visus, verecundiam & silen-
tium injecit. Sedebat tum Marcius pro tribunali cum reliquis belli
consiliariis: qui ut vidit accedentes mulieres, miratus quid rei esset,
postquā duci catervā ab uxore sua vidit, statuit sanè in immobili ista
sua, ac inexorabili perseverare sententia. Victus tamē affectu, contui-
tuq; perturbatus, non passus est eas ad sedentem se accedere, sed de-
scendens à tribunali, aliquantum citatis gressibus obviam cōtendit,

*Valeria consilij patriæ salutarij inventrix.*

*Oratio eius ad matrem & uxorem Marcij.*

*Volumniæ responsio.*

*Matrona ad Coriolanum supplicatum eunt.*

matremque primùm prolixè consalutavit, inde uxorem, & liberos, neque lacrymis, neque amplexibus osculisque jam parcens, sed ferri se ab effectu, tanquam rapido torrente, sinens. Vt desiderio satisfecit suo, sensitque matrem orationem velle incipere, juxta adsistere jussis Volscorum senatoribus, hæc dicentem audivit Volumniam.

*Volumnia ad filium oratio.*

LIII Etiam nobis tacentibus, fili, ex vestitu & miserorum corporum forma conjicere potes, qualem nobis rei familiaris statum tuum exsilium attulerit. Perpende verò cum animo tuo, ut omnium mulierum miserrimæ huc venerimus. quibus id, quod jucundissimum visu debuit esse, fortuna quàm maximè pertimescendum effecit: nimirum ut ego te filium, hæc conjugem patriæ mœnia obsessum venisse videremus? Ac, quod est omnium aliàs malorum solatium, invocare Deos qui possumus? neque enim simul & tibi salutem, & patriæ victoriam votis exposcere licet? sed quæ hostis nobis imprecetur, ea in nostra sunt precatione: quippe aut patria aut te spoliari oportet uxorem liberosque tuos. Ego quidem non exspectabo, dum hanc mihi vitæ sortem bellum injungat: nam si tibi non persuadeo, ut amicitia & concordia contentioni & malis præposita, utrisq; potius te benefactorem, quàm alterutri exitiosum præbeas, ita cogita, itaque te para, ut qui scias, non posse te ad patriam, nisi calcato matris tuæ cadavere, accedere. Neque enim his dies mihi exspectandus est, quod vel duci triumpho à civibus filium, vel hunc de patria triumphantem adspiciam. Quod si ego à te, fili, peterem, ut Vol-LIV scis perditis patriam servares, difficilis verò tibi & explicatu haud proclivis deliberatio proponeretur, nam neque civibus perniciem afferre honestum, neque eos, qui fidei tuæ se credidissent, prodere justum erat. Nunc malorum tantum finem cùm petimus, qui & Romanis & Volscis saluti, his verò magis honestus sit futurus, quod tanquam potiti victoria videbuntur nobis dare maxima bona pacem & amicitiam, cùm perinde eadem ipsi quoque accipiant. Quod si fiet, maximè tu in causa fuisse existimaberis: sin secus, apud utrosq; culpa tibi imputabitur. Cumque belli sit incertus exitus, hoc tamen in promptu est, te, si vincas bello cives, ita victurum porrò, ut sceleratus patriæque pestis dicaris: sin vincaris, judicaturos homines, te ira impulsum homines bene demeritos, amicosque summas in calamitates conjecisse. Hæc Volumniam perorantem nihil interpellans audivit Marcius, ut finem fecit, diu tacitus stetit. Tum Vo-LV lumnia rursum: Quid taces, inquit, fili? Iræne & cupiditati ulciscendi omnia indulgere pulchrum, matris verò de tantis rebus preces admittere turpe est? aut meminisse injuriæ acceptæ magno viro convenit, beneficia quibus nati à parentibus afficiuntur, revereri & honorare eundem dedecet? Enimverò nulli magis conveniebat, ut gratiam benemeritis haberet, quàm tibi tam acriter in ingratos vindicanti: & quidem satis pœnarum jam nunc tibi patria dedit, matri nullam adhuc gratiam retulisti. Pulchrè quidem fecisses, si nulla vi coactus, ea quæ à te peto tam honesta & justa impetrare me passus

fuisses:

fuisses: quando autem non persuadeo tibi, quid moror extremum præsidium adhibere? simul hæc locuta, cum nuru & nepotibus se ad pedes ejus projecit. Ibi verò demum Marcius exclamans, ô mater, ut mecum egisti? erexit eam, premensque dextram: Obtinuisti, inquit, patriæ salutarem, mihi exitiosam victoriam: à te enim primùm victus discedo. Pauca inde seorsim cum ea, & uxore collocutus, Ro- LVI mam, uti petierant, eas remisit. Ipse nocte elapsa Volscos inde abduxit, non eodem omnes modo affectos. Quidam enim & Marcium, & actionem hanc reprehendebant: alii qui pacis erant studiosi, neutrum. quidam etsi actionem improbabant, Marcium tamen non malum virum, neque indignum venia censebant, tanta necessitare fractum, nemo omnium jussa viri detrectavit, sed omnes secuti sunt, magis virtutis ejus, quàm potestatis observantia. At Romani quando in periculo ac metu fuissent bello instante, eo soluto demum rectius senserunt. Simul enim atque Volscos vasa colligentes de muro viderunt, omnia statim templa aperuerunt, coronatique ea, tanquam victoria potiti adierunt, & victimas mactarunt. Maximè autem honore mulieribus habito senatus populique gaudium est declaratum, confitentium eas haud dubiè salutem urbi attulisse. Cúmque decrevisset senatus, ut quodcunque decus eæ, honoremve sibi postulassent, à magistratibus eis deferretur, nihil aliud petierunt, quàm ut Fortunæ muliebri templum conderetur: ad quod exstruendum ipsæ sumptum conferrent, sacrificia autem publicis impendiis curarentur. Laudata earum liberalitate, senatus publicis impensis templum, sacellumque ædificavit: ipsæ nihilominus, pecunia LVII corrogata, simulacrum fecerunt. Quod Romani ferunt dedicatum in delubro, ita locutum: *Grato diis statuto matronæ me donastis.* Atque bis auditam hanc vocem ii perhibent: sanè infectis similia, & creditu difficilia nobis persuadere conantes. Sudare simulacra, & lacrymari, guttasque sanguinolentas emittere, non id quidem omninò fieri non potest. Ligna enim lapidesque sæpe rubiginem contrahunt, quæ in liquorem dissolvi possit: colores ex sese edunt varios, aut inficiuntur ab eo quod est circumpositum: quo minus etiam dii aliquid illis nonnunquam portendant, nihil videtur obstare. Edere etiam sonitum gemitus, suspiriique adsimilem possunt, cùm interiores forte eorum partes rumpuntur, aut violentius à sese diducuntur. Articulatam verò vocem, itaque expressam & integram, & quæ intelligi omnino possit, ab inanimato corpore edi, creditu est perquàm durum: quando neque Deus neque anima sine corpore in- LVIII strumentis & partibus animi capacibus apto loqui possit. Quod sicubi historia nos ut ita factum credamus multis & fide alioquin dignis urget testibus: ita statuendum est, esse innatum quendam sensus dissimilem affectum ei animæ parti, quàm ab imaginando & iis, quæ concipit visa, *phantasiam* Græci vocant, qui deinde affectus id, quod opinatur se percepisse, perceptum nobis esse persuadeat: quomodo in somnis cum nihil audiamus aut videamus, audire tamen

*Marcius matris precibus victus, à Româ exercitum ducit.*

*Templum fortunæ muliebris.*

*De simulacrorum sudore, & similibus.*

nos & videre opinamur. Verum enimverò iis, qui nimio studio amant ac colunt numina, nihilque ejusmodi rerum sibi oblatarum negare audent, his ut ea credant, multum confert admiratio Dei, idque quod vires ejus longè sunt aliæ quàm nostræ. Nihil enim humanæ naturæ Deus simile habet, non motu, non arte, non robore nobiscum convenit: neque absurdum est, si quid iis faciat machinetur ve, quod nos efficere nequeamus, quinimò per omnia nostrum dissimilis, maximè eam in suis operibus differentiam ostendit. Sed (quod ait Heracletus) ut pleræque rerum divinarum nostram cognitionem effugiant, efficit incredulitas. Porrò Marcium, ut primùm ab exercitu Antium rediit, odio & metu acri commotus Tullus statim occidere tentavit, veritus ne si nunc emisisset eum, occasionem deinceps aliam non esset habiturus. Conspiratione itaque multorum facta, Marcium se magistratu abdicare, & Volscis rationem ejus administrari edere jussit. Marcius autem, Tullo magistratum gerente, & maximam inter suos potentiam obtinente, privatus fieri formidans, imperium se in concilio omnium Volscorum, si ab ipsis juberetur, depositurum dixit: nam & ab universis id sibi delatum fuisse. rationem verò Antiatibus, si expetant, se ne nunc quidem, quin reddat, tergiversari. Convocata concione, factionis principes ad hoc parati, plebem contra Marcium instigaverunt. Sed ubi is ad causam dicendam surrexit, turbulenti homines verecundia viri moti cesserunt, liberamq; ei dicendi facultatem dederunt: ac civium optimus quisque, & pacis cupidus, palam ostenderunt audituros se benignè, judicaturosque justè. Ibi Tullus defensionem Marcii metuere cœpit, hominis admodum eloquentis, & cui priores res gestæ majorem, quàm esset præsens culpa gratiam peperissent: imò verò totum id crimen, quod intentabatur, testimonio erat, quantum ei gratiæ deberetur. non enim visi fuissent sibi ab eo injuria affecti, quod Romam non ceperant: nisi ipse eam rem eo deduxisset, ut propemodum caperent. Ea propter non cunctandum amplius ratus est, cum sua factione Tullus, neq; experiendum plebis judicium. sed ferocissimi ejus factionis vociferantes non esse auscultandum, neque concedendum, ut proditor in Volscos tyrannidem teneat, imperiumque deponere nolit; confertim impetu facto eum interfecerunt. Nemo quidem Volscorum eum defendit: plerisque tamen displicuisse facinus, statim apparuit. Nam concurrentes ex urbibus ad cadaver ejus, honorificè id humaverunt, sepulchrumque, tanquam imperatoris, & præclari bellatoris, armis spoliisque exornarunt. Romani, morte ipsius audita, neque honoris, neque odii ullum aliud signum dederunt, quàm quod matronis petentibus, ut liceret eum lugere, concesserunt luctum decem mensium, quo parentes, liberi, fratresque prosequi mos erat: idque tempus longissimi luctus Numa definierat. ut in ejus vita scripsimus. At res Volscorum statim Marcium desideraverunt. Primò enim de principatu cum Æquis vicinis suis contendentes usque ad vulnera & cædes devene-

*Deo omnipotentia.*

*Coriolanus ut à Tullo sit interemptus,* LIX

LX

*Sepultura.* LXI

*Luctus.*

*Volscorum res fractæ.*

venerunt Deinde prœlio à Romanis victi, quo in prœlio Tullus ob- *Tullimors.*
iit, flore omni copiarum suarum perdito, turpissimis conditionibus pacem acceperunt, imperata se Romanis facturos, & in eorum potestate futuros, spondentes.

## *ALCIBIADIS ET CORIOLANI comparatio.*

LXII Expositis utriusque actionibus, quas quidem commemoratu dignas censuimus: quod ad militares attinet, neuter alteri magnopere præferendus videtur: Vterque enim ex æquo multa militaris audaciæ ac fortitudinis, multa etiam artis prudentiæque documenta dux exercitus edidit. nisi quis eo præferendum Alcibiadem putet, quod terra marique multis in certaminibus victoriam adeptum, absolutioris ducis nomen meritum appareat. nam id quoque ambobus commune fuit, quod præsentes ipsi & imperantes haud obscurè rempub. bene gesserunt: idque apertius, quod desciscentes plurimum patriæ nocuerunt. In repub. ita versati sunt, ut in captanda aura populari nimiam Alcibiadis dicacitatem, & à scurrili petulantia non puram homines sani judicii abominati sint; Marcii autem nimis austera, inflata, & paucorum principatui apta versandi in foro ratio Romanis odio habita est. Neutra quidem laudanda via: sed tamen qui favori populari aliquid dat, studiisque multitudinis gratificatur, minus eo culpandus, qui, ne talis videatur, omninò contumeliosus in populum sit. Nam ut turpe est, potentiæ parandæ causa populum adulari: ita eo quod terrori sis tuis, velle multum posse, civesque vexare & premere, præterquam quod turpe, etiam in- LX
III justum est. Neque hoc quidem obscurum est, Marcium simplicem, suiq; similem fuisse: & instituti sui tenacem: Alcibiadem verò versipellem & mendacē. Maximè hujus culpant nequitiam & fraudē, qua Lacedæmoniorū legatos decepit, pacemq; disjecit, ut Thucydides refert. Sed hæc actio, etsi urbē nov obello implicavit, tamen validam ac formidabilem Mantinēsium & Argivorum societatem opera Alcibiadis Athenienſibus adjunxit. At Marcium quoq; dolo Romanos cum Volscis commisisse, falsò calumniatum Volscos, qui spectatum Romam venerant, Dionysius tradit. Et causa factum deterius reddit. Non enim, ut Alcibiades, certamine de republ. provectus, sed iræ (à qua nullam sperandam bonam gratiam Dio dicit) indulgens, multas Italiæ partes bello turbavit, multasque immerentes urbes iræ in patriam satiandæ obiter impendit. Sanè Alcibiades quoque ira commotus, magnas calamitates civibus suis intulit: sed ut primum pœnitentia correptos cives agnovit, æquum se patriæ præbuit: rursusque deinde projectus, tamen ducum errores non dissimulavit, eorumque mala consilia & pericula non neglexit: ac, quod Aristides egisse cum Themistocle maximè laudatur, id egit cum illis ducibus, quanquam non amicis ipsi; venitque ad eos, & quid facto usus

*Militiage-stares.*

*Contumaciæ obsequio deterior.*

usus esset, docuit. Marcius verò primum totam urbem infestavit, non læsus à tota civitate, cujus melior pars injuriam & dolorem cum eo habebat communem: deinde multis legationibus & deprecationibus iram demulcere cupientibus, & sanare illatam ei injuriam, nihil emollitus, ostendit, se, non ut rediret in patriam, sed ut eam funditus everteret, grave & implacabile bellum susceptisse. Hoc tamen interest, quod Alcibiades insidiis Lacedæmoniorum petitus, metu simul & odio eorum ad Athenienses rediit. Marcio Volscos deserere non erat conveniens, à quibus dux constitutus, maximæque fidei habitus, & copiis præfectus erat. At Lacedæmonii abutebantur magis, quàm utebantur illo per urbem oberrante: deinde cùm in castris iterum vexaretur, coactus est ad extremum se in manus Tisaphernis tradere. nisi profectò eo animo, quod cuperet Athenas salvas esse, neque funditus ruere, eum demeruit. Id præterea traditum est, Alcibiadem sæpe munera cepisse, pecuniamque ita parram turpiter in luxum & libidines prodegisse: Marcio autem magistratus, honoris causa pecuniam offerentes, non persuaserunt, ut acciperet. Itaque in contentione de ære alieno maximè erat invisus populo: quod non lucri causa, sed præ fastu & contemtu pauperibus damno esset. Antipater in epistola quadam de morte Aristotelis philosophi scribens, inter alia refert, valuisse eum virum etiam persuadendo, hoc defuit Marcio, actionesque ejus & virtutes ipsis adeò etiam illis, de quibus bene merebatur, molestas reddidit, fastum & contumaciam (quam solitudini aptam Plato dicit) non ferentibus. Alcibiades autem contra norat facilem se in congressibus præbere. Itaque mirum non est, bene ab eo actorum gloriam floruisse, benevolentiamque & honorem ei apud homines fuisse: quando peccata etiam ipsius quædam grata & jucunda fuerunt. Inde factum est, ut hic, cùm haud exigua reipub damna dedisset, sæpe tamen dux & prætor creatus sit: Marcius verò magistratum petens virtuti suæ debitum, repulsam tulerit. adeò alterum ne læsi quidem ab eo cives odisse poterant: alter, quanquam in admiratione apud suos esset, nemini tamen charus fuit. Porrò Marcius suo ductu nihil conduxit patriæ, sed hostibus contra patriam: Alcibiades & miles & dux sæpenumerò Athenienſibus profuit. Idem præsens adversus inimicos, quantum voluit, potuit: absente tantum ipso calumniæ efficaces fuerunt. Marcius præsens à Romanis damnatus est, præsens à Volscis interfectus. non quidem ab his per jus & fas: sed tamen probabilem eis causam præbuerat, quod à populo Romano oblatam pacificationem aspernatus, privatim mulieribus obtemperasset, neque sustulisset causam belli, sed hoc manente tempus & occasionem perdidisset. Etenim si, quo jure Volscis erat obligatus, ejus potissimum rationem habendam duxisset: oportebat eum iis persuadere ut à Roma recederent. sin Volscos nihil curavit, iræque suæ explendæ causa bellum Romanis intulit; deinde ab eo desistere statuit: non propter matrem parcendum patriæ fuit, sed cum

LXIV

LXV

*Pecunia ut abutroque habita.*

*Obsequium & contumacia.*

LXVI

*Bellum Volscum à Coriolano non recte compositum.*

cum patria etiam matri. Pars enim ejus civitatis, quam oppugna-
LX bat, mater & conjunx erant. Quod autem posteaquam inhuma-
VII num se publicis supplicationibus, deprecationibus legatorum, ad-
eoque sacerdotum exhibuisset, deinde in gratiam matris bellum
summovit: non erat hoc honorare matrem, sed dehonestare pa-
triam, quæ, misericordiam unius mulieris intercessione consecuta,
servabatur; tanquam non digna, quæ propter seipsam salute dona-
retur. Fuit igitur hæc gratificatio, invidiosa, immitis, & re ipsa in-
grata, neutrique parti æquo animo ferenda: nam recessit neque per-
suasus ab iis quos bello petierat, neque persuasis militibus suis.
Causa horum omnium fuere mores ejus ad versandum in hominum
cœtu incompositi, nimiaque insolentia & contumacia: quod vitium
cùm per se vulgo est molestum, tum si cum ambitione conjungatur
planè efferum fit, & immedicabile. Hujusmodi enim homines non
demerentur multitudinem, quippe qui honorem quasi contem-
LX sisse videri velint: deinde repulsam passi stomachantur. Enimve-
VIII ro Metellus quoque, Aristides, & Epaminondas eo fuerunt ingenio,
ut supplices esse, populumque demereri nollent: cæterùm hi verò
etiam contemnebant ea, quæ dare aut adimere suo arbitrio popu-
lus posset. Itaque in exsulium pulsi, magistratu dejecti, damnati
aliquoties in judicio, civium injuriam non ira sunt prosecuti, sed
pœnitentiam eorum probaverunt, verbisque reconciliari se passi
sunt. Qui enim quàm minimè captare vult gratiam populi, eum
quàm minimè etiam vindictæ injuriarum ejus cupidum esse decet:
nam nimia ob non impetratum honorem indignatio, nascitur ex ni-
mia ejus honoris cupiditate. Quare Alcibiades non negavit, se gau-
dere honoribus affectum, dolere neglectum: ideoque ut gratus es-
set iis, quibus cum degebat, & gratiosus, annitebatur. Marcium
verò fastus non patiebatur eos demereri, à quibus honoribus pote-
rat ornari: ambitio autem faciebat, ut præteritus doleret atque ira-
sceretur. Hæc sunt in eo viro reprehendenda: cætera omnia habet
præclara. Temperantiæ enim pecuniæque contemptæ nomi-
ne dignus est, qui cum præstantissimis, sanctissimisque
Græcorum conferatur: non cum Alcibiade, in his
rebus incontinentissimo, honesta-
tisque negligentissimo
homine.

*Metelli, Aristidis, & Epaminondæ casus & aquanimitas.*

FINIS.

# IN C. MARCIUM CORIOLANUM Interpretatio.

*Qua ætate vixerit Coriolanus. neq; ignotum est, & à nobis ad Themistoclis vitam annotatum. Cæterùm Coriolano Marcij nomen (de qua familia etiam in Numa dictum est) Caij pronomen fuisse, satis & ex Plutarcho, & ex Dionysio, qui libro sexto sub finem, & deinde crebrò γάιον μάρκον (legendum autem μάρκιον) dicit, & ex Livij emendatis codicibus constat. Nam error quasi inveteratus, & plurimorum librorum est communis, etiam Valerij, Eutropij libri de viris illustribus, Gellij, aliorum. Quod autem verti,* Ancus Marcius filia Numæ natus: *id in Græco est vitiosè, ὧν καὶ μάρκιος ἦν γάιος ὄνομα θυγατριδοῦς, καὶ μετὰ τύλλιον, &c. En tibi Guarinum:* Ex quibus etiam Marcius Cajus nomine nepos extitit, qui post Tullum regnavit Hostilium. *Iam quis non stomachetur, ubi annotatorum illorum & emendatorum (hoc enim nominis sibi sumunt) cùm inscitiam, tum oscitantiam deprehendat? Est enim hoc loco à nescio quo annotatum in margine. Marcium istum* Cajum Guarini, *apud Livium esse Cn. Marcium. Hoc erat palmarium reperire. nimirum aliquis apud Livium rex Romanorum,* Tulli *successor, Cn. Marcius legitur. Annotare hoc visum est, ut imprudentiam nimis impunem multorum impostorum notarem, qui emendatos à se, & illustratos libros crebrò edunt atq; dedicant. est enim iis fumorum vēditoribus emendare, pro* Cajo Cneum *reponere; pro* Clœliis fossis *nescio quas* Cluilias, *& alicubi notam interrogationis aut majusculam literam signare: illustrare, cùm aliquid omnibus in promptu situm margini allinunt. Verbi causa, idem esse apud Gellium aut Valerium, vel aliter ibi legi, & similia: quæ & rarò, & ineptò plerunq;, aliquando falsò indicant. Quod si isti, quicunque tandem fuit, correctori in mentem venisset apud Livium quærere (tametsi id pueri sciunt, qui nondum ære lavantur, quisnam post Tullum Hostilium rex Romanorum fuisse, non Ancum modò Marcium invenisset, sed & rationem locum hunc depravatum restituendi. Verba sunt Livij:* Ancum Marcium regem populus creavit, patres fuere auctores. Numæ Pompilii regis nepos filia ortus Ancus Marcius erat, &c. *Idem est apud Dionysium lib. 3. ubi Anci hujus μητροπάτωρ* avus maternus, *Numa Pompilius fuisse disertè traditur: nisi quod ibi noto, & frequenti librarij lapsu μάρκος passim pro μάρκιος legitur, quod ita placuit isti correctori, ut hunc librum M.* Coriolani *titulo insigniret: corrupto & prænomine, & nomine. Ergo apud Plutarchum hic pro γάιος ὄνομα restituendum est ἄγκος ὀνομᾶ: & levissima ac propè nulla mutatione constabit locus, pro τύλλιον, τύλλον scribe.*

Impostores.

Cap. 3. In conspectu dictatoris.) *Is fuit A. Postumius Albus. Res gesta ad Regillum lacum anno ab V.C.* CCLIIX. *Livius lib. 2. Dionysius initio sexti.*

Ibid. Glandivoros oraculo nominatos.) *Oraculum est passim apud*

*apud auctores citatum, & exstat apud Herodotum lib. 1. Pythiæ adscriptum:*

> ἀρκαδίην μ' αἰτεῖς, μέγα μ' αἰτεῖς, οὔ τοι δώσω.
> πολλοὶ ἐν ἀρκαδίῃ βαλανηφάγοι ἄνδρες ἔασιν, &c.
> Poscis me Arcadiam? nimium petis, haud tibi dono:
> Glandivori Arcadiæ multi ditione fruuntur, &c.

*Porro autem, Aborigenes, à quibus orti & aucti sunt Romani, ex Arcadia in Italiam venisse, Dionysius libro primo Antiquitatum Romanarum demonstrat: ut eum honorem quasi auctoribus sui generis habuisse, Romani videri possint. Vide etiam librum* IIX. *Aeneidis Virgilianæ, & primum Livij de Arcadibus, & alios. De corona verò querna legatur caput quartum libri decimisexti Historiæ naturalis Plinij. Quod autem* mulsum à quercu *suppeditatur, ratione mellis intelligitur. Est enim notum, apes frequenter mellificium in quercubus exercere.*

Ibidem. Propter servatum civem.) πολλῆ τῶν δίδ. *Legendum* πολίτου

Cap. 5. Matri Volumniæ.) *Contra Livius Voluminam uxorem Coriolani, matrem Veturiam appellat, atq; itidem Dionys. lib. 8. Noster, uxorem* Vergiliam *nuncupat.*

Cap. 6. M. Valerius.) μάρκιον *male, pro* μάρκον, *aut potius* μάνιον, *Nam Dionysius lib. 6. Manium dicit: apud alios Marcus, nimirum mendosé legitur, sicque etiam vitiosé fuit librariorum culpâ in nostra editione.*

Cap. 9. T. Larcium.) μάρκιον *in Græco legitur, pro* λάρκιον: *quod & Guarinus sensit. Est autem circa hæc tempora* Larciorum *nobilis mentio, & Marcium oscitans scriptor hic inculcavit iterum. ego tamen his suffragor qui Larium scribunt, à Larte derivato vocabulo. & potuit Lartius in Larcium, ac dein Lartium ut Marcius in Martium, degenerare. Apud Dionysium quidem expresse hic ipse* τίτος λάρκιος *nominatur, hanc historiam referentem sub finem sexti.*

Cap. 15. Battorum secundo.) *Cætera cognomina feré Ptolemæorum, reliquorumq; Alexandri successorum fuerunt, & notiora sunt quàm uti annotare multa oporteat, Ptolemæi fuerunt, Soter, Physcon, Evergetes, Philadelphus Seleucus, Gallinicus,* γρυπὸς *Græcis est* ὁ καμπυλόῤῥιν, *Antiochi cognomen fuit (sicut & alia ex his Antiochi & Demetrii tulerunt) teste Appiano, fine Syriaci, & Iustinus libro tricesimonono,* à magnitudine nasi ductum ait. *Porrò autem* Ptolemæum Lamyrum *quem noster dicit, eum (nisi fallor) alii auctores, atq; etiam* Plinius *libri sexti capite tricesimo,* Lathyrum *vocant: Strabo libro ult.* λάθυρον, Lathurum: *siquidem recté legitur. Est alias leguminis genus* λάθυρος, *cujus & Plutarchus meminit Quæstionum Rom. nonagesimaquinta, & Eustathius in N. Iliadis. Cæterum haud scio an Plutarchus* λάμυρον *scripserit:* λάθυρος *enim non à* Lamyrus. Lathyrus.

convi-

*convicio sed naevo forte corporis cognomen aut crebra usurpatione certi cibi vel ejus leguminis colendi studio, ut* Ciceronis *quidam volunt, ductum videretur. Itaque nolui mutare. De* Antigono Dosone, *vide in Aemilio Paulo. Cæterum de* Batto *Cyrenes conditore, ejusque successoribus qui legere volunt interpretem Pindari sumant, in quarta Oda Pythiorum exordio. Videndus & in Melpomena Herodotus, & in decimotertio Justinus. Quod ad* Syllam *attinet quod à vitio corporis cognomentum esse tractum affirmat, id in vita Syllæ ab initio fusius explicat, nempe ob horrendum quasi ruborem albedini faciei ejus admixtum, hoc cognomenmis ei factum. Unde quidam Atheniensium subsannatorum dixerit in eum,* Syllam esse morum farina conspersum. *Itaque minime assentior doctissimo, & rerum Romanarum peritissimo homini Sigonio, qui mendum hoc loco esse putat, & σίλλυβος pro σύλλας substituendos. Nam & constat sibi Plutarchus, idem etiam initio Marii referens de Sylla: & Macrobium ne ipse quidem Sigonius ei contulerit. Macrobius* 1. *libro Saturnaliorum, cap. decimo septimo, in hanc sententiam scribit:* Cornelium Rufinum decemvirum bello Annibalico inspectis libris Sybillinis, primo Sybillam, post Syllam cognominatum: idque cognomen in ejus posteritate retentum fuisse. *Primùm quis credat Macrobio, autorem non nominanti potius quàm Plutarcho: Deinde Livius eandem historiam describens libro vigesimoquinto, jam tum Syllam prætorem nominat: haud (opinor) prætermissurus novitatem cognomenti, si tum aut ea de causa exstitisset, cùm quidem libri Sybillini sint à Decemviris inspecti. Vel (ipso Macrobio teste) Sulla Marcii Vatis carmina habuerit. Denique Quintilianus etiam Plutarcho adstipulatur, utique fide quàm Macrobius dignior, libro primo, capite septimo. Itaque Macrobium sua cum opinione missum facio: neque jam disputo, uter rectius senserit. In loco quidem Plutarchi, cujus ipse autor lectionem alio (uti demonstratum est) loco confirmat & tuetur, nihil mutandum duxi. Neque ego hac annotavi, ut Sigonium reprehenderem, quem admiror hercle, & in hoc literarum genere nemini postpono, meque ipsius scriptis plurimum adjutum libenter & ingenue confiteor: ipse alioquin & observans insignium virorum, & ingenio, consilio, adeoque conditione vitæ à reprehendendo abhorrens. Quia tamen in tantum quoq; hominem σφάλμα prope μυρμηκιᾶν potuit cadere, neque ipse cur ejus repudiassem conjecturam, debui dissimulare, ne aut non animadvertisse, aut obiter vertisse putarer: & ipsum æquo animo passurum existimo, in re levi, meo tamen instituto conjuncte, improbari suam à nobis opinionem. De Claudii autem planè ei subscribo, neq; enim ignoravit Plutarchus originem Claudiæ gentis, cùm id alibi ipse tradiderit.*

*Sylla appellatio unde.*

Cap 20. Anytus Anthemionis.) *Historia hæc est apud Diodorum Siculum paucis perscripta, lib.* 13.

Cap. 21. Id quod Plato præcipit.) *In epistola ad Dionem. Vide, quæ de hoc in ejus vita annotavimus.*

Cap.

Cap. 23. Erant intus tribb. pleb. ) *In Græco non est, qui fuerint Senatus suasores harum rerum, sed sententia & quæ sequuntur satus ostendunt* vocem δήμαρχοι, *aut similem extritam esse.*

Ibid. Magistratibus sublatis, ductores suos eonomine insigniat.) ἀναρχίαν ἔχοῦσας, ἡγεμόνας ἰδίας ἄρχοῦσας προσαγορεύει. *Quod superiorem de contumacia disputationem, & alia quædam minus dextrè interpretatus est Guarinus, obscuritate excusari potest ejus loci. Hic nihil nisi luculentum est, & tamen ita vertit*, Indomitos esse & patronos suos vocare principes. *Posterius utcunque ferri potest, si quis per patronos, turbarum autores & duces, ἡγεμόνας, videlicet tribunos plebis statim intelligi putet. ἀναρχία autem est, cùm imperia justorum magistratuum detrectant subditi, dignitasq; & autoritas magistratuum jacet, multitudine licentiam nacta omnia pro libidine sua agendi, cujusmodi ἀναρχίαν παυκλῶ quasi proverbialiter vocat apud Euripidem Hecuba,* ὃν ἀκολάστῳ ὄχλῳ. *Talem Coriolanus Romam tum esse dictitabat, consulum majestate dejecta, & plebe solis suis ductoribus & turbatoribus tribunis intenta: cum quidem tribunatus plebis ne sit quidem, si propriè dicendum sit magistratus: ut alias ostendetur.*

Cap. 31. Absolventibus tres plures fuerunt.) *In Græco est* οἱ κατεψηφίσαντο τρεῖς ἐγένοντο, *hoc est*, damnaverunt: *atque hoc secutus est etiam Guarinus. Fuisse eo tempore Romæ tribus viginti unam, ex Dionysio & Livio patet, nisi quod vitiosè apud Livium* triginta *pro* viginti *legitur, ut & Sigonius notavit. Locus apud Livium est non longè ante historiam Coriolani, libro secundo. At major pars si absolvebat, id quod fiebat, si tres tantum tribus eum damnassent, certè damnatus non fuisset Coriolanus. Itaque intelligendum est, Coriolanum à novem tribubus absolutum fuisse, à duodecim (hoc est, ternario pluribus) damnatum. Dionysius paulò aliter idem indicavit, ut mox dicam. Sed tamen apud eundem libro 8. Coriolanus ad Volscos verba faciens,* τοσοῦτον, *inquit*, ἄρα μοι ὀφείλω τῶ μηδὲν ἀδικεῖν, ὥστε οὐ ὄχλῳ κρινομένῳ, ὅτῳ πλέον μισοῦσι λῶ, τῷ διὰ τοῦτο ἐχθρόν μοι, δυσὶ μόνον ἐάλων ψήφοις. *duobus tantum suffragiis damnatus sum: id est, damnantia, quam absolventia puncta duobus pluria fuerunt. absolverant enim novem, damnaverant duodecim tribus. Qui locus planè Plutarchiano huic germanus est, notandumque studiosis literarum humanitatis est, quid sit apud bonos autores tribus suffragiis damnari, aut similia: quod jam ex his satis intelligi potest. Nihil est de hac damnatione apud Livium, nisi quod absens damnatus, in Volscos exsulatum abiisse dicitur.* Dionysius verùm rem formamque judiciorum cùm centuriatorum, tum tributorum, diligentissimè perscripsit libro septimo: cujus hæc sunt ad extremum verba: ὡς δ' ἐπεψηφίσαντο ἅπαντες, διαῤῥηγμένων τῶν ψήφων τὸ διάφορον ἐφάνη. μιᾶς γὰρ καὶ εἴκοσι τότε φυλῶν οὐσῶν, ὧν ἡ ψῆφος ἀνέδοθη, τὰς ἀπολυούσας ἔχουν ὀκτὼ μορίοις ἔννέα. ὥστε εἰ δύο προσῆλθον αὐτοῖς φυλαί, διὰ ἴσου ψηφίαν ἀπολύειν ἂν, ὥσπερ ὁ νόμος ἦξίει. *Sensus est, de* XXI. *tribus*

Trib. suffragiis damnari quid

*bubus fuisse novem quæ absolverent, reliquas damnasse, parumque abfuisse quin æquatis suffragiis absolveretur. Vt satis constet, quid aut quem noster sit secutus: & quidem permultum lucis hæc loco huic afferunt. Tametsi priori loco pro δυσὶ μόνον, malim τρισὶ legere,* tribus *pro* duobus. *immò τρισὶ legendum ratio evincit: nam ne dividi quidem* XXI. *in duas partes integras potest, quarum altera binario alteram superet. In posteriore ἰσοψηφία latius sumitur.*

*Suffragiis parib. absolvitur reus.*

*Suffragiis autem paribus reum absolvi (ut hoc obiter addam) præter ea quæ apud Harpocrationem & Suidam legi possunt in ἴσαι ψῆφοι, testatur etiam in Marij propè initio Plutarchus, & in quæstura Catonis minoris: fitque similis legis apud Athenienses mentio, etiam apud Aristophan. in Ranis de Clephonte:*

——Vtinam pereat.
Aequales liceat sint.

*Neque est ab re, adscribere interpretis verba, Latina tamen facta* Aequales, *(inquit)* nimirum calculi, hoc est paria suffragia: cùm totidem alba sunt, quot nigra. Alludit autem ad eam consuetudinem, quod absolvebatur reus, si æqualia ferrentur suffragia. Idque repetitum est à judicio Orestis, de quo in Iphigenia Taurica Euripides, sub persona Minervæ ad Orestem dicentis:

Quod & antehac tibi salutem ego attuli,
In Martio campo, paria suffragia
Curans ut essent.

*Hoc obiter docere volui, cùm hic se ejus occasio obtulisset, & mihi aliàs foret annotandum. Vide etiam Augustinum lib.* 18. *de civit. Dei, cap.* 10.

Cap. 33. Tullius Attius.) ἀμφίδιος, Amphidius *est in Græco: sed Dionysium lib.* 8. *initio & Livium sequi præstabat.*

Cap. 34. Exemplo Vlyssis.) *Is enim eo modo Ilium intravit. Locus est apud Homerum Vlyssea* 4. *v.* 246.

Cap. 36. T. erat Latinius.) *Sic & apud Dionysium legitur libro* 7. *& apud Valerium Maximum* 1. 7. *apud Livium* Latinius, *apud Macrob.* 1. *Saturn* 6. Annius. *Cicero idem narrans lib.* 1. *de Divin. nomen omisit. quisque sequatur quod volet: ego* Latinium *mallem quàm* Latinum.

Cap. 37. Nemo tamen inhibebat.) *Guarinus* discedebat. *Discessit autem ipse à Græco,* οὐδεὶς δ' ἐπέξηλθεν, *quod hic, & alibi, pro* vindicare, punire, *aut* reprehendere *ponitur.*

Cap. 38. Ostenderetque plerasque res.) *Locus est in Græco perobscurus, neque (ut videtur) integer. Ego verba expressi: sensum non satis assequor, nisi si id vult intelligi: Debere nos in sacris faciendis toto animo, et quod agimus intentos esse, id quod in aliis humanis actionibus & negociis à nobis vix præstari potest, ob necessitatem, & extrinsecus accidentes subinde nobis perturbationes. Sed hæc est conjectura.*

Ibid. Thensas.) θήσσας *est in Græco pro* θήσας, *uti opinor. Sunt autem*

*autem* thensæ *vehicula eburnea partim, partim argentea, quibus exuviæ Deorum ludis Circensibus, per circum ad pulvinaria vehebantur. Festus. Est hæc vox etiam apud Suetonium & alios.*

Cap. 42. Tolerium, Lavicos.) *Inter Latinos, qui in monte Albano soliti essent carnes accipere, etiam Tolerienses numerat Plin. 3. 5.* Lavicos *verti, Livium secutus, cùm in Græco sit* οἰκανοὺς, Vicanos *apud Guarinum, ego* λαοὺικανοὺς *legendum censui: apud Dionysium est* λαβικάνοι. *Si quis contendat* οἰκανοὺς *scripsisse Plutarchum,* Vicellenses *intelligendi erunt, de quibus Plinius ibidem. Sed meum argumentum præfero.*

Cap. 43. Postquàm vero Bolas urbem.) *Bolanos supra dixit* βωλλανοὺς, *o longo. Nunc* Bolas *urbem, o brevi, quasi diversam ponit, secutus Dionysium. nisi quod hic male* βόλλας *est, apud Dionysium,* βολὰς: *alias nihil de hac urbe habeo, & in Onomastico nostro erit hac de re etiam nostris conjecturis locus: DEO volente. Nam hoc quidem satis constat, in enumeratione urbium à Coriolano captarum nihil admodum inter eos, quos nos habemus, historicos convenire. Quod dixi intra decimumtertium lapidem, centum stadia sunt in Græco, miliaria nempe* $12\frac{1}{2}$

Cap. 48. Cum enim is.) *Guarinus locum hunc mirifice confudit, & pervertit. Est autem gravis, ac propè dixerim pia disputatio, qua Homeri sententiam de voluntate nostra animique impetibus divinitus oblatis explicat & defendit: qua de re hic commentari non licet.*

Ibid. Ast aliquis divûm.) *Vide quæ hoc loco annotavimus in Homerum de audiendis poëtis. Versus autem* Ητοι οἰσάμενος, *Sive ita conjiciens est Odyss. 1339.*

Cap. 57. Ab eo quod est circumpositum.) ἐκ τοῦ περιέχοντος. *Guarinus* aërem *vertit. Sed ego istam hujus vocabuli significationem non satis commodam ratus, malui generalem ad verbum exprimere, ut vestes etiam, serta & alia id genus intelligantur, à quibus, quàm ab aëre facilius colorem accipiant statuæ.*

Cap. 61. Cum Æquis vicinis suis.) πρὸς σικανοὺς. *Legendum est* αἰκανοὺς. *qui sunt* Aequi: *quod & Dionysii ac Livii autoritas, & ipsa ratio, & liquidissima historia ostendit. Nihil enim huc attinet* Sicani, *utcunque antiquitus Itali: & tamen eos Guarinus levissimo mendo inductus retinuerat, ut & alibi.*

## IN COMPARATIONEM.

Cap. 64. Thucidides refert.) *Historia est lib. 5. Locus Dionysii est initio lib. 8.*

## PLVTARCHI TIMOLEON, GVILIELMO XYlandro, Augustano interprete.

*Status Syracusarum Dione caso.*

SYRACUSARUM, antequam in Siciliam mitteretur Timoleon, hic fuit status, ut Dio ejecto Dionysio tyranno statim dolo interfectus periit, dissipatis iis qui in vindicanda libertate Syracusarum Dionem adjuverant; urbs alium post alium tyrannum ferens, multitudine malorum propè ad solitudinem redacta fuit. Reliqua Sicilia partim bellis omninò fastata, civitatesque in ea deletæ: pleræque urbes à barbaris convenis, militibusque stipendio conductis tenebantur, qui facilè quasvis principatuum mutationes admitterent. Dionysius itaque decimo quàm erat pulsus anno, manu stipendiariorum militum conducta, Nysæum Syracusas tunc obtinentem pepulit: ac qui ante mirabiliter à parvis copiis erat maxima omnium, quæ unquam fuerunt, tyrannide exturbatus; idem haud minori miraculo de exule & abjecto, eorum, qui ejecerant ipsum, dominus est factus. Exinde Syracusani qui in urbe remanserunt, servierunt tyranno cùm alias haud clementi, tum verò calamitatibus prorsus efferato: optimi & clarissimi civium ad Icetam Leontinorum principem confugerunt, seque ei crediderunt, & ducem eum delegerunt nihil quidem tyranno meliore; sed cum refugium aliud non haberent, Syracusano, & cui ad bellum contra Dionysium esset virium satis, se committebant. Interim Carthaginiensibus magna classe in Siciliam advectis, eique subigendæ intentis; perterriti insulares statuerunt mittere legatos in Græciam, Corinthiorumque implorare auxilium: cùm cognatione & pristinis eorum beneficiis freti, tum videntes urbem eam planè libertatis studiosam, infestamque tyrannis semper fuisse, & maximè ac plurima bella non principatus opumve cupiditate, sed pro libertate Græciæ gessisse. Ac Icetas, ut qui eo bello non libertatem Syracusanis, sed tyrannidem sibi quæreret, occulta cum Carthaginiensibus statim agitare colloquia, palam Syracusanorum, institutum laudare, eosque in mittendis legatis juvare: non auxilium illis ferri cupiens, sed sperans si (quod videbatur fore) Corinthii propter Græcos motus, & occupationes auxilium denegassent, facilius se rem ad Carthaginenses inclinaturum, eorumq; opera promptiore contra Syracusanos, quàm tyrannum usurum. id ejus consilium post detectum est. Vt legatio venit, Corinthii semper curam coloniarum, & præsertim Syracusarum, gerere soliti, fortè tunc nullo Græco negocio occupati, sed in ocio & pace viventes, promptè auxilium iis decreverunt. Cùm dux bello quæreretur, principesque eorum qui præstabant in urbe gloria, alium alius nuncuparent: quidam è multitudine surgens, Timoleontem Timodemi filium nominavit. Atqui is jam pridem repub. abstinebat, & spe & instituto ab ea re alienus: sed Deus quidam (opinor) illi homini ita in

*Icetas Leontinorum tyrannus.*

*Corinthiorũ auxilium à Siculis imploratum.*

I II III

mentem

mentem dederat: adeò & illustri favore Timoleontis designationum expedivit fortuna, & omnes ejus actiones, virtutemque summa gratia exornavit. Natus erat Corinthi Timoleon claris parentibus Timodemo & Demaristâ, patriæ amantissimus, & permansueto alioqui ingenio, attamen tyranni & malis hominibus longè infensissimo ad rem bellicam adeo æqualis & temperatæ naturæ, ut & in juvene magna prudentia, & in sene par fortitudo apparuerit. Erat ei frater natu major, Timophanes nomine, dissimilis planè ingenii, temerarius, & à pravis amicis, peregrinisque militibus (quos semper circa se habebat) ita corruptus, ut tyrannidis jam desiderio flagraret. In bello acer, nullíusque metuens periculi credebatur, eoque permoverat cives, ut eum tanquam bellicosum & strenuum virum exercitui præficerent. Quo in officio adjutorem habuit Timoleontem, qui vitia ejus aut occultabat, aut extenuebat,

IV bona verò naturæ exornabat, laudesque augebat. In prœlio Corinthiorum contra Argivos & Cleonæos Timophanes equitũ dux, devenit in grave periculum, ab equo suo, qui ictum exceperat, excussus, & in hostium agmen projectus, sociorumque parte dissipata statim metu, reliquis paucis contra multos pugnam ægrè sustinentibus. Hoc ubi vidit Timoleon, qui inter gravis armaturæ milites in acie erat, accurrit. Timophanique jacenti scutum prætendit, multisque spiculis, multis ictibus comminus armis & corpore exceptis, ægrè hostes repulit, fratremque eripuit. Postea Corinthii metuentes, ne, ut antè quoque ipsis acciderat, à sociis circumventi urbem amitterent, statuerunt milites stipendiarios CCCC. alere, iisque præfecerunt Timophanem. Is, justitia honestateque post positis, statim in id incubuit, ut urbem suæ potestati subjiceret: ma-

V gnoque numero primariorum civium indicta causa necato tyranni-dem occupavit. Graviter hoc latum Timoleonti, qui fratris improbitatem suam calamitatem duceret. Itaque primò hominem verbis aggressus, hortatus est, ut infanam istam infelicemque cupiditatem deponeret, injuriarumque in cives correctionè aliquam quæreret. Contemptim hanc admonitionem respuente fratre, assumpto ex necessariis Æscholo, cujus sororem Timophanes uxorem habebat, ex amicis vate, quem Satyrum Theopompus, Orthagoram Ephorus & Timæus nominans, paucis interpositis diebus, cum his fratrem accessit, qui uno ore summis eum precibus obtestati sunt, ut vel nunc ad sanam mentem rediret, institutumq; mutaret. Cùm is initio eorum dicta irideret, post etiam ad iram & indignationem prolaberetur: Timoleon paululum secessit, velatoque capite flevit: reliqui duo gladiis Timophanem confestim interfecerunt. Facinoris hujus fama sparsa, op[illegible] civium laudare in Timoleonte odium malorum hominum, animique magnitudinem, qui vir alioqui mansuetus, & suorum necessariorum amantissimus, tamen patriam familiâ, honestatemque & justitiam privato commodo antiquiorem habuisset: qui fratrem pro patria strenuè

*Timoleon ut dux à Corinthiis delectus*

*Timophanes frater Timoleontis.*

*Timophanes Tyrannidem affectans fratru consilio caditur.*

pugnantem servasset, eundem tyrannidem insidiosè in patriam machinatũ necasset. At qui vivere in populari reipublicæ statu non po- VI
terant, soliti ab ore principium pendere, gaudere quidem tyranni morte se simularunt: Timoleontem tamen conviciando, scelestumque facinus eum perpetrasse jactando, in mœrorem conjecerunt. A matre quoque audiens, indignè cædem filii ferente, diris imprecationibus se devoveri, cùm deprecatum ivisset, neque aspectum ipsius pertulit, domumq; venienti occlusit. Ibi verò summo in dolore animique perturbatione constitutus, statuit vitam inedia finire: amicis tamen id non concedentib. omnique eum deprecatione, omni vi cogentibus, vivere decrevit, sed solitarius. Itaque planè civilibus se negotiis removit, ac primis temporibus ne in urbem quidem unquam venit, sed animi æger in agris desertissimis vitam duxit. Ad hunc videlicet modum judicia, ubi non à ratione & philo- VII
sophia robur ad agendum accipiunt, concutiuntur, ac facilè quavis vel laude vel vituperio præcipitia aguntur, suis consiliis & rationibus excussa. Oportet enim non solùm ipsam actionẽ justam honestamque; sed etiam consiliũ, quo inducti eam suscipimus, constans esse, ac immobile, agendumq; est cum delectu; ne quemadmodum helluones summo appetitu cum expetant cibos gulæ satiandæ idoneos, iis repleti statim satietate molestantur: ita nos quoque re confecta animo langueamus, emarcescente propter imbecillitatem animi honestatis concepta specie. Nam pœnitentia id quodque, quod est præclarè factum, turpe efficit: ac propositum, quod à certa scientia & consilio proficiscitur, nunquam mutatur, ne si successu quidem careat. Vnde Phocion Atheniensis, cùm instituto Leo- VIII
sthenis adversatus esset, atque hic rem feliciter egisse videretur, cernens propter victoriam eam Athenienses exultare, & sacra facere. *Nollem profectò*, inquit, *eum non usum fuisse illo successu: sed meum tamen consilium secutum vellem.* Majoris est roboris Aristidis Locrensis factum, qui unus de Platonis amicis fuit. Hic Dionysio seniori, filiam ipsius in matrimonium petenti, respondit, Mortuam se, quàm tyranni uxorem, videre filiam suam malle: paulò post Dionysius liberos ejus necavit, interrogavitque per contumeliam, An adhuc in sententia de elocandis filiabus perstaret? respondit, factum quidem sibi dolere, dicti non pœnitere. Verùm hoc à majori est & perfectiore profectum virtute. Timoleontis autem IX
animum dolor ille quem post facinus accepit, sive is fratris mortui miserationi, sive verecundiæ matris est adscribendus, adeo fregit, ut viginti ferè totis annis nullam insignem aut publicam rem attigerit. Cæterùm cùm esset dux belli nominatus, suffragiisque populi cupidè electus; Telesclides, cujus summa eo tempore erat Corinthi potentia atque gloria, assurgens cohortatus eum est ad res strenuè, &, ut bonum virum decet, gerendas; affirmans eum, si præclarè munus hoc obivisset, tyranni; sin ignaviter, fratris interfectorem existimatum à civibus iri. Parato jam ad navigandum Ti-

*De constantia præceptum.*

moleon-

moleonte, militesque colligente, literæ Corinthiis ab Icetâ allatæ sunt, mutationem ejus, proditionemque indicantes. Vt primùm enim profecti fuerant Corinthum Syracusanorum legati, apertè cum Carthaginiensibus se conjunxerat, cum iisque hoc agebat, ut, ejecto Syracusis Dionysio, ipse tyrannidem teneret. veritus autem, ne maturius venientibus à Corinthio copiis & imperatore, irrita ejus consilia redderentur, scripsit ad Corinthios, nihil esse ipsis opus sumptibus ac labore, neque esse cur in Siciliam veniant, ibique depugnent: præsertim cùm id Carthaginienses ipsis, ne faciant, interdicant, classemque ipsorum multis navibus operiantur: eos à se, ipsis eunctantibus, necessitate eo compulso socios ad de- X bellandum tyrannum assumptos. His literis lectis etiam hos, quibus ad eam expeditionem parum erat alacritatis, ira contra Icetam stimulavit, ut in adornanda rebusque necessariis instruenda, ac quàm primum emittenda classe Timoleontem juvarent. Paratis navibus, militibusque commeatu præbito, sacerdotes Proserpinæ per quietem imaginatæ sunt, videre se Cererem & Proserpinam ad iter accingentes, dicentesque, navigaturas sese cum Timoleonte in Siciliam. itaque Corinthii sacram triremem paravêre, & Dearum istarum navim nominaverunt. Timoleon Delphos profectus, Deo sacris operatus est: cùmque ad oraculum descenderet, tale ei signum accidit. Vitta quædam coronas insertas, intextasque acu habens victorias, fortuito casu in caput ipsius delata est: ita ut videretur à Deo coronatus ad res gerendas emitti. Proinde cum navibus Corinthiis septem, Corcyrensibus duabus unaque XI Leucadia, noctu solvit, ventoque secundo pelagus navigavit. Tum cœlum subitò findi supra navim visum, multumque & lucidum ignem effundere. Inde fax, iis, quarum in mysteriis usus est, assimilis exstitit, & cursum comitata est, in eamq; partem delata, qua maximè Italiam versus nautæ naves dirigebant. Vates hoc ostento testimonium ferri somnio sacerdotum dixerunt, Deasq; auxiliatrices hujus expeditionis, cœlitus eo fulgore præluxisse. Proserpinæ enim sacram esse Siciliam, quam & raptam in ea insula fabulantur, & insulam ei, cùm primùm detecta visendam se Diti præbuisset, muneris loco (qualia Græcia *nuclypteria* vocant) datam. Hoc pacto navigatione divinitus propitiis signis confirmata, celeri cursu altum transuecti, inde Italiæ oram legerunt. Sed quæ ex Sicilia annunciabantur, magnam solicitudinem Timoleonti, militibus tristitiam attulerunt. Icetes enim prælio Dionysium vicerat, ac plerisque Syracusarum partibus occupatis, eum in arcem, eumque locum, qui Insula dicitur, compulsum obsidebat, munitionibusque arcem cingebat; Carthaginensibus autem consuluerat, curarent, ne Timoleon in Siciliam egredi posset, sed eo repulso ipsis inter se per ocium di- XII videre insulam liceret. Igitur hi triremes viginti Rhegium mittunt, quibus vehebantur legati Icetæ ad Timoleontem, similem factis orationem meditati, deceptionibus speciosis, prætextibusque

*Icetæ proditio detegitur.*

*Ostenta.*

*Timoleontis in Siciliam expeditio.*

lorum consiliorum Icetæ constantem. Erant autem hæc ipsorum postulata: Timoleon, si quidem vellet, veniret ad Icetam consiliarius & socius rerum optimo jam loco constitutarum: naves autem, militesque Corinthum remitteret: quippe bello propè jam confecto: prohibiturisque, & ad pugnam paratis Carthaginensibus, si vi ad insulam accedere conaretur. Vt ergo Rhegium appulêre Corinthii, & in hanc legationem inciderunt, Pœnosque haud procul inde naves in statione tenere viderunt, injuriam quidem sibi factam iniquè tulerunt, itaque omnes in Icetam, metus pro Siculis incessit, quos cernebant haud dubiæ præmium Icetæ proditionis, Carthaginiensibus tyrannidis propositos. Videbatur autem fieri non posse, ut vel barbarorum naves duplas ad ipsorum, classis numerum, vel, si arte iis evitatis insulam tenuissent, Icetæ copias superarent. Veruntamen ut cum legatis, primoribusque Carthaginien- XIII
sibus congressus est Timoleon, placidè respondit: Assentiri se ipsorum postulatis, quid enim posset recusans: velle tantum se coram Græca & communi societate, juncta Rheginorum civitate, his conditionibus sibi propositis approbatisque discedere, id enim & sibi ad securitatem maximè conducturum: & ipsos Carthaginienses eo constantius ea, quæ Syracusanorum causa pollicerentur, conservaturos, si teste populo id promitterent. Eo ille se dimittebat, dum arte transitum in insulam sibi & classi suæ expediret: ducesq; Rheginorum universi hanc ejus technam adjuvabant, cupientes Corinthios Sicilia potiri, ut quia à barbarorum vicinitate sibi metuerent: Itaque concione populi advocata, ac, ne ad alias res agendas cives digrederentur, portis clausis, progressi ad multitudinem, prolixo usi sunt sermone, unusque subinde alteri de eadem re disserendi materiam præbendo rem ad finem non perduxerunt, tempus trahentes, ut interea Corinthiorum navibus solvendi spacium esset: detinebantque eo modo Carthaginienses in concione, nihil suspicantes sinistri, cùm ipse quoq; Timoleon interesset, & jamjam verba facturum se ostenderet. Cui simul ac renunciatum est cæteras naves solvisse, unam adhuc ipsum opperiri; per turbam se subducens, occultantibus simul iis, qui apud tribunal constiterant, Rheginis, ad mare descendit, celeriterque avectus est. Ita Corinthio- XIV
rum classis Tauromenium Siciliæ urbem appulit, vocata jam pridem, receptaque tunc ab urbe principe Andromacho. Fuit pater Timæi historiæ scriptoris, omnium Siciliæ principum præstantissimus, qui & suis civibus & justè, & secundum leges præerat, & haud occultum semper contra tyrannos odium gesserat: qua de causa tum quoq; Timoleonti urbem suum receptaculum exhibuit, civibusque persuasit, ut Corinthiis in liberanda tyrannis Sicilia auxilium ferrent. At Carthaginenses, avecto Timoleonte concioneque soluta cùm ægrè ferrent dolo se inductos, jocandi occasionem Rheginis præbuerunt, quod homines Pœni acta per fraudem vellent reprehendere. Proinde Carthaginenses Tauromenium legatum

*Assu deceptu Pœnis in Siciliam traiicit Timoleon.*

*Andromachus Timoleontem adjuvat.*

tum triremi mittunnt, qui superbè multa cum Andromacho collocutus, minatusque (ut est mos barbarorum) gravia, nisi confestim Corinthios expelleret, tandem manum supinam ei ostendit, eamq; rursus demittens, urbem priori manus formæ similem, posterioris modo se prostraturum jactavit. Ad quod ridens Andromachus, nihil aliud respondit quàm quod manu itidem modò supinata, modò in pronum declinata, jussit abire hominem, nisi ad eundem mo-
XV dum cum navi sua vellet agi. At Icetas nuncio Timoleontis in Siciliam adventus perterritus, multas Carthaginiensium triremes ad se vocavit. Quamobrem Syracusanis subiit de sua prorsus salute desperare, cùm viderent portum suum à Carthaginiensibus, urbem ab Iceta, à Dionysio arcem teneri: Timoleontem verò tanquam tenui limbo, Tauromenio oppidulo Siciliæ adhærere, non magna spe, & parvis cum copiis. Neque enim præter mille milites, & alimenta ad eos sustentandos necessaria habebat quicquam: & urbes malis attritæ diffidebant ei, animis contra omnes exercitum duces exasperatis. Quod factum est maximè culpa Calippi & Pharacis, quorum alter Atheniensis, alter Spartanus fuit. hi enim cùm libertatis restituendæ tyrannorumque evertendorum causa uterque se venisse jactasset, ita Siculorum res afflixerant, ut calamitates à tyrannis illatas omnibus modis, quàm præsentia mala, tolerabiliores crederent: meliusque cum iis actum, qui in servitute mortem obierant, quàm qui eam libertatem vidissent. Idcirco Corinthium nihilo illis meliorem futurum opinantes, seque iisdem, quibus ante, peti fraudibus, inescarique promissis blandis bonarum rerum, dum
XVI novo domino cicures fierent: omnes Corinthiorum pollicitationes suspectas habuerunt, ac repudiarunt. Adranum est oppidum, exiguum sanè, sacrum Adrano Deo, qui per totam Siciliam magnopere colitur: hujus civibus incessit discordia, & pars Icetam vocabant, pars (quod præter ipsos in Sicilia fecerat nemo) Timoleontem. Accidit autem fortuitò, ut, uterque dum festinat, eodem tempore ad oppidum ambo pervenirent. Icetas adducebat quinque millia militum; Timoleon cum mille ac ducentis militibus Tauromenio (unde distat stadiis CCCXL.) profectus, prima die non magna itineris parte confecta, consedit. Postera die magnis itineribus, difficilibusque superatu contendens, vergente jam die, præveniisse ad oppidum, & castra facere Icetam accepit. Eo audito, centuriones primos sistere gradum jussere, ut, corporibus cibo quieteque refectis, alacriores ad pugnam essent milites. At Timoleon circumiens, oravit, ne id facerent, sed celeriter ducerent ad hostes, quos consentaneum erat, modò itinere superato, circa tentoria facienda, sumendumque cibum occupatos, ad pugnam non esse compositos; simul ipse scuto correpto, princeps agmen, tanquam ad exploratam victoriam, duxit. Milites intrepidè secuti ducem, ad hostes aliquanto minus quàm triginta stadiis adhuc distantes properarunt. Hos ita perturbavère suo impetu, ut extemplò in fugam

*Adranum urbem capit, & Icetam vincit Timoleon.*

se conjecerint: itaque non multo plures trecentis occisi sunt, capti sexcenti; capta etiam castra. Adranitæ vero portis apertis Timo- XVII
*Ostentum.* leonti se dediderunt, cum horrore & admiratione nunciantes, commisso primùm prælio, sacras templi januas sua sponte apertas fuisse, visamque Dei hastam summa cuspide concuti, faciemque sudore fluere: quibus (opinor) non præsens tantum victoria, sed & reliquæ actiones, quibus auspicatum initium ea prævit, significabantur. Statim enim urbes Timoleonti se, missis præconibus adjunxerunt: & Mamercus Catanæ tyrannus, bellicosus vir & pecuniæ vi magna instructus, societatem cum eo coivit. Sed longè
*Dionysius tyrannus Timoleonti se dedit.* omnium fuit maximum, quod Dionysius ipse, jam rebus desperatis, ac ferè expugnatus, Icetam, turpiter victum contemnens, admiratus Timoleon em, huic & Corinthiis se arcemque dedidit. Quam insperatam fortunam amplexus Timoleon, Euclidem & Telemachum Corinthios in arcem misit, ac quadringentos milites, non eos quidem confertim, neque apertè (id enim fieri non poterat, hostibus portum tenentibus) sed occultè aliis post alios intrantibus. Ita milites arcem, regiamque cum omni apparatu bellique instrumentis occupaverunt. Erant cùm haud pauci equi in arce, & XVIII
omnis generis machinæ, jaculorumq; copia: tùm armorum ea multitudo, antiquitus eò congesta, quæ septuaginta millibus hominum armandis sufficeret. Habebat etiam secum Dionysius militum duo millia, quos ipsos etiam, sicut & reliqua omnia, Timoleonti tradidit. Ipse accepta secum pecunia, & paucis aliquot amicis, clam Iceta navigio insula exiit, & ad Timoleontis castra pervenit; ac tum primùm privatus humilisque visus, unicâ navi, parvaque cum pecunia Corinthum missus est. Natus fuerat, educatusque in tyrannide omnium maxima illustrissimaque, eam per decem annos tenuerat: post Dionis expeditionem duodecim annos reliquos certaminibus bellisque fuerat jactatus, & graviora in tyrannide passus
*Dionysii tyranni mire varia fortuna.* is, quæ aliis intulerat mala. Siquidem & filiorum adultorum cædes, & filias virgines constuprari vidit, sororem eandem & uxorem suam ab hostibus vivam libidine turpissima contaminari, & vi necatam unà cum liberis in mare demergi aspexit. de quibus accurate in Dionis vita à nobis scriptum est Dionysium verò advectum Corin- XIX
thum, nemo omnium Græcorum fuit qui non videre & compellare cuperet: alii ejus calamitatibus odio ipsius gaudentes accedebant, ut abjectum à forma veluti conculcarent: alii ad fortunæ mutationem animos quoq; suos accommodantes, miserationeq; permoti, intuebantur magnam occultarum & divinarum causarum vim, quam in imbecillos. & omnium conspectui expositos exerceret homines. Neque enim ea tempestate opus vel naturæ, vel artis tale exstitit, quale fortuna in Dionysio exhibuit. Nam qui paulò ante Siciliæ fuerat tyrannus, tum Corinthi in foro obsoniorum versabatur, aut in unguentaria taberna sedebat, vinum è caupona dilutum bibens, ac cum meretricibus joco certans, cantatrices docens. ac

cum

cum illis de modulatione & concinnitate theatricarum cantilenarum contendens. Hæc alii ab eo, tanquam homine alioquin ocio indulgente, ignavoq; suapte natura, & luxuriæ dedito fieri putabant: alii, ut contemptum se Corinthiis redderet, neque terrori eis esset, aut suspicionem aliquam præberet, quasi mutationem vitæ ægrè ferens aliquid novi moliretur, de industria ita se composuisse, contraque naturam suam ocio isto stoliditatis simulationem induisse

XX existimabant. Sanè dicta quædam ejus memorantur, ex quibus apparet, præsentem vitæ suæ conditionem ita, ut erat ingenuo homine dignum, ab eo latam fuisse. Nam Leucadem avectus (quæ colonia item idem, ut Syracusæ, est Corinthiorũ) idem sibi evenisse dixit, quod pueris qui aliquid deliquissent, ut enim illi cum fratribus læti conversarentur, parentes pudoris causa fugerent: sic se quoq; verecundia urbis, quæ Syracusas & Leucadem procreasset, libenter hîc cum Leucadiis fratribus vivere. Corinthi hospiti cuidã incivilius ipsum propter consuetudinem cum philosophis (qua tyrannus adhuc delectatus fuerat) subsannanti, tandemque, *quidnam Platonis ipsi sapientia profuisset*, interroganti: *Nihilne*, respondit, *tibi videmur fructus à Platone consecuti, qui fortuna mutationem ita perferimus?* Aristoxeno Musico, aliisque nonnullis ex ipso quærentibus, unde, & quæ ipsi contra Platonem reprehensio extitisset: Tyrannis, inquit, cùm multorum sit malorum plena, nullum tamen in se tam grave malum habet, quàm quod nemo eorum, qui amici nomen usurpant, liberè cum tyranno loquitur: hi me Platonis benevolentia

XXI spoliarunt. Quidam ut facetus videretur, intrans ad Dionysium vestem excutiebat, quomodo solent, qui accedunt tyrannos: huic Dionysius cavillum reddens, jussit exeuntẽ idem facere, ne quid forte suffuratus secum auferret. Cùm Philippus Macedo in comparatione per jocum de carminibus, & tragœdiis, quas Dionysius senior reliquerat, mentionẽ faceret: simularetq; se mirari, quodnam ei ad eas componẽdas tempus vacasset, haud ineptè respondit Dionysius, tum temporis eum his rebus vacasse, quo ipse, & Philippus, aliique qui beatorũ nomine censerentur, cululis sese oblectare consuevissent. Plato quidem, antequam Corinthũ veniret Dionysius, à vivis excesserat. Diogenes verò Sinopensis, ut primum ei occurrit: Quàm indignam, inquit, te ipso vitam toleras ô Dionysi? Tum Dionysius id dictum expendens: Bene, ô Diogenes, qui fortunã nostram miseraris. Quid, ait ille, tu me tuam vicẽ dolere censes? ac non potius indignari te tantum mancipiũ ac dignum, qui in tyrannide, sicut & pater tuus, ætate exacta moriare hîc nobiscum ludentem & luxuriantem degere. Et profectò mihi cum his comparanti Philisti voces, quas de Leptinis filiabus edit, deplorans earum sortem, quæ de magnis tyrannidis bonis ad vitæ conditionem abjectam & sordidam deciderint: voces, inquam, istæ mulierculæ alicujus lamentationes videntur, alabastra, & purpuras, & aurum desiderantis. Atque huc quidem ab instituto nostro, qui vitas certorum hominũ in præsentia

*Dicta aliquot Dionysii.*

*Philosophiæ utilitas.*

*Tyrannis.*

*Ocium principum.*

*Leptinis filiæ.*

stylo

stylo persequimur, non aliena neque inutilia censemus lectorem non properantem neque occupatum aliis negociis judicaturum.

*Felicitas Timoleontis.*

Cæterùm non minus admirationis meruit Timoleontis, quàm Dionysii, inopinata fortuna. Quinquagesimo enim quàm in Siciliam venerat die, arcem Syracusarum accepit, Dionysiumq; Corinthum misit, quare animati Corinthii duo millia peditum, ac ducentos equites ei miserunt: qui cùm in Thurios usque profecti essent, difficilimum inde in Siciliam trajectum sibi fore intelligentes, cùm Carthaginienses multis navibus mare tenerent, coacti occasionis expectandæ causa ibi quiescere, ad pulcerrimũ factum ocio suo usi sunt. Thuriis enim ad bellũ Bruttiis inferendũ profectis, urbem sibi comissam ab omni maleficio illæsam summa fide perinde atq; patriam suam conservarunt. Icetes autem arcem Syracusanam obsedit, ac ne invehi navigiis cibus posset Corinthiis, prohibuit: Timoleonti verò duos milites barbaros submisit Adranum, qui eum dolo necarent. Cùm alias non exquisita corporis utebatur custodia Timoleon, tum eo tempore inter Adranitas, Deo colendo intentus animiq; securus versabatur. Itaq; percussores cùm fortè audivissent eum rem sacram facturũ, pugiones sub veste gerentes in templum venerunt, immistique turbæ aram circumstanti, paulatim se propius ad eum receperunt. Iamque in eo articulo res erat, ut sese mutuò cohortati facinus aggrederentur, cùm quidam alterũ eorum gladio in caput incusso sternit: eoq; corruente, statim ut erat cum gladio, ad saxum quoddam sublime se cursu proripuit. At percussorum alter aram complexus impunitatẽ à Timoleonte petit, omnia se indicaturum pollicitus: eamq; dante Timoleonte fatetur, se cum altero qui nunc interfectus esset, submissum, ut ipsum occiderent. Interim alter de saxo à quibusdam abreptus, adductusq; vociferatur nihil se peccasse, sed jure hominem trucidasse, qui patrẽ ipsius ante apud Leontinos interfecisset: habebatq; ejus rei nonnullos testes, qui simul fortunæ admirabantur solertiam alias per alias res moventis, & omnia è longinquo producentis, atque inter se contexentis, rebusq; diversissimis & nihil inter se habentibus commune eadem principia, eosdemq; fines accommodantis. Et hunc quidem Corinthii decẽ minis donaverunt, quod numini Timoleontis curam gerenti justo suo affectu inserviviset, iramq; suam dudum conceptam, non pridẽ exsaturasset, sed magna fortuna suã causam eo usq; reservasset, dum simul & salutem Timoleonti afferret. Atque præsens ea fortuna bonam spem etiam futurorum injecit, & in veneratione habendum sibi omnes custodiendumq; Timoleontem censebant, virum scilicet sacrosanctum, & Deũm voluntate ad vindicandam Siciliam missum. Icetes autẽ hoc suo conatu frustratus, cùm videret multos Timoleonti accedere, succensens sibi ipsi, qui tantis Carthaginiensium copiis ita uteretur hactenus, quasi earum puderet ipsum, ac furtim modò ab illis auxilia sumeret: Magonem ducem cum tota classe Syracusas accersivit. Mago classe centũ & quinquaginta navium terribi-

*Corinthiorũ in Thurios fides.*

*Insidiæ Icetæ ut elapsus Timoleon.*

*Fortuna.*

*Barbari Syracusas occupant.*

XXII

XXIII

XXIV

ribilis, portum occupavit: in urbem verò millia peditum sexaginta eduxit, atq; collocavit. Quare omnibus jam videbatur fore, id quod dudum ferebatur metuebaturq; ut Sicilia planè in potestatem barbarorū veniret. Nunquam enim Carthaginienses, inumeris quidem gestis in Sicilia bellis, Syracusas capere potuerant: tunc verò tradente eas Iceta videbatur urbs nihil esse aliud quàm castra barba-
XXV rorum. Corinthii autem in arce collocati, magno erant in periculo summisque premebantur difficultatibus: nam & cibi penuria ingruebat portibus omnibus obsessis, & continentibus pro defendenda arce certaminibus, divisi ad omne genus propugnandi defatigabantur. Tulit tamen his opem Timoleon piscatoriis naviculis ac lintribus cibū Catana subvehens, quæ maximè orta tempestate per barbarorum naves fluctibus & æstu disjectas intrabant. Quod animadvertentes Icetes & Mago, Catanā, unde commeatus obsessis adferebatur, statueruńt capere: copiarumq; robore delecto Syracusis avecti sunt. At Neo Corinthius, dux eorum qui obsidebantur, conspicatus ab arce hostes qui relicti erant custodias negligenter agere, subitò in palantes impetū fecit, cæsisq; aliis, aliis fugatis, Achradinam occupavit, quæ est Syracusarum pars validissima & optima, est enim urbs Syracusana ex multis quodammodo oppidis compacta. Ibi cùm &alimentorum, & pecuniæ magnam copiam reperisset, inde in arcem redire non ratus fore consilium, Achradinæ mœnia communivit, propugnaculisq; excitatis arci annexā custodivit. Magonem verò & Icetam jam Catanæ appropinquantes eques Syracusanus assecutus, captam esse Achradinam docuit: quo nuncio perturXXVI bati, celeriter reversi sunt, neq; capta ea urbe, quā petierant, & quam tenuerant, amissa. Atque hæc quidem hactenus gesta prudentiæne & virtuti, an verò fortunæ imputanda sint, habet res controversiam: quod hæc consecutum est, omninò fortunæ acceptum fieri debet. Milites Corinthii, quos in Thuriis commoratos demonstravimus, metu triremium Carthaginiensium, quæ duce Annone ipsos observabant, cùm fortè permultos dies mare venti agitarent, terrestri itinere per Brutios pergere statuerunt: ac partim verbis, partim vi transitu per barbaros patefacto, Rhegium pervenerunt, mare adhuc tempestate vehementi tenente. Tum Anno, ut neque exspectavit ulterius Corinthios, & frustra ibi se desidere censuit, persuadens ipse sibi, ad decipiendum hostē se callidum & sapiens inveniisse quiddā, nautas coronari jussit, triremesque suas Græcis scutis & purpura exornavit. Ita paratus, Syracusas advectus est, & juxta arcem impetuosius navigans, cum plausu risuq; clamavit, venire se devictis Corinthiis, quos trajicere ausos in mari deprehendisset: sperans, eo se
XXVII mœsticiam obsessis allaturum. Annone ad hunc modum ineptis præstigiis nugisq; intento, interim Corinthii, qui per Bruttios Rhegium pervenerant, nemine fretum custodiente, cùm ventus etiam subitò concidisset, fretumq; fluctibus vacuum & placidum apparuisset, celeriter lembis & piscatoriis naviculis, quæ ad manum erant, con-

*Neo Achradinam occupat.*

*Vt Corinthii è Thuriis in Siciliam pervenerint.*

consensis trajecerunt in Siciliam: tantaq; sunt usi tranquillitate, ut juxta naves equi etiam loris tracti traxerint. Transvectos Timoleon ad se recepit, statimque Messanam occupavit: inde compositum agmen Syracusas versum duxit, fortunæ & rebus gestis magis, quàm copiis fidens: neq; enim amplius quatuor millibus secum habebat.

*Carthaginienses Siciliam deserunt.*

Mago, ubi hoc annunciatum est, perturbatus, sibiq; metuens, in majorem adhuc suspicionem tali occasione venit. In paludibus circa urbem, quæ multam fontanam aquam potabilem, multam etiam è stagnis & fluviis ad mare defluentibus excipiunt, magnus est anguillarũ proventus, ac quolibet ibi tempore capi à quovis possunt. Has mercenarii utriusq; partis milites per ocium & inducias venabantur: ut autem erant Græci, neq; privatorũ ullas habebant odiorum causas, in prœliis strenuè pugnabant, factis induciis congredi inter se ac contabulari solebant. Tum quoq; piscationi ex æquo vacantes, de maris ejus pulcro & commodo situ, locorumq; natura sermonem habebant. Ac quidam è Corinthiorũ stipendiariis: Vos autem, inquit, cùm sitis Græci, tantam urbem, totq; bonis instructam, barbaris in servitutem tradere, pessimosque & crudelissimos Carthaginenses patriæ nostræ communi viciniores reddere studetis: contrà quos, ut Græcia plures adhuc objectas haberet Sicilias, optandum erat. An eos tantis collectis copiis venire à columnis usq; Herculis & Atlantico mari putatis, ut pro Icetæ principatu bellum gerant? cui si mens ducis fuisset, nõ sanè majores suos expulisset, neque hostes in patriam adduxisset, sed à Corinthiis & Timoleonte quantum æquum fuisset ipsum habere honoris potentiæq; impetrasset. Hic sermo à militibus per castra divulgatus, Magoni jamdudũ occasionem aliquam discedendi quærenti, ansam præbuit suspicandi se proditum. Quamobrem Iceta, ut maneret, rogante, ac, quantum hosti præstarent viribus, docente, ratus non tam se à copiis instructiorem, quam virtute & fortuna inferiorem esse, turpiter, nullumq; homine dignum secutus consilium, emissa è manibus Sicilia, subitò solvit, & in Africam navigavit. Postridie adfuit Timoleon, suosque in acie constituit: ut verò de fuga resciverunt, navaliaque deserta conspexêre, ridere subiit timiditatem Magonis, circumeunteſque in urbe præmium ei, qui indicasset quonam Mago ipsos fugiens pervenisset, per præconem polliciti sunt. Iceta tamen etiamnum in contentione perseverante, urbisq; semel apprehensæ spem tenendæ non dimittente, sed partibus, quas tenuerat, validis & oppugnatu difficilibus inhærente: Timoleon copias partitus qua maximè vi opus erat, juxta Anapum flumen urbem aggressus est; alios, duce Isia Corinthio, ab Acrathina eam adoriri jussit, cũ tertia parte Dinarchus & Demaratus, qui posteriores copias Corintho adduxerant, ad Epipolas subiverunt. Vndiq; eodem momento factus est impetus, versoq; in fugam Iceta cum suis, continuò ejectis hostibus, captæ sunt Syracusæ. Atq; id quidem fortitudini pugnantium Corinthiorum, & ducis strenuitati adscribi meritò debet; quod autem

*Syracusa à Timoleonte capta.*

nemo

nemo ipsorum neque periit, neque vulnus accepit. Timoleontis fortunæ opus est, certare quodammodo cum virtute ejus visæ, ut majorem apud homines admirationē ea, propter quæ beatus prædicaretur, quàm quorum causa laudem meritus erat, invenirent. Non enim Siciliam modò & Italiam omnem confestim fama implevit, sed intra paucos dies Græcia magnitudinem rei gestæ celebravit: adeò ut Corinthii dubitantes adhuc, an classis in Siciliā appulisset, simul & salvos suos, & victores esse acceperint. Tantus erat successus, tantam rerum gestarū pulcritudini celeritatem fortuna addenxxxii te. Arce potitus Timoleon, non (quod Dioni acciderat) parcendū ei propter elegantiam loci, magnificentiamq; operum statuit; sed cavens sibi ab ea quæ Dionem calumnijs objecerat, & ad extremum exitio fuit, suspicione, Syracusanis edixit, ut quibus esset volentib. ii ferro instructi adessent, unà demoliturī tyrannorum propugnaculum. Ascenderunt eò universi, certissimumq; libertatis principium edictum & diem illum putantes, non arcem modò, sed & domos & monumenta tyrannorum everterunt & solo æquarunt. Statim complanavit locum, in eoque ædificavit Curiam in qua judicia celebrarentur, gratificans ea in re civib. & popularem reip. statum supra tyrannidem collocans. Cæterum urbe potitus, civium paucitatem miram invenit, aliis per bella ac seditiones absumptis, aliis propter xxx tyrannos in exulium profectis. Ac tanta fuit Syracusis solitudo, ut iii magna in foro ac densa enata fuerit sylva, in qua equi tum pascebantur; equisonibus in herba decumbentibus. Reliquæ urbes, paucis admodum exceptis, cervorum erant, & aprorum plenæ in suburbanis & circum muros sæpe ocioſi homines venabantur. Neq; eorum, qui in arcibus & castellis habitabant, quisquam vocanti in urbem optemperabat: horrebant omnes oderantq; forum, rempublicam & tribunal, unde pleriq; ipsis tyranni exstitissent. Propterea visum est Timoleonti & Syracusanis Corinthū scribere, ac petere, ut è Græcia coloni Syracusas mitterentur. Alioquin & fore videbant ut agri non colerentur, & impendere magnum ex Africa bellū putabant: allatum enim erat, Carthaginienses Magoni ob bellum male administratū iratos, corpus ejus (nam mortem sibi ipse conscivérat) in crxxx cem egisse, magnasq; conducere copias, quas appetente vere in Sicilia trajicerent. Corinthii, ut redditæ sunt ipsis litteræ, simul præxv sentibus legatis Syracusanis eos obtestantibus, ut curā gererent civitatis, ac denuò eam conderent. Syracusas nequaquam sibi vindicaverunt, neq; prærogativam suam arripuerunt: sed primùm sacra Græciæ certamina, maximosque adeuntes conventus, præconē edicere jusserunt, Corinthios tyrannidem, quæ Syracusas tenuisset, evertisse, tyrannumq; expulisse: nunc quoq; liberum facere iis quicunque vellent; ut agros Syracusanos, & reliquæ Siciliæ æquis & justis conditionibus inter se dividentes, Syracusas ac reliquas Siciliæ urbes liberi suisq; utentes legibus habitarent. Inde in Asiam & insulas, ubi plurimos exsulū sparsim degere audierant, dimissis nunciis

*Arx Syracusana exscinditur.*

*Sicilia & ipsa Syracusa quam deserta.*

*Magonis supplicium.*

*Colonia ex Sicilia deducta.*

omnes

omnes Corinthum vocarunt, polliciti suis sumptibus se illis naves, ducesque, qui Syracusas eos reducerent, daturos. His ita edictis, Corinthiorum civitas justissimam pulcerrimamq; est adepta laudē, multosq; ad æmulationem excitavit: quippe quæ tyrannis liberasset regionem, à barbaris servasset, eamque suis reddidisset. Qui Corinthum convenerunt, cùm non esset justa eorū multitudo, ut ipsis adderentur coloni è Corintho reliquaque Græcia, oraverunt: cùmque haud minus decem millibus hominum collecta essent, Syracusas navigaverunt. Iam ad Timoleontē ex Italia etiam, Siciliaq; magnus hominum numerus confluxerat. Proinde cùm ad millia (ut Athanes tradit) sexaginta omnis multitudo excrevisset, agros Timoleon, ædes mille talentis vendidit: simul & Syracusanis, qui erant superstites, facultatē suas domos redimendi concedens, & populo pecuniæ copiam conficiens. Tanta enim laborabant paupertate, ut ad alios, ac belli inprimis sumptus, coacti sint etiam statuas tyrannorum divendere, suffragiis de una qualibet latis, accusataq; ea, ut tanquam homines judicio damnatæ mulctarentur. Quo quidē tempore solam Gelonis statuam, antiqui tyranni, à Syracusanis venditioni tradunt exemptam: quem honorē Geloni habuerunt ob victoriam, quam de Carthaginensibus ad Himerā fluviū obtinuit. Exsuscitata hoc pacto civitate, & undique in eam confluentibus civibus, Timoleon ut reliquas etiam urbes liberaret, omnesq; in Sicilia tyrannides exscinderet, exercitum ad urbes circumduxit. Et Icetam quidem eò adegit, ut à Carthaginensibus desciscēret, sponderetque arces se demoliturum, & in Leontinis privatam vitam acturum. Leptinem, Apolloniæ, & multorum præterea oppidorum tyrannum, cùm is se imminente jam periculo ne vi caperetur dedidisset: Corinthū misit, sem pulcrā existimans fore, si tyranni Siciliæ in eam urbe quæ Siculis civitatibus ortum præbuisset, exsules abjectæq; sortis spectarentur. Inde Syracusas reversus, ut constitutioni Reipub. animū intenderet, missisq; Corintho legumlatoribus Cephalo ac Dionysio ut summis ac præstantissimis statutis sanciendis adesset. Vt interim milites stipendiarii aliquid agerent, simulq; ex alieno viverent; cū Dinarcho & Demarato eos in Carthaginiensium ditionem misit: hiq; multas civitates à barbaris ad se pertraxerunt, ac non solùm in omnium rerum abundantia vixerunt, sed pecuniam quoq; ad belli sumptus ex præda confecerunt. Interim Carthaginienses Lilybæū appulerunt, septuaginta millia militū, ducentas triremes, milleq; onerarias adducentes, quibus machinæ, quadrigæ, frumenti plurimū & reliqua belli instrumenta vehebātur. Non enim, ut ante, parte modò Siciliæ tentare, sed tota simul insula exigere Græcos statuerant: & erat profectò copiarū satis ad subigendos omnes Siciliæ habitatores, etiam nullo morbo, intestinoq; malo vexatos & perditos. Ergo ut perceperunt, suā ditionē vastari: infesto statim agmine contra Corinthios, ducibus Asdrubale & Amilcare, profecti sunt. Nuncio rei Siracusas allato, tantus propter copiarū hostilium molem animos omnium percu-

xxxv

Gela.

xxxvi

Icetes.

xxxvii

*Carthaginiensium alia in Siciliam expeditio.*

perculit terror; ut de tot hominum millibus ægrè inventa sint tria, qui arma capere, & Timoleontem sequi auderent. Quin etiam de quatuor millibus stipendiariorum militum, mille in itinere timiditate victi discesserunt: non esse mentis comporem existimantes Timoleontem, sed insanire præter ætatem, qui septuaginta millibus hostium cum millibus peditum quinque, & mille equitibus auderet occurrere: & octidui itinere exercitum Syracusis abducere eo, ubi neque fugientibus salutis, neque cæsis sepulturæ spes appareret. Atque hos quidem magno suo commodo, antequàm prælium consereretur, timiditatem suam ostendisse Timoleon ratus, cæterorum animos dictis corroboravit, properatoque ad Crimesum fluvium duxit, quo accessisse Carthaginenses audierat. Collem jam scandentibus, quo superato erant in conspectu habituri copias hostium, muli apium portantes occurrunt. Visumque id inauspicatum omen militibus, eò quod sepulchra solemus apio coronare, indeque natum est proverbium, ut morbo periculoso laborantes *apio opus habere* dicamus. Igitur Timoleon, ut animis ipsorum superstitionem eam, metumque eximeret, inhibita profectione multa ad rem præsentem accommodata locutus, coronam ipsis ante victoriam forte fortuna oblatam in manus pervenisse affirmavit. (Corinthii enim Isthmico certamine victores apii corona ornant: quod illis sacrum est, & à majoribus acceptum ac eo adhuc tempore observabatur. nunc Nemeis apii corona datur, pinus Isthmicis servire haud ita pridem cœpit.) Tum ad multos progressus, apio primum se ipse coronavit: tum reliqui duces & multitudo idem fecerunt. Aruspices quoque ut viderunt duas aquilas advolare, quarum altera draconem unguibus transfixum ferebat, altera horrendo cum clangore volabat, militibus id augurium monstravere: omnesque ad comprecandum divos, & vota facienda conversi sunt. Erat tum temporis media æstas, finitoque Thargelione mense, solstitium jam appetebat. Nebulam fluvius multam edebat, ac caligine campum tegebat, ita ut hostes videri non possent: strepitus tantum varius & confusus sursum ad collem efferebatur, ante quem tantus exercitus se movebat. Sed postquam ad summum collem pervenerunt Corinthii, positisque clypeis requieverunt, sole jam circumagente & elevante exhalationem, turbidus aer ad sublimia evectus & densatus summa montium nubibus obtendit, humilioribusque locis expurgatis Cremesus fluvius apparuit, eumque transeuntes hostes. primo loco quadrigas agebant, terribiliter ad pugnam paratas: has sequebantur decem millia armatorum peditum, albos clypeos gestantium, quos à splendore apparatus, tardoque incessu & ordine Carthaginenses esse conjiciebant: succedebant his cæteræ nationes, & cum tumultu se invicem trudentes & impellentes fluvium transibant. Ibi Timoleon cum crederet fluvii beneficio posse fieri, ut tantam hostium multitudinem, contra quantam sibi pugnandum duceret, à reliquis separatam aggrederetur, milites intueri agmen hostile jussit flu-

*Apŷ omen. Plut. Sympos. 706.*

*Pugna Timoleontis cum Carthaginensibus.*

sit fluvio divisum, cujusque pars transivisset amnem, pars transituri adhuc moliretur. Proinde Demaratum jussit, ut cum equitatu in Carthaginenses invehetur, aciemque eorum nondum satis compositam turbaret. Ipse in planiciem degressus, cornua Siculis tuenda dedit, utrinque non magno stipendiariorum militum numero adjecto: mediam aciem ipsa cum Syracusanis & mercenariorum robore occupavit: ita paulùm moratus, equitumque operi intentus se continuit. Quibus ut vidit à quadrigis ante aciem discurrentibus obstari, quo minus aggredi Carthaginensem aciem possent, cogique eos ne dissiparentur, continuò se recipere, ac subinde conversis equis impetum rursus facere: arrepto clypeo, peditibus ut firmo essent animo, ac sequerentur, inclamavit. Vox ea nimia, majorque consueta visa fuit militibus, sive is instante certamine animo commotus, & quasi furore concitus eam intendit: sive Deus quispiam (id quod tunc plerique crediderunt) acclamavit. Reddentibus extemplò clamorem pedibus hortantibusque ut statim duceret, signo equitibus dato ut equos extra quadrigarum ordinem averterent, & in cornua hostium pugnarent: ipse prima acie stipata, classicum canere jussit, & Carthaginenses aggressus est. Primum incursum fortiter ii sustinuerunt, utque erant corpora septi thoracibus ferreis, æreis galeis, ac clypeis protecti magnis, hastarum ictus facile depulerunt. Verùm ubi ad gladios res pervenit, quod pugnæ genus non minus artis quàm roboris requirit, subitò à montibus terribilia tonitrua, & ignita fulgura eruperunt: tum caligo, quæ colles & jugà montium insederat, cum imbre, vento & grandine in locum ubi pugnabatur decidit, à tergo Græcos tangens: Carthaginensibus verò facies feriebantur, & fulguribus oculi perstringebantur, simul humida procella, & continua flamma è nubibus continenter erumpente. Multa erant hîc quæ læderent, maximè imperitiores: omnium tamen maximè incommodasse ipsis videntur tonitrua, strepitusque armorum vehementi imbre & grādine percussorum, obstans, ne exaudire mandata ducum possent. Carthaginenses porrò non levi armatura utentes, sed (ut dixi) gravibus armis septos cùm limus impediebat, tum sinus tunicarum aqua repleti gravabatur, & pugnæ minus habiles reddebat, eoque facilius à Græcis disjiciebantur, semelque lapsi, è cœno resurgere cum armis nequibant: nam & Crimesus imbribus auctus intumuerat, & eluvionem transcuntium multitudo fecerat; præterea ipse campus multis convallibus subjectus, torrentibus replebatur incerto alveo fluentibus. Quibus omnibus Carthaginenses in summam difficultatem adducti, tandem tempestate urgente, & in prima acie quadringentis à Græcis prostratis, in fugam se verterunt. Multi tum in planicie ab hostibus insequentibus deprehensi & confossi sunt, multos fluvius in eos qui adhuc transibant incidentes abreptos perdidit. plurimi ad tumulos tendentes, ab expeditis Græcorum militibus sunt interfecti. Ferunt, inter eos qui ea in pugna cecidérunt, quorum numerus decem millia

XLI

*Tempestas Timoleontis pugnanti opitulatur.*

XLII

XLIII

impleve-

implevit, tria millia Carthaginenses fuisse: quæ clades maximum urbi luctum attulit. Natalibus enim, divitiis, gloria præstantiores nulli supererant: neque unquam tot Carthaginenses una pugna se amisisse cives memorant, soliti alias Afris, Hispanis, & Numidis uti
XL in prœliis, alienisq; detrimentis clades suas sustinere. Spolia qui-
III dem Græcos docuerunt, quanti nominis hostes occidissent arma enim ærea & ferrea minimè inter legendum curabant: argenti erat, aurique abundè. Transiverunt etiam flumen, castraque & jumenta ceperunt. Captivorum hominum etsi plerosque milites suffurati essent, tamen in publicum adducta sunt millia, quinque: captæ etiam ducentæ quadrigæ, pulcherrimum verò & magnificentissimum spectaculum præbuit Timoleontis tentorium, omni genere spoliorum circum acervato, inter quæ mille thoraces, summo artificio & elegantia elaborati, clypeorumque decem millia proponebantur. Pauci autem multis spolia detrahentes, magnisque opibus ibi potiti, tertia demum post pugnam die trophæum erexerunt. Simul cum nuncio victoriæ Timoleon Corinthum misit pulcherrima de captis armis delecta, ut ad patriam suam omnium ora converteret, quod in ea tantum Græciæ totius urbe templa illustrissima non manubiis Græcorum, neque cæde cognatorum partis donariis ornata, tristem recordationem offerrent, sed spoliis barbaricis essent decorata, quorum pulcherrimæ inscriptiones testarentur, quàm & fortes, & justi fuissent ii, qui victoriam peperissent. nimirum Corinthios eorumque ducem Timoleontem, Græcis, qui Siciliam incolunt, liberatis, de Carthaginensibus victis hæc dona Diis pro gratiarum actione su-
XLIV spendisse. Post hæc relictis in ditione hostium stipendiariis militibus, qui eam popularentur, Syracusas rediit: & mille istos, à quibus eum ante pugnam destitutum ostendimus, Sicilia discedere, ac ante solis occasum Syracusis exire edicto jussit. Hi cùm in Italiam trajecissent, à Brutiis violata fide cæsi sunt, hac eis proditionis pœna divinitus irrogata. Mamercus interea Catanæ tyrannus, ac Icetes, sive fœlicitati Timoleontis invidentes, sive eum tyrannis implacabilem metuentes, societatem cum Carthaginensibus junxerunt, copiasque & duces ut mitterent, postulaverunt: futurum alioquin, ut Siciliam omnem amitterent. Missus est Gisco cum navibus septuaginta: isque Græcos milites mercede primus Carthaginensium conduxit, tunc demum in admiratione ab illis habitus, ut qui omnium hominum essent invictissimi ac bellicosissimi. Omnes igitur conjunctis viribus in agro Messanensi quadringentos, stipendiarios milites, à Timoleonte subsidio missos occiderunt. Inde in ditione Carthaginensium apud Hieras, mercenarios milites, qui
XLV erant cum Euthymo Leucadio, occiderunt. Quibus ex rebus maximè illustris facta est Timoleontis fœlicitas. Hi enim milites Philodemum Phocensem, & Onomarchum in capiendis Delphis adjuverant, sacrilegiique eorum socios sese præbuerant: inde exsecrationibus acti cùm per Peloponnesum vagarentur, omnibus eos odio

*Pœna desertoribus irrogata.*

*Sacrilegi divinitus supplicio dediti.*

prosequentibus, ac vitantibus, à Timoleonte alios milites nullos inveniente, adsciti sunt: cúmque in Siciliam veniissent, omnibus è prœliis eo duce commissis, victores reversi, maximis jam & plurimis certaminibus peractis, auxilio aliis à Timoleonte missi, perierunt: non confertim quidem omnes, sed alii alio modo. Adeo vindicta divina cùm fortunæ Timoleontis videretur incommodatura, se excusa vit, ita illos puniendo, ut ne quod inde ad bonos damnum rediret. Itaque Deorum in Timoleontem benignitas, non minus rebus ejus parum secundis, quàm prosperis admirationi fuit, At Syracusani vulgo indignabantur, sibi à tyrannis insultari. Nam & Mamercus, qui se carminibus tragœdiisque componendis jactabat, victis stipendiariis militibus, clypeos Diis consecrans, versibus his contumeliosis eos inscripserat:

*Auro, ebore, electro pictos, ostroq; superbos*
*Hos clypeos peltis cepimus exiguis.*

His actis, cùm Timoleon Calauriam exercitum duxisset, Icetas in agrum Syracusanum irrupit, magnaque parta præda, cùm multa damna regioni intulisset, superbeque plurima fecisset, contemptu Timoleonte, qui paucos secum milites habebat, juxta Calauriam suos abduxit. Sed hic passus eum præterire, cum equitatu & expeditis militibus insecutus est. Quod ut sensit Icetes, transgressus Damyriam fluvium, in ripa substitit cum Græcis pugnaturus, animatus cùm profluentis difficili transitu, tum utriusque ripæ præcipitiis. Cæterùm contentio mira ductoribus militum Timoleontis inciderat, quæ pugnam retardaret: nullus enim eorum post alterum transire volebat, sed unusquisque primus hosti manum conferre cupiebat: ideoque nullo ordine transibant, mutuò se præterire cupientes, atque impedientes. Quare ut sorte rem dijudicaret Timoleon, à quolibet ducum accepit annulum: omnibus iis in chlamydem conjectis suam, ac mixtis, primum forte eum extraxit, cui erat insculptum trophæum. Hoc viso milites magno cum gaudio clamorem sustulerunt, neque jam sortem reliquorum expectavere, sed summa pro se quisque celeritate fluvium transeuntes, cum hostibus confixerunt. Hi verò impetum Græcorum non sustinuerunt, sed in fugam acti universi armis suis exuti, mille autem cæsi sunt. Paulò post in agrum Leontinum duxit Timoleon, Icetamque & filium ejus Eupolemum, equitatuique præfectum Euthymum vivos cepit, à militibus vinctos sibi adductos Icetes cum filio, ut tyranni ac proditores, morte affecti statim sunt: Euthymus quoque vir bello strenuus, & audacia præstans veniam non est consecutus, quod convicium Corinthiis ab eo factum deferebatur, Corinthis in Siciliam expeditionem facientibus, pro concione ad Leontinos dixisse eum rumor erat, nihil formidabile, neque terribile evenisse, si

*Corinthiæ mulieres exissent domo.*

*Icetas victus perit.*

XL VI

XL VII

*Maledicentiæ præmium.* Adeò plerique maledictis quàm malefactis gravius lædantur, difficiliusque contumeliam perferunt, quàm damnum: quod facto se defendere

fendere hostibus propter necessitatem concessum videtur: in conviciis nimium quiddam inesse vel odii vel maliciæ creditur: Reverso Timoleonte, Syracusani uxores Icetæ ejusque necessariorum, filiasque in concionem ad judicium protraxerunt, damnatasque morte multarunt. Hoc omnium Timoleontis factorum inhumanissimum habetur: neque enim eo invito necatæ fuissent. Videtur autem eas neglexisse, iræ civium concedens, qui Dionem (eum qui Dionysium ejecerat) ulciscebantur: hujus enim uxorem Aretam, sororemque Aristomacham, filiumque adhuc impubem Icetas vivos in mare de-
XL jecerat, ut in vita Dionis retulimus. Secundum hæc Catanam con-
VIII tra Mamercum exercitum adduxit, eumque apud amnem Abolum congressum prœlio fudit: ac ultra duo millia hostium delevit, quorum haud exigua pars erant Pœni, à Giscone auxilio missi Mamerco. Inde Carthaginenses pacem cum eo fecerunt, impetrato ut regionem intram Lycum ipsis liceret obtinere, pactoque, ut iis qui inde Syracusas vellent commigrare, bona sua & liberos restituerent, fœdusque cum tyrannis factum rescinderent. Mamercus ergo spe lapsus in Italiam navigavit, ut Lucanos adversus Timoleontem & Syracusanos adduceret. Sed qui cum eo vehebantur, retrò actis triremibus, repetitaque Sicilia, Catanam Timoleonti tradiderunt: quo facto coactus ipse quoque ad Hipponem Messanæ tyrannum con-
XLIX fugit. Timoleonte superveniente, urbemque terra & mari oppugnante Hippo navi aufugere conatus, deprehenditur. Hunc cives, pueris è schola ad tyranni supplicium tanquam spectaculum pulcherrimum, in theatrum adductis, excruciatum necaverunt. Mamercus ea conditione fidei Timoleontis se commisit, ut causam dicere apud Syracusanos sibi, ipso non accusante, liceret. Vt venit Syracusas, ad populum progressus, orationem jam pridem à se compositam pronunciare incœpit. Exceptus autem tumultibus, vidensque implacabilem sibi populi iram, projecta toga per medium theatrum cucurrit, caputque subsellio cuidam illisit, ut mortem sibi eo pacto inferret. Non tamen eum finem vitæ consecutus est, sed vivus adhuc abductus, & eò quò latrones solent, supplicio affectus obiit.
L Hoc modo tyrannides Timoleon excidit, hostes oppressit, & insulam, quam malis planè vastatam, desertamque & incolis invisam adierat, ita pacavit atque excoluit, ut omnes desiderio ejus habitandæ tangerentur, & unde prius fugissent habitatores, eò habitandi causa peregrini navigarent. Agrigentum enim & Gelam urbes magnas post Atticum bellùm à Carthaginensibus everias, tunc frequentare cœperunt, alteram coloni cum Megello & Pheristyo ab Elea, alteram cum Gorgo ex insula Ceo profecti collectis vetustis earum civibus: quibus ille non modò securitatem & quietem post tantum bellum præstitit, sed & in aliis omnibus rebus constituendis ita operam suam navavit, ut eum perinde atque civitatum suarum conditorem diligerent. Iidem erant reliquorum erga Timoleontem animi: neque ulla pacificatio, legumlatio, agri divisio, civitatis consti-

*Mamercus vincitur.*

*Hippo tyrannus Messanæ.*

*Mamerci exitus.*

*Agrigentum & Helas instauratur.*

tutio videbatur rectè habere, ubi non ille interfuisset, ac ornatum, & tanquam opifex rei perfectæ, gratiam quandam Diis acceptam decusq; addidisset. Cùm enim eo tempore multi fuerint inter Græ- LI
cos magni viri, qui res præclaras gesserint, ut Timotheus, ut Agesilaus, ut Pelopidas & (quem maximè sibi ad imitandum Timoleon proposuerat) Epaminondas: eorum tamen facta violentiæ & labo-
ris splendorem commixtum habuerunt, ac nonnulla ex iis reprehensio & pœnitentia subsecuta est, Timoleontis factis, fratris cæde (quam necessariò patravit) excepta, nulli non potuit, (ut Timæus auctor est) acclamari Sophocleum illud:

*Quænam Venus, vel quis Cupido, Dij boni,*
*Comitatur hunc & adjuvat semper virum?*

Nam quemadmodum Antimachi Colophonii versus, Dionysiique eadem urbe nati picturæ vim in se quandam, nervosque habentes labore multo facta & quasi vi expressa videntur: Nicomachi verò tabulis, & Homeri poematibus præter reliquam gratiam & vim hoc quoque inest, ut promptè & nulla cum difficultate effecta videantur: ita Epaminondæ Agesilaique rebus militia gestis, multo labore ac periculis confectis, si Timoleontis facta conferantur, ultra pulchritudinem etiam id habent, quod perfacilè videbuntur perpetrata: atque ea, qui sano sunt & æquo judicio, fortunæ, sed virtuti fortunatæ adscribent. Quanquam ipse quidem omnia fortunæ acce- LII
pta tulit: nam & scribens ad amicos, & pro concione ad Syracusanos, non semel fassus est, Deo se gratias habere, qui cùm statuisset Siciliæ salutem afferre, nomen ipsius ei rei inscripserit: & cùm apud domum suam fanum conderet, Forti fortunæ aram posuit, ipsamque deorum sacro genio consecravit. Hanc ei præclarè gesti imperii, præmium eximiam Syracusani dederunt, agrorumque omnium jucundissimum & pulcherrimum, in quo ocii maximam partem exegit, accitis è patria ad se uxore & liberis. Non enim rediit Corinthum, neque se tumultibus Græcis immiscuit, aut invidiæ civium objecit, in quam plerique duces nimia honorum & potentiæ cupiditate provecti impingunt: sed Syracusis remansit, ut bonis à se paratis frueretur, quorum erat maximum quod tot urbes, totque hominum millia videbat ipsius ductu feliciter vivere. Enimverò LIII
quando non tantum omnibus cassitis (ut ait Simonides) cristæ nantur: sed & in unaqualibet populari reipub. administratione syphantæ existunt: Timoleontem quoque duo populares oratores, stius & Demænetus, invaserunt. Et Laphystio quidem; eum de causa vadante, cives tumultuantes, ac impedire cupienbuit Timoleon, libenter se tantos labores ac pericula pequiens, ut omnibus Syracusanis uti legibus liceret. Demæautem in concione multis verbis bellum ab eo administratum identi, nihil respondit, nisi quod Diis gratias se debere ingentes sus est, à quibus votis hoc contendisset, ut videre posset Syracusanos libertatem adeptos. Atque is vir, cùm haud dubiè magni- LIV
tudi-

*Timoleon [illegible] vaticinatus.*

*Fortuna quantum tribuerit Timoleonti.*

*[illegible] & [illegible]*

tudine & præstantia factorum neminem sui temporis Græcorum parem sibi haberet, soluſque ea præstitisset, ad quæ obeunda in solemnibus Græciæ conventibus hortari oratores solebant: cùm & illa mala, quæ antiquam Græciam invaserunt, purus sanguinis & innocens, fortuna alio abducente, effugisset, & barbaris tyranniſque vim suam fortitudinemque, Græcis autem, ac eorum ſociis juſtitiam & clementiam ostendisset; plurima trophæa nullo propè civium luctu parta statuisset; Siciliam intra octavum annum malis diuturnis, morbisque jam familiaribus expurgatam incolis tradidisset: provectus jam ætate visus obscuritate laboravit, ac post modò ſenſim prorsus captus est luminibus, cùm neque ullam ipse sibi ejus mali causam attulisset, neque fortunæ injuriæ id imputaret: ingenerato videlicet eo malo cauſaque, quæ deinde ſuo tempore erupit: nam haud pauci ejus cognatorum similiter feruntur ætate oculorum usum emarceſcentem, ad extremum amisiſſe. Athanes author est, bello adhuc contra Mamercum & Hipponem durante, apud Mylas ei cæcitatem accidisse, eumque caſum nemini obscurum fuiſſe: neque tamen eum propterea obsidionem ſolviſſe, ſed in bello perſeveraſſe, tyrannoſque in ſuam redegiſſe poteſtatem: inde Syracuſas reverſus, ſtatim imperio ſe abdicaſſe, civibus rogatis, ut ſibi, rebus optimo in ſtatu collocatis, hoc bona eorum gratia liceret.

*Summa laudum Timoleontis.*

*Timoleon oculis capitur.*

LV Et fortaſſis minus mirum eſt, tam æquo animo cæcitatem ab ipſo latam: Syracuſanorum in eo viro honorando, referendaque gratia ſtudium admirationem profecto meretur. Nam & ipſi cæcum inviſerunt frequenter, & hoſpites domum ejus adduxerunt, qui benefactorem ipſorum intuerentur. maximæque illis delectationi fuit & lætitiæ quod is tam feliciter geſtis rebus eum ſibi ſplendidiſſimum in patriam reditum paraviſſet, apud ipſos vivere maluiſſet. Etſi autem multa ac magna decreta facta ſunt in ejus honorem, tamen id nulli omninò poſtponendum eſt, quod conſtituit populus Syracuſanus, ut quotieſcunque contra exteros bellum incideret, Corinthio duce uterentur. Magno etiam honori fuit, quod minores cauſas ipſi dijudicantes, ſi quid gravius accidiſſet, ipſum in concionem advocarunt. Tum ipſe bigis per forum invectus in theatrum advenie-

*Honores ei cæco a Syracuſanis habiti.*

bat, atque ita ut ſedebat intro geſtatus, una totius populi voce ſalutabatur: inde viciſſim ipſis ſalutem precatus, ac nonnihil temporis eorum laudationibus acclamationibuſque largitus, audita deinde re, de qua deliberaretur, ſuam ferebat ſententiam: ea approbata miniſtri bigas à theatro abducebant, cives cum clamore & plau-

LVI ſu eum proſecuti, poſtmodo de repub. ipſi ſtatuebant. Hoc in honore ſenectutem ſuam exigens, cultus ut pater reipub. cum ſumma omnium benevolentia, levi morbo cõfectum annis corpus invadente, exſtinctus eſt. Dies aliquot definitæ ſunt, intra quos & funus Syracuſani pararent, & vicini peregriniq; ad id ducendum cõvenirent. His exactis, cum reliqua magnifice peracta ſunt, tum lecti ſuffragio adoleſcentes primarii feretrum ſubierunt, ſplendideque ornatum

per regiam Dionysiorum tunc solo æquatam extulerunt. Comitata est funus virorum mulierumque infinita multitudo: quorum adspectus solenni festo, haud erat absimilis, omnibus coronatis, & pura in veste conspicuis: voces autem, lachrymæque vocibus, quibus mortui felicitatem prædicabant, commixtæ; non quibus honorem debitum ei persolverent, officioque, quod esset eis decreto injunctum, defungerentur, sed quæ justum viri ejus desiderium, & gratiam à vera profectam benevolentia testatam facerent. Tandem LVII feretro rogum imposito, Demetrius, omnium præconum vocalissimus, decretum tale de scripto recitavit: *Populus Syracusanus Timoleontem hunc Timodemi F. Corinthium, ducentis in funus collatis minis sepelit: honorandum autem in omne tempus certaminibus Musicis, equestribus, gymnicisq; decrevit: propterea quod tyrannis dejectis, debellatisq; barbaris, maxime urbes ut frequentarentur, effecit, legesq; suas Siculis restituit.* Humatum est corpus ejus in foro, sepulcroque postea temporis porticus circumducta, palæstraque inædificata, ubi juvenes exercerentur, & gymnasium *Timoleonteum* appellata. Syracusani republ. & legibus utentes, ut Timoleon instituerat, multum temporis magna cum felicitate exegerunt.

## IN TIMOLEONTEM AN. notationes.

*Sequitur hec historia vitam Dionis à Plutarcho nostro descriptam. Eadem apud Diodorum Siculum extat lib. 16. quem nonnulli Philippum inscribunt. Quo ex libro satis apparet, res gestas ejus in Olympiadem* CIIX. *& ab V. C.* CCCCVII. *incidisse, quo fere tempore bellum sacrum sive Phocium à Philippo Alexandri Magni patre confectum est. Apud Romanos æqualem habuit M. Valerium, qui primus Corvinus dictus est. Timoleontis res gestas Timæum peculiari opere exornasse, auctor est apud Luceium* Cicero: *sed id nihil ad nostrum institutum. Videri sanè potest Æmilii vita ante hanc ponenda, quod & ex præfatione istius apparet, & secutus est interpres Gallicus, quia etiam in Latino libro Paulus ante Timoleontem ponitur. Sed nos exemplar nostrum, & morem alias Plutarcho usitatum sequi maluimus: præsertim cùm nihil obstent ea quæ dixi, Plutarchi verba: & ipse in Demosthene videatur ostendere, se ætate superioris vitam solitum priori loco exponere.*

Cap. 1. Dissipatis iis qui in asserenda libertate.) *Διεσπασε est in Græco, quod Antonius Tudertinus interpres, contrà vocabuli naturam & historiæ rationem,* insurgere *reddit. Idem nullo sensu extulit,* quod de militibus cæteras urbes obtinentibus dicitur: *& (ut uno verbo dicam) pleraq; & hic & alibi negligentissimè transtulit, sicuti locis ostendam aliquot. Paulò post pro ἀμιδων, legi ἐμμιδων: nam milites non solebant nullo stipendio tyrannis inservire.*

Cap.

Cap. 2. Occulta cum Carthag. colloquia.) *κρύφα διείλεκτο, quod fuit ἀπὸ τοῦ διαλέγεσθαι, colloqui. Nam nihil est sensus in Tudertina versione.*

Cap. 3. Timoleontem Timodemi.) Timenæti *est apud Diod.*

Ibid. Timoleontem, qui vitia ejus.) *Absurde ad Timophanem isthæc retulit Antonius: & quod est in Græco, ἃ δ' ἡ φύσις ἐξέφερεν ἀστεῖα, admodum infacetè ad urbanitates nescio quas & facetias detorsit. Vocat autem ἀστεῖα,* elegantia *& quæ commendare hominem possent. τὸ σπουδαῖον, καὶ θαύματος ἄξιον, αἰδέσιμον, χάριεν, hoc vocabulo notari testantur etiam lexicographi, id est* rem alicujus precii, admiratione, veneratione, gratia dignam: *quomodo Stephanus apud Lucam cap. 7. Act. Apost. de Mose. καὶ ἦν ἀστεῖος τῷ θεῷ,* eratque gratus seu acceptus Deo. *ut ibi annotavimus. Sic de veratro usurpavit Strabo non indisertus auctor, lib. 9.* Post Crissam inquit, Anticyra est. Hoc nomine & alia est ad Maliacum sinum sub Oeta, ubi præstantem (ἐλλέβορον τὸν ἀστεῖον) elleborum nasci ajunt: sed in hac Anticyra rectius præparari, *&c. Interpres ibi* urbanum elleborum *vertit, admodum inurbanus ipse: isti autem (quos supra notavi) emendatores neglexerunt hoc, ut innumera alia: nihil enim curat Hippoclides. Et verò qui Latinam veterem legeret Strabonis versionem, aut Græci sermonis esset imperitior, dubitare poterat quid nam rei esset* urbanum veratrum, *rurali ne opponeretur, an sponte suam nascenti, cùm hoc videatur vocabulo urbani indicari. Latinè enim vix dices* urbanum vinum, urbanam carnem, *pro* bona & præstanti. *Vide, si lubet, Plinium lib. 25. cap. 5. Hoc obiter monere, neque ab isto loco, neque à proposito nostro visum fuit alienum.*

ἀστεῖον.

Strabonis locus.

Cap. 8. Nollem profecto inquit.) *Paulo planius in vita Phocionis hoc dictum proponitur, & in Apophthegmatis. Valer. lib. 3. c. ult. explicat fusius ac disertius, nam hic nonnihil est obscuritatis, quam auxit interpres.*

Cap. 12. Vel si arte iis evitatis.) ἢ στρατηγήσαντες ἥκοιεν. *Omisit hanc particulam* Tudertinus, *id quod fieri sine magna sententiæ jactura non potuit: cùm altera pars deliberationis in eo fuerit posita, si Siciliam attigissent, quomodo bellum adversus tantas hostium copias deberent gerere. Est autem non ἢ, sed εἰ legendum. Et significat hoc loco στρατηγεῖν,* arte vel consilio imperatorio *(quod Strategema dicitur)* uti, *quali astu deceptis Pœnis in Siciliam pervenit Timoleon. Inde est compositum κατὰ στρατηγεῖν, vox Plutarcho aliisq; historicis non inusitata: estque paulò post κατεστρατηγῆσθαι* callido imperatoris consilio superatum esse.

Cap. 14. Iocandi occasionem Rheginis.) διατριβὴν τοῖς, ῥηγίνοις παρεῖχον, *&c. Nimis quam inepté & imperité Tudertinus:* Carthaginenses Rheginos admonebant quod si Phœnices sint, iis qui per fraudem abierunt, inimicentur. *quasi verò Pœnos petiisse à Rheginis, ut si ipsis faveant Corinthiorum inimici fiant, Plutarchus scripserit: aut hæc interpretis verba absque interprete intelligi possint.*

*Sensus est: Pœnis stomachantibus, quod fraude essent à Timoleonte circumventi, subijt Rheginis ridere & jocari de eorum perversitate, qui omnium hominum infidissimi & fraudulentissimi, in aliis reprehenderent id, quod propè sibi laudi ducerent, uniceq; usurparent. Nam Pœnorum astus & fides lubrica, etiam proverbiis nobilitata est: & tunc contra Cretenses cretizavit Timoleon* φοίνικες *aliquoties hic vocat* Pœnos *Plutarchus, cujus rei causa vulgo nota est: scilicet, à Didone ex Phœnicia in Africam deductam coloniam, & conditam Carthaginem.* διατρίβην *autem* materiam risus & iocorum ac facetiorum *significare, non est novum: & sic in Pericle de Damone dixerat Plutarchus.* ἐξωστρακίσθη, καὶ παρέσχε τοῖς κωμινοῖς διατριβὴν *& in vita Arati.* δυατριβὴν οἱ τῶν διογένους καὶ γέλωτα πολὺν παρασχόντες, ἀπηλλάγησαν. *Sic & Dio noster lib. 47. de M. Varrone,* καὶ ὁ μὲν διατριβὴν καὶ γέλωτα ἐπὶ τούτῳ ἀφλίσκανε.

Cap. 23. Cùm quidam alterum.) *Totam historiam, quæ profectò ostendit, quid casus in rebus humanis possit,* Tudertinus *depravavit, & Timoleontis socium dixit ab altero percussorum ictum: cùm alter percussorum à quodam sacrificiis adstante, cæcus apertè dicatur. Neque enim est* ἑταῖρον *in Græco, sed* ἕτερον: *& si illud fuisset, quid voci* αὐτῶν *fieret? aut quid significaret? aut cur* Timoleontis *socium potius quàm percussoris indicaret?*

Cap. 24. Decem minis donaverunt.) ἐστεφάνωσαν δέκα μναῖς. *quod ad verbum est,* coronaverunt decem minis: *ut videri possit de corona accipiendum. Ego tamen puto vocem* στεφανοῦν *in genere hic esse,* præmio afficere. *Sicut coronæ erant facinorum, aliquando & victoriarum præmia. Ita etiam in Dione noster auctor loquitur,* οἱ μὲν συρακούσιοι, τοὺς ξένους ἑκατὸν μναῖς ἐστεφάνωσαν.

στεφανοῦν.

Ibid. Sicilia planè in potestatem barbarorum veniret.) τὴν πάλαι λεγομένην καὶ προσδοκωμένην ἐμβαρβάρωσιν. *En quàm insulsè locum apertissimum noster: tantam inquit visam fuisse Punicam classem, ut omnem priscam futuramque barbariem (hoc enim vocabulo* populum barbarum, *aut* nationem barbaricam *intelligit) in Siciliam traijcere putares. Est autem* ἐμβαβάρωσις, *nihil tale, sed cùm à barbaris occupatur regio aliqua, & in barbariem quasi redigitur: sicut majorum & nostra ætate à* Turcis *Vngariæ & Illyrici partes quædam. Hanc calamitatem qui accipiunt,* ἐμβεβαρβαρῶσθαι *multis Græcis scriptoribus dicuntur: & vocabulo* ἐμβαρβαρῶσαι, in barbariem redigere, *mox ipse utitur Plutarchus: & de Epheso initio Lysandri,* κινδυνεύουσαν, ἐμβαρβαρωθῆναι. *& est aliàs etiam* βαρβαρῶμαι *pass.* barbarus fio. *Hinc illud* Tyndares *ad Menelaum prope adagium apud Euripidem* ὀρέστῃ.

ἐμβαρβάρωσις.

βεβαρβάρωσαι, χρόνιος ὢν ἐν βαρβάροις.

*Non multò post, id quod de Syracusis dicitur, eam ex multis constare partibus, & quasi urbibus, misere depravata loci totius sententia, ad Achradinam detorsit. Quod enim* βρεττιοὺς Bruttios, Bracteos *vertit, ridiculum est: sicut & infra* λευκανοὺς Leucanos *dixit pro* Lucanis.

Cap.

Cap. 31. Ea, propter quæ beatus prædicaretur, quam quorum causa laudem meritus ) τῶν ἐπαινουμένων, τὰ μακαριζόμενα. Tudertinus obscurius: Quo felicitatem viri magis, qui audiant, quam laudes ejus mirentur. *Alludit autem Plutarchus ad id quod in philosophia explicatur, felicitatem esse aliquid virtute sublimius & perfectius: & ut virtus laudem meretur, ita illam laude aliquid præstantius, nempe honorem & admirationem, secum trahere. Qua de re disputat Aristoteles cùm alibi, tum lib. ad Eudemum secundi initio, & cap. 12. lib. primi Ethicorum ad Nicomachum. Porrò autem hic* prospera fortuna *largo vulgi judicio pro ipsa* felicitate *sumitur,* εὐτυχία ἀντὶ τῆς εὐδαιμονίας: *quæ quid differant, alibi docetur.*

Cap. 35. Ut Athanes tradit.) ὡς ἄθανις εἴρηκεν. *Sed & interpres* ἀθάνης *legit, & ita legendum conijcio ex Diodoro Siculo, qui proximè finem libri decimi quinti ejus meminit,* ἀθάνας, *inquiens,* ὁ συρακούσιος, *& c. ubi ostendit, quot libris quorum temporum historiam is exposuerit. De victoria Gelonis de Carthaginensibus, vide Diodorum lib. 11.*

Cap. 38. Ad Crimesum fluvium.) κρίμισον *reliqui, eo quod constanter ita hic legitur. Sané Crimisum, per* ἰώτα *malim, ex Strabonis lib. 6. Dionys. Halic. lib. 1. ubi de Aegesta Siciliæ loquitur: ex Suida & aliis. Apud Virgil. feré in omnibus codicib. lib. 5. & in Servianis etiam commentariis:* Crinisus, *N. pro M. posito (sed vitiosè) invenias. apud Lycophronem & ejus interpretem ZeZem, duplici* Σ Crimissus *legitur. Cæterùm quæ sequuntur de apio & Isthmica corona, explicantur ab ipso Plutarcho lib. 5. cap. 3. Convivalium.* Virgilius.

Cap. 39 Decem millia armatorum.) μυρίοις ὁ πλίταις. *Puto autem certum (ut & alias fieri assolet) numerum hic significari: idq; etiam ex Diodoro apparet. nam interpres incertum accepit.*

Cap. 42. In summam difficultatem adducti.) χαλεπῶς ἀπήλλαττον. Tudertinus *seu oscitantia seu ignorantia Græci sermonis,* difficulter liberatos *reddit. Est enim* ἀπαλλάττειν liberare: *sed cùm transitivum (ut vocant) est, & accusativo construitur. Absolute positum aliter significet. Sic paulò ante dixerat noster hoc ipso libro,* ἐπισφαλῶς καὶ χαλεπῶς ἀπήλλαττον, Erant in extremo discrimine constituti. *Sic & Polybius libro primo de navibus.* κακῶς ἤδη ἀπαλλάσσουσαι. *sic alij.*

Cap. 44. Invictissimi.) *Quod, quid sit, est nimis quàm notum. Interpres:* fide dignissimos *extulit, non optimâ fide. Iam quod conspirationem Messanæ factam esse ait, est contra verba auctoris.* Philomelum *autem* Philodemum (φιλόδημον) *vocat Plutarchus constanter, nisi si fallunt codices. astipulantur certe Diodoro & Iustini exemplaria, lib. 9. & in Phocicis Pausanias.*

Cap. 45. Adeo vindicta divina ) *Sic* τὴν δίκην *verti posse arbitror. Interpres locum perverterat:* μηδεμία *est, non* μηδεμιᾶ *legendum. & post in Mamerci versu mensura postulat* χρυσελεφαντηλέκτρους. *Spondaicum in hoc genere admitti nemo negaverit, nisi qui ne Latinos quidem scriptores cognoverit.*

Cap.

Cap. 46. Calauriam exercitum duxisset.) *Non est obscurum, notari aliquem hoc nomine Siciliæ locum, tametsi nihil dum de eo nobis aliunde constet. Ad* Calabriam *quidem Italiæ regionem detorquere, ut fecit Tudertinus, aut insulam Peloponnesi Trœzeni oppositam (quod possit fortassis somniare Geographiæ imperitus) historia non sinit. Ne cætera quidem noster recte reddidit.*

Cap. 47. Corinthiæ mulieres.) *Non satis expressit scomma Tudertinus, nescio quam recte intellexerit. Exprobraret autem Corinthiis molliciem Euthymus, & curiositatem, quod imbelles ipsi, domi tamen se non continerent, sed alienis rebus ingererent. Atque ad hoc dicterium abusus erat versu Euripideo, quanquam alio detorto, & (uti solent hoc modo faceti homines facere) crinibus quasi attracto. Est autem in Medeæ tragœdia versus iste, exordium excusationis, qua Medea se Corinthiis matronis purgat, quod eò relicta patria accessisset: ibi ἐξῆλθον primæ personæ est singularis numeri: Euthymus pro tertia persona pluralis numeri (nam eodem modo & hæc enunciatur) arripiens, diversissimo sensu in Corinthios torsit, vocativis quoque illis κορίνθιαι γυναῖκες nominativorum loco acceptis: atq; ita versiculum quasi proverbialem fecit. Argutum sane cavillum, nisi materia formæ officeret. Martialis minori periculo ad Homeri versum allusit, in coci nomine subsannando;*

Cùm tibi Mystyllus cocus, Æmiliane, vocetur,
Dicatur quare non Taratalla mihi?

*Est enim apud Homerum in victima mactanda de ministris μέστυλλόν τ' ἄρατ' ἄλλα. uti notum est. Sed hæc satis.*

γενεὰ, *liberi.*

Cap. 48. Bona sua & liberos.) χρήματα καὶ γενεὰς. *Sic in Pompeio etiam loquitur de piratis* γενεὰς αὐτῶν καὶ χρήματα ἐν φρουρίοις περὶ τὸν ταῦρον εἶχον. *atque ita alibi etiam.*

Cap. 52. Forti Fortunæ sacris operatus est.) αὐτοματίας ἔθυσε, *Tudertinus videtur* αὐτοματίᾳ *legisse. Aemilius Probus in vita Timoleontis, hoc ipsum referens:* Domi, *inquit,* suæ sacellum Automatias constituerat, idque sanctissime colebat. *Ego* Fortis Fortunæ, *Latine verti recte censeo. Sed & Plutarchus in lib. Quomodo citra invidiam se quispiam laudet, & in civilibus præceptionibus, meminit aræ* τῆς αὐτοματίας *à Timoleonte dedicatæ. Itaq; hic lego* ἱερὸν ἱδρυσάμενος αὐτοματίας, ἔθυσε *quod verbum facile intelligitur, etiam omissum. Nam ob id ponebatur ara ut in ea sacrificaretur.* Laphystium *Probus* Lamestium *vocat: sed non multum ei libro fidei adhibeo, contra alios.*

Cap. 57. Feretro in rogum imposito.) *Hoc enim vult sibi* τῆς κλίνης ἐπὶ τὴν πυρὰν τεθείσης. *non,* jam cremato corpore: *id quod noster Maronis versu supposuit:* μύρον, *ut ajunt* ἐπὶ τῇ φακῇ.

PLV-

# PLVTARCHI AEMILIVS PAVLVS, GVILIELMO Xylandro, Augustano, interprete.

I UT ad scribendas præstantium virorum vitas accederem, alii me moverunt: ut autem pergam atque jam delecter eo negocio, mei ipsius causa mihi usuvenit, conantis in eorum virtutes tanquam in speculum, intuendo utcunque vitam meam ad eorum exemplum componere. Etenim negocium hoc nulli æquè rei, atque quotidianæ consuetudini ac victui simile est: dum singulis operis mei partibus aliquem eorum quasi hospitio acceptum contemplor, qualis vir, quantusque fuerit, ex illius actionibus ea, quæ cognitu potissimum digna, ac pulcherrima sunt, deligens. *Operis instituti utilitas.*

*O Dii boni, quid hoc dari jucundius,*

& ad mores formandos efficacius possit? Democritus quidem optandum dixit, ut imagines, quàm maximè commodæ nobis accidant, & naturæ potius nostræ cognata, ac utilia, quàm vitiosa & nullius momenti visa nobis ab aere offerantur: falsam mehercle opinionem, & quæ infinitis occasionem præbeat superstitionibus, in philosophiam inferens. Nos rectius, qui historiis vacando, usuque eas perscribendi nosmet ita comparamus, ut animus acta optimorum laudatissimorumque virorum memoria comprehendens, si quid (ut necessario evenit) vitiosum, pravum, parumve ingenuum consuetudo hominum quotidiana nobis offerat, id cogitatione pla-
II cidè ad pulcherrima exempla conversa declinet atque repellat. In hoc itaque libro Timoleontis Corinthii, & Aemilii Pauli vitas proposuimus: qui duo viri non tantùm eodem vitæ instituto, sed & fortuna in rebus gerendis eadem usi sunt, ambiguumque reliquerunt; tantas res felicitate ne magis, an prudentia confecerint. Aemilio-rum familiam apud Romanos & patriciam fuisse, & vetustam plerique historici fatentur: nomen autem hoc à Mamerco Pythagoræ philosophi filio (qui à gratia & venustate sermonis, quæ Græcis est *amilia*, cognomentum Aemilii tulerit) principe ejus familiæ ortum, tradunt nonnulli ex iis, qui à Pythagora institutum Numam regem asserunt. plurimi eorum, qui ex hac familia illustres fuerunt, virtutis studio felicitatem sibi paravérunt. Lucii autem Paulli apud Cannas casus, prudentiam viri, juxtaque fortitudinem admonstravit: cùm enim collegam à proposito pugnandi deducere non potuisset, in prœlio invitus quidem ei adfuit, fugæ autem socium se non præbuit; sed eo, qui pugnæ committendæ auctor fuerat, fugiente, ipse perstans & pugnans ab hostibus est interfectus. Hujus filia Aemilia *Genus Pauli.*
III Scipioni Africano nupta fuit. Filius autem Aemilius Paulus, de quo nobis præsens est sermo, ut attigit adolescentiam, eo tempore, quo summi gloriaque & virtute clarissimi viri multi florebant, diversa ab æqualium studiis studia, aliamque viam evadendi in præstantem virum secutus est. Nam neque dicendis causis se dedit, & *Studia.*

salu-

salutationes & pensationes, quibus plerique populum demerebantur, omninò vitavit, & erat quidem natura ad utrunque satis idoneus: sed fortitudine, justitia, & fide, quibus jam tum æquales suos anteibat, gloriam illa altera potiorem quærebat. Itaque ædilitatem primùm de superioribus magistratibus petens, competitoribus duodecim prælatus est, quos omnes deinde consulatum gessisse perhibent. *Auguratus.* Augur deinde factus, ita à majoribus traditos ritus observavit, priscorumque in colendo numine religioni animum advertit, ut id sacerdotium, quod honoris gloriæque causa alioquin expetebatur, ostenderit unam esse ex summis artibus, philosophisque testem se præbuerit, qui pietatem scientiam esse colendi numinis definierunt. Omnia enim peritè ac studiosè agebat, eoque munere IV fungens, omnibus aliis negociis rejectis, nihil, quod ad id munus pertineret, omittebat, nihil novi moliebatur, sed cum collegis etiam de minimis rebus subinde disputabat: docebatque etiamsi credendum esset, Deos incuriam ipsorum negligere, neq; vindicare, tamen *Minima etiam non esse negligenda.* urbi eâ perniciosam fore: neminem enim esse, qui initio statim magno aliquo delicto remp. perverteret: sed tamen eum, qui in minutis rebus non esset diligentiæ accuratæ, custodiam etiàm majorum dimittere. Eundem se militaris disciplinæ, institutorumq; in re bellica à majoribus propagatorum examinatorem custodemque præbuit. *Disciplina militaris tenax Paulus.* Dux enim belli factus, non ita gessit imperium, ut subditorum animos sibi blandiendo devinceret, neque more tunc usitato, captanda gratia aliam ex alia dignitatem quæsivit: sed perinde ac si alia sacra tractaret maxima, ita in disciplina militari attentus suorum doctor erat, terribilemque se iis, qui officium detrectassent, prodidissentve exhibebat, & ea ratione patriæ res firmabat, ut disciplinæ civium maximè intentus victoriam propemodum appendicem ejus duceret. Cæterùm Romanis bellum contra Antiochum Magnum V gerentibus præstantissimisque ducibus eo occupatis, aliud ab occi- *Acta eius in Hispania.* dua terrarum parte extitit, Hispania magnis motibus concitata, Missus eo Æmilius cum exercitu, non sex lictores, ut prætor habens, sed duodecim, ut proconsulare imperium ejus declararetur, bis collatis signis barbaros vicit, ac circiter triginta millia hostium cecidit: eamque victoriam artibus præsertim imperatoriis consecutus videtur, locorum opportunitate, ac fluminis cujusdam trajectu militibus pugnam faciliorem machinatus, urbes CCL. deditione recepit: provinciaque pacata Romam rediit, ne uno quidem denario ditior *Paupertatem.* factus ea expeditione. Erat alioquin etiam rei faciendæ negligentior, liberalesq; sumtus faciebat, quanquam exiguis plane facultatibus: nã ipso mortuo vix suppetit, unde dos uxori debita persolveretur. Habuit in matrimonio primum Papiriam, Mnasonis viri consularis VI filiam: quam diu ejus conjugio usus, sublatisq; ex ea pulcerrimis liberis, Scipione nimirum glorioſissimo, & Fabio Maximo, repudiavit. Causa divortii ad nos non pervenit, videturq; verum esse, quod jactatum est de eo discidio, Romanum virum uxori suæ nũcium remisis-

misisse. Etenim amicis eum objurgantibus, eamq; pudicam tamen, formosam, fœcundamq; esse dicentibus, calceum protendens: *Nonne*, inquit, *hic elegans est, nonne novus? sed tamen nemo vestrûm novit, quo loco pedem meum urgeat.* Verum est enim, mulieres alias propter magna & aperta vitia à viris dimissas: sed & occultè quandoque molestiæ, & morum diversitas aliis incognita, conjugum animos prorsus à se invicem abalienarunt. Post hanc Aemilius aliam duxit, quæ cùm eum duorum feciſſet filiorum patrem, priores adoptandos in familias illustrissimas dedit, alterum Fabii Maximi filio, ejus qui consul quinquies fuit, minorem verò natu filio Scipionis Africani consobrino ejus. Filiarum Aemilii alteram Catonis filius duxit, alterum Aelius Tubero vir optimus, & quo nemo Romanorum paupertatem præclarius tulit. Etenim sedecim unius gentis Aemilii unam exiguam domum possidebant, uniusq; prædii fructibus se sustentabant, unaque ista in domo multis cum liberis & uxoribus habitabant: inter quas Aemilii etiam, qui duos consulatus gessit, bisque triumphavit, filia fuit: neque eam paupertatis viri pudebat, quin virtutem potius, quàm paupertatem ferebat, miraretur. Nostro tempore fratres & cognati, nisi regionibus, fluviis, murisque communia bona distinguant, longoque à se invicem sint remoti spacio, altercandi finem nullum faciunt. Hoc obiter animadvertendum VIII considerandumq; iis, quibus sua salus curæ est, historia offert. Porrò Aemilius consul creatus, contra Ligures Alpinos exercitum duxit. Gens est bellicosa feroxque, & propter vicinitatem à Romanis usum belli edocta: habitant enim extremas Italiæ partes quæ ad Alpes desinunt, ipsasq; Alpes qua Tyrrheno mari alluuntur, & ad Africam Hispanis obversæ sunt: permixti sunt Gallis, & maritimis Hispanis: ac tunc mari ingressi, piratieis navigiis usque ad Herculis columnas vehebantur, negociatorumque bona intercipiebant. Aemilium venientem, coacto quadraginta millium agmine substiterunt; isq; cum octo millibus militum (tot enim omninò habebat) hostem aggressus fudit, & intra oppida compulit. Humaniter inde cũ iis de pace jungẽda locutus, (non enim habebant in animo Romani Ligures delere, sed valli tanquam loco aut munitionis eos objectos volebant Gallicis, quæ subinde in Italiam fiebant, impressionibus) in fidem eos suam recepit, traditis sibi urbibus & navibus. Vrbes nullo damno affectas, muris modò destructis, reddidit: naves omnes ademit, neq; ullum navigiũ, q tribus remis plures haberet, reliquit: captos ab iis terra mariq; cum Romanos, tũ exteros, quorum erat magnus numerus, liberavit. Hæc eo consulato ab ipso egregiè gesta.

IX Post cùm aliquoties præ se tulisset, cupere se denuò consulem fieri, & aliquãdo etiam ambiisset eum magistratum repulsam passus, neglectusq;, ocio se dedit, sacrisq; curandis, & liberis non tantùm Romanis usitata patriaq; disciplina, qua ipse fuerat instructus, sed Græca etiã impensius instituendis operam navavit. Non enim grammaticem modò & oratoriam, sed & fingere, pingere, equos & canes tractare

*Filij.*

*Tuberonum paupertas, & concordia.*

*Æmilij Pauli consules adversus Ligures gesta.*

*Repulsa, & liberorum institutio.*

ctare ac venari qui docerent, eis præfecerat: ac nisi quid publici negotii avocaret, ipse studiis & exercitationibus adolescentum intererat, neque Romanorum quisquam majori liberos suos est amore complexus. Respublica tunc temporis eo erat statu, ut contra Perseum regem Macedoniæ belligerantes male audirent, quod ob imperitiam ignaviamq; turpiter ac ridiculè rem gererent, plusque acciperent, quàm darent, damni. Romani verò, qui nuper Antiochum eum, qui magnus usurpabatur, reliqua Asia expulsum ultra Taurum montem rejecerant, in Syriamque inclusum coegerant, ut pacem redimere quindecim millibus talentorum gratum haberet: qui paulò ante Philippum in Thessalia fregerant, Græcisque jugum Macedonum detraxerant: qui ipsum Annibalem, quo cum nullus regum audaciæ aut potentiæ nomine erat componendus, debellaverant: indignè ferebant cum Perseo tamdiu sibi belligerandum, quasi verò is Romæ viribus par, ac non è reliquiis paternæ, cladis bellum gereret. Non enim intelligebant, Philippum victum potentiam Macedonum longè robustiorem & bellicosiorem reddidisse. qua de re paucis quædam altius repetita perstringam. Antigonus omnium Alexandri Magni successorum, ducumque potentissimus, regiumque nomen etiam stirpis suæ causa sibi sumens, filium habuit Demetrium: hoc natus est Antigonus Gonatas cognomento, pater Demetrii: hic Demetrius cum regnasset annos non multos, Philippo filio puero etiamnum relicto mortuus est. Primores Macedonum ne sine capite regnum labefactaretur veriti, Antigonum Demetrii consobrinum cum matre Philippi conjugio devinxerunt, ac primum pupilli tutorem, ducemque Macedonum, post, cùm moderatum hominem, & reipublicæ utilem experti essent, regem constituerunt. Doson ejus cognomen fuit, quod Latinè est *Daturus*: nam in promittendo liberalis, pollicita segniter implebat. Successit huic rex Philippus, statimque in ipsa adolescentia ita floruit, ut inter præstantissimos reges censeretur, yidereturque Macedoniæ pristinam dignitatem reparaturus, solusque vim Romanam omnibus tunc imminentem inhibiturus. Sed apud Scotulam victus magna pugna à T. Flaminio demisit sese, Romanorumque se fidei commisit, & pœna mediocri affectus, in præsentia contentus fuit. Postea verò tem- XII poris ægrè suam sortem ferens, existimansque gratia Romanorum regnum tenere captivi verius esse delicias captantis, quàm viri animum spirituſque se dignos habentis: ad bellum cogitationes intendit, idque clam & astu paravit. Quippe urbibus in itinere & ora maritima positis, quod essent earum vires fractæ, & hominibus exhaustæ despicerentur, neglectis, magnas in interiores regni partes conduxit copias: mediterranea castella, arces ubique armorum, pecuniæ, robustorumq; hominum multitudine implevit, & ad bellum occultè apud se veluti inclusum corpora militum exercebat. etenim armorum tantus numerus erat repositus, quibus tunc utebatur nemo, quantus triginta hominum millibus armandis satis esset: octies mille-

*Bellum contra regem Perseum.*

*Regum Macedoniæ successio post Alexandrum.*

*Philippus bellum in Romanos reparans moritur.*

millena medimnorum frumenti millia erant, murorum ædificiis inclusi: pecuniæ tanta vis, quæ ad decem millibus hominum Macedoniam defendentibus stipendia in decennium persolvenda sufficeret.

XIII Veruntamen ut bellum hoc efferret, vita ei non suppetiit. quam dolore ægritudineque animi finiit, cùm cognovisset, suo jussu Demetrium filium, alterius calumnia circumventum injustè occisum. Alter verò filius superstes, Perseus nomine, unà cum regno inimicitias contra Romanos suscepit: quibus sanè exsequendis impar erat, homo pusilli ingenii, pravique, cujusque inter varia vitia præcipuus, erat pecuniæ amor. Fertur autem non fuisse legitimus, sed cùm eum Argiva sartrix Gnathæna recens peperisset, uxor Philippi sublatum pro suo supposuisse dicitur: atque ob id potissimum Demetrio necem struxisse videtur, veritus, ne si in familia genuinus esset successor, spurius ipse deprehenderetur. Enimverò etsi erat abjecti & ignobilis animi, tamen rerum robore ad bellum excitatus, diu quidem restitit Romanorum ducibus viris consularibus, & magnos exercitus classesque contra se missos repulit, nonnullas etiam victorias as-

*Perseus quis & qualis fuerit.*

*Victoriæ ejus.*

XIV secutus est. Publium enim Licinium, qui primus Macedoniam intravit, equestri prælio fudit, duo millia & quingentos egregios viros interfecit, sexingentos cepit. Classem item Romanam apud Oreum subductam subitò adortus à mari, naves viginti cum ipsis oneribus abduxit, reliquas frumento onustas demersit. Quin & quatuor quinqueremes cepit, & iterum pugnam commisit, qua Hostilium consularem virum repulit, eumque vi apud Elimiam, occultè per Thessaliam transitum in Macedoniam molientem, ad pugnam provocando terruit. Præterea Romanis contentis, quasi vacans à bello contra ipsos & aliud agens, expeditionem in Dardanos fecit, ac decem millibus cæsis, ingentem prædam egit. Gallos etiam, qui circa Istrum incolunt, ac Basternæ dicuntur, concitavit, equitatu & belli usu valentes: & Illyrios opera Genthii regis hortatus est, ut auxilium sibi ferrent: rumorque erat, barbaros mercede ab eo conductos per inferiorem Galliam juxta sinum Adriaticum in Italiam ir-

XV rupturos. Hæc Romani cùm accepissent, statuerunt, omissa imperiorum per gratiam & ambitionem collocatione, virum aliquem bello præficere prudentem, & rerum magnarum administrationis gnarum. Is erat Aemilius Paulus: ætate quidem jam provecta (circiter enim sexagesimum annum agebat) corpore tamen adhuc validо, tum generis, & filiis adolescentibus, amicorumque ac potentium cognatorum copia stipatus, qui eum omnes hortabantur, ut populo ad consulatum invitanti obsequeretur. Ergo etsi initio multitudinis cupiditatem studiumque aspernabatur, nihil se eum honorem requirere ostendens; tamen cùm quotidie ad ipsius fores convenirent frequentes, ac in forum vocarent, & magno clamore urgerent, concessit tandem, statimque inter consulatum ambientes visus, non petere magistratum, sed victoriam afferre existimatus est. Ut in campum venêre, summa omnium spe ac studio consul iterum

*L. Æmilius Paulus consul, & dux belli Persici creatus.*

creatus est, duxque belli Macedonici, omissa provinciarum sortitione continuò constitutus. Memoriæ proditum est, eum, cùm præ- XVI
*Omen.* fectus bello contra Perseum, splendidè ab universo populo domum esset deductus, filiolam Tertiam plorantem domi offendisse; eamque salutatam à patre ac de causa tristitiæ interrogatam, complexu osculoque patri reddito respondisse: *Nescis verò, mi Pater, Perseum nostrum mortuum esse*, (loquebatur autem de catello, quem id nominis gerentem alebat) Et respondisse Aemilium: *Dij bene vertant mea filiola, accipio omen.* Hoc Cicero de Divinatione narrat. Mos erat, ut qui consules essent creati, oratione ad populum pro rostris blanda gratias agerent. Ejus servandi causa Aemilius in concionem progressus, priorem se consulatum ambitiosè dixit, quod eo tempore magistratum gerere cuperet: posteriorem accepisse ipsorum causa, ducem belli desiderantium. non igitur gratias ipsis habere. Proinde si ab alio quopiam bellum id rectius geri posse censerent, libenter se ei locum cedere: sin ipsi rem crederent, non imperatoris in partes se ingererent, neque rumores serrent, sed taciti ea quibus opus esset, subministrarent: alioquin fore, ut si imperatori quæ agenda essent præscribere ipsi vellent. magis etiam quàm ante militia ipsorum rideatur. His dictis effecit, ut magna ipsius verecundia civi- XVII
bus incesserit, optimamque de eventu spem conceperint, omnesque lætati sint, omissis adulatoribus, ad liberi oris animosumque ducem summam rerum delatam esse: adeò populus Romanus illo tempore ut aliis imperare, omnium gentium maximus esse cupiebat, sic virtute & honestati ultrò serviebat. Porrò quod Aemilius ad exercitum proficiscens secunda navigatione, prosperoque usus est itinere, & absque mora & turbo in castra pervenit, fortunæ adscribo: bello autem res prosperè ab eo partim audaci celeritate, partim consilio, cum alacri amicorum ministerio, & confidentia in periculis, opportunorumque consiliorum usu gestas cernens, non habeo quodnam illustre facinus ejus felicitati (sicut in reliquis imperatoribus feci) imputem, nisi fortè Persei qui avaritiam Aemilio felicem rerum successum attulisse indicet: hæc enim res Macedonum ad maximam spem erectas evertit. Etenim Perseo roganti auxilio adduxerunt Basternæ decem millia equitum ac totidem peditum, qui equitibus adjuncti, usu ita ferente, vicem eorum gererent, omnes non agriculturæ, non navigandi, non pascendi pecoris peritos, sed qui aliam, quàm pugnare, & hostem superare, artem nullam didicissent. Qui ut apud Mædos castrametati cum regio exercitu convenerunt, viri altis corporibus, miro armorum usu, minisque contra hostes superbi, spem fecerant Macedonibus, Romanos eorum congressum non laturos, sed aspectu, atque motu corporum alieno & terribili consternatum iri. In hanc spem cùm evexisset suorum animos XV
Perseus, & Basternæ in singulos duces mille aureos postulassent; III
sordidus homo ad multitudinem auri impendendi, quasi vertigine oborta, mente captus, auxilium eorum respuit, abdicavitque: quasi

*Fortunâ an virtute rem gesserit.*

*Perſei avaritia.*

verò

verò quæstor Romanorum esset, ac non contra illos bellum gereret, sed rationem sumtuum bellicorum hostibus reddere opus haberet. Et quidem ab illis discere poterat, qui *alium apparatum, centum millia erant collecta, & ad usum belli parata. At Perseus tantis copiis repugnans, tantumque sustinens bellum totque ociosos homines alens, pecuniam dimensam consignavit, eamque tangere metuit haud aliter quàm alienam. Neque id faciebat Lydus homo, aut Pœnus: sed qui generis nomine, virtutem Philippi & Alexandri gloriam sibi vindicaret. atque ii hac ratione, quod pecunia omnes res confici, non pecuniam rebus agendis potiorem indicassent, omnia in suam potestatem redegerant. Sanè dictum vulgo est, *non a Philippo, sed auro ejus urbes Græciæ esse captas:* & Alexander in Indiam expeditionem faciens vidensque Macedonas Persicis divitiis secum vehendis impediri, primus currus regios cremavit, cæterisq; persuasit ut idem facerent expeditiq; ad bellum irent, tanquam vinculis soluti. Contra Perseus auro suam, liberùm regniq; salutem posthabens, maluit multa cum pecunia captus Romanis ostendere, quantum ipsis sua parsimonia thesaurum conservasset, quàm parvis sumtibus salutem sibi parare. Non enim Gallos tantum falsa fide dimisit: sed & Genthium cum promissis trecentis talentis, ad societatem pellexisset, pecuniam numeratam nunciis ab eo missis proposuit, & obsignare jussit. post cùm Genthius sperans se mercedem speratam habere, violato jure gentium legatos Romanorum ad se missos in vincula conjecisset. Perseus existimans nihil oportere eum pecunia ad bellum cõtra Romanos suscipiendum adduci, cùm is captis legatis, quasi pignore se obstrinxisset, ac Romanorum contra se arma eo facinore haud dubiè concitasset: trecentis istis talentis miserum defraudavit. pauloq; post passus est eum à L. Anicio Romanorum prætore cum exercitu contra eum misso è regno cum liberis & uxore, tanquam è nido, abripi. Cum hoc adversario rem sibi fore intelligens Aemilius, facilè hominem despexit, quanquam apparatum bellicum ejus, copiasque admiraretur. Erant enim equitũ quatuor millia, & Phalanx peditum paulò minus quadragies millium: consederat autem propè litus ad radices Olympi montis, locis inaccessis, propugnaculisque & ligneis munitionibus septis planè securus, speransq; se mora & pecuniarum impensis Aemilii vires consumturum. At verò Aemilius vir erat impiger, animoque ad omnia consilia obverso, nihil intentatum relinquebat. Cùm videret, milites pristinæ licentiæ adsuetos ægrè ferre disciplinam, ac inanibus verbis imperatoris partes exequi: dictis corripuit, mandavitque, ne quid aliud quàm sua corpora curarent, & arma: ut cùm res ita tulisset, & ipse signum dedisset, strenuè pugnarent, gladiisq; Romano more uterentur. Nocturnas excubias sine hastas ut agerent edixit, ut eo diligentius omnia observarent, ac somnũ repellerent, cùm hostem irruentem arcere non possent. Maximè autẽ de potus penuria quiritantibus militibus (paucis enim in locis aqua,

*Pecunia usus.*

*Genthius & Perseo proditus.*

*Copia Persei. Æmilius milites corrigit.*

& quidem potui incommoda apud ipsum ferè litus scaturiebat) cum cerneret, Olympum montem magnum & arboribus consitum crebris imminere loco, conjiciens è viriditate sylvæ fontium ibi esse principia, qui per profundum deferrentur, sub ipsa radice montis puteos multos egit, aeremque admisit: hique putei statim puris laticibus repleti sunt, ea quæ in angustiis premebatur aqua, ad locum vacuum cum impetu decumbente. Quanquam in ea quidam sunt opinione, non esse fontes aquarum jam ante collectarum iis in locis, ubi effluunt, abditos: neque hunc effluxum earum esse vel patefactionem vel eruptionem: sed aquam ibi demum nasci, ac coalescere, materia ejus in liquorum conversa. transire autem in liquorum exhalationem humidam dum condẽsatur & refrigeratur, quando videlicet in profundo compressa fluida efficitur. Vt enim mu- XXII lierum mamillæ non vasa sint, quæ affluente lacte jam ante confecto repleantur, sed succum ad se allatum mutando lac generent atque colent: ita humecta terræ, & scaturiginibus apta loca, non habere in se abditam aquam, neque sinus, qui fluxus tantæ aquæ, tamque profundorum fluviorum jam ante paratos depromant: sed spiritum modò, & aerem in iis comprimi ac condensari, itaque in aquam converti. Itaque loca quæ effodiuntur, eam ob contrectationem promtius aquam edere emollienda & humectanda exhalatione, quemadmodum ubera lanctantium plus lactis gignunt: densas autem ac stipatas terræ partes eo aquam non emittere, quod motus humoris efficientis non sunt capaces. Hæc qui asserunt, occasionem disputatoribus dederunt arguendi, ne sanguinem quidem inesse animantibus, sed generari apud vulnera, spiritus alicujus aut carnis mutatione, quæ fluxum & colliquationem efficiat. Verùm hanc opinionem refellit experientia: qui enim cuniculos agunt, aut metalla effodiunt, demissis in profundum fossis fluvios offendunt, non paulatim (quod opportebat, si quidem terra subitò mota ortum suum haberent) collectis, sed confertim se effundentibus: quinetiam montibus & saxis ictu dissipatis aliquando aquæ copia exiluit, statimque desiit. Sed de his hactenus. Aemilius porrò aliquot dies XXIII ociosos exegit: feruntque nunquam tantis copiis tam parvo intervallo oppositis, tandiu cessatum esse. Postquam omnibus tentatis unum adhuc in Macedoniam esse aditum cognovit per Perrhæbiam juxta Pythium, & Petram, locum eum nullo præsidio tenente, magis in spem veniens rei gerendæ, quàm difficultatem loci (quæ causa erat ut hostes eum non custodirent) metuens, quid agendum esset, deliberavit. Primos inter eos, qui consilio intererant, Scipio Nasica, cujus inferioribus temporibus summa fuit in senatu auctoritas, Africani Scipionis gener, promisit, se eo exercitum circumducturum: proximus ab eo Fabius Maximus, filiorum Aemilii natu primus adolescens adhuc, idem in se recepit. Delectatus eorum alacritate Aemilius, milites eis dedit, non quot Polybius scribit, sed quem numerum ipse Nasica in epistola de iis rebus ad regem quendam

*Puteorum inventio & causa.*

*Nasica & Fabius Olympum transcendunt.*

scripta

scripta edit: Italorum videlicet extraordinariorum tria millia, & sinistrum cornu, quod erat quinque millium. His addidit Nasica equites centum & viginti, Thracumque & Cretensium, quos permistos Harpalus adduxerat, ducentos. Hanc manum ea via duxit, qua ad mare descenditur, castraque apud Heracleam posuit, quasi navi-
XXIV bus inde ad circumvenienda hostium castra iturus. Postquàm cœnam sumserant milites, tenebræque ortæ sunt, ducibus consilio patefacto, contrario itinere à mari abduxit, & infra Pythium tandem consedit, ac exercitum quiete refecit. Eo loco in altum erigitur Olympus amplius decem stadiis: quod tali ejus, qui metitus est, epigrammate indicatur: *Olympi altitudo.*

*Qua supra templum, cui Pythius auctor Apollo,*
*Erigitur clari vertex sublimis Olympi,*
*Bis quinq; athereas stadia, exit rectus in auras,*
*Insuper & stadij sextantem: huic quatuor autem*
*Noris deesse pedes. Mensuram prodidit istam*
*Xenagoras satus Eumelo. tu Phœbe laborem*
*Compensa latus placatis rex optime donis.*

Quanquam Geometræ affirment neque altitudinem montis: neque maris profunditatem decem stadia excedere: tamen Xenagoras non temerè, sed arte & instrumentis adhibitis eam dimensus videtur.
XXV Nasica noctem ibi exegit. Perseo autem Aemilium quietum loco se tenere videnti, neque quid ageretur suspicanti, perfuga Cretensis, qui ex itinere se subduxerat, Romanos ea circumducere exercitum indicavit: isque territus, castra non movit. decem modò stipendiariorum militum alienigenarum millia, ac duo Macedonum Miloni eò ducenda dedit, qui Romanis anteverterent, saltusque occuparent. In hos dormientes adhuc impetum à Romanis factum Polybius scribit. Nasica acrem, ac periculosum conflictum in ipsis montis jugis fuisse, seque ipsum Thracis militis sibi occurrentis pectus hasta percussisse, eumque prostravisse scribit, hostibusque pulsis, & Miloni abjectis turpiter armis, & sola modò tunica induto, sugientibus institisse tutò: simulque in Macedoniam deduxisse suos.
Quod ubi Perseus accepit, summa trepidatione ictus, speque lapsus, properè castris motis retrò se recepit. Erat tamen ei aut apud Pydnam alea prœlii tentanda, aut disjectis copiis bellum ad singula oppida expectandum, quod semel Macedoniæ illatum, sine multa cæde inde removeri non poterat: ac si eo loco hostes profligare conaretur, quo alioquin à multitudine hominum esset longè paratior:
XXVI spes erat, suos acriter pro conjugibus & liberis propugnaturos, præsertim rege inspectante, atque inter primos pugnam obeunte. His rationibus amici Perseum confirmarunt, ut castris positis, ad pugnam se pararet, locorum naturam spectaret, ducibusque munia assignaret, veluti cum hostibus ubi primùm advenissent, conflicturus. Erat ejus loci ea natura, ut & phalangi explicandæ satis campi planicieique æqualis suppeditaret, & tumuli continentes nudis ac expeditis

peditis militibus receptacula & circumcursitanti facultatem præberent. Per medium Aeson & Leucus amnes fluebant, non admodum profundo alveo (erat enim jam sub exitum æstatis) sed tamen ut viderentur Romanis nonnihil difficultatis allaturi. Aemilius ubi se Nasicæ conjunxit, composito agmine ad hostes duxit: ut verò aciem eorum inspexit, multitudinem admiratus, inhibita profectione, secum ipse quædam expendit. Iuvenes verò, qui exercitum ducebant, equis advecti, ut confereret pugnam, neque rem differret, hortati sunt: præsertim Nasica, successu trajecti Olympi elatus. Ad quem subridens Aemilius: *Facerem*, inquit, *si tua essem ætate: me verò multæ victoriæ docuerunt, quanam in re victi peccassent: ideoque ex itinere pugnam intre cum phalange jam ordinibus instructis parata prohibent.* Inde eos, qui primo loco, & in conspectu hostium stabant, in manipulos ordinari jussit, ut speciem aciei exhibierent, postremos autem in agmine conversos vallum jacere, & castra facere: eaque ratione semper novissimo quoque à primis se avertente, & ad castra facienda subducente, fefellit hostem, solutaque ad extremum acie absq; tumultu totum exercitum castris recepit. Ea nocte cùm post cœnam somno se dedissent milites, subitò luna, cum pleno lumine sublimisque fulgeret, obscurata est, suaque luce amissa variis coloribus obducta in tenebras abiit. Cujus splendorem cùm pro sua consuetudine Romani milites æris percussi tinnitu revocarent, ac multa lumina facibus accensis cœlum versus extollerent: nihil tale à Macedonibus factum est, sed horror stuporque castra pervasit, & vulgo murmurabant, regis interitum eo prodigio portendi. Cæterùm Aemilius, etsi nō erat omninò ignarus ecclipticarum vicissitudinum, quibus luna circumvecta in umbram terræ statis temporibus incidit, ac tandiu occultatur, dum umbra locum pertransierit, rursusque à sole illustretur: tamen ut erat religiosus homo & augur, ac sacrificiorum studiosus, ubi primum à tenebris expurgatam vidit lunam, undecim ei vitulos immolavit. Orto die Herculi sacra faciens, viginti primis hostiis non perlitavit; altera post vigesimam demum signa oblata sunt, quæ vim hostium repellenti parti victoriam designarent. Itaque victimam centum boum, & ludos sacros Deo vovit: mandavitq; tribunis militum, ut exercitum ad pugnam instruerent: ipse in tentorio suo sedens, quod erat versus campum & aciem hostium apertum, expectavit dum sol circumageretur ac declinaret, ne adversum eum sui milites haberent: quod erat futurum, si pugnam mane commisisset. Circa vesperam commissum est prœlium. Alii ipsius Aemilii astu factum dicunt, ut ab hostibus initium pugnæ fieret: eius enim equum effrænem immissum à Romanis, eumq; hostibus insequentibus, ita ad manus perventum. Alii tradunt, Thraces, quos Alexander ducebat, in Romana jumenta fœnum portantia impetum fecisse: contra eos celeriter excurrisse septingentos Ligures, inde utraque à parte missa auxilia, & consertum ea occasione prœlium. Aemilius verò ut gubernator, è fluctu & tre-

*Luna defectus.*

*Sacrificia Aemilij.*

*Pugna Aemilij contra Persæum apud Pydnam.*

XX VII

XX VIII

XXIX

XXX

pidatione

pidatione exercituum conjiciens magnitudinem futuræ pugnæ, è tentorio progressus ordines militum adiit, dictisque animavit. Nasica equo ad eos, qui levi prœlio decertabant, provectus vidit omnes jam ferè hostes ad pugnam progressos. Primam aciem obtinebant Thraces, quorum se aspectu maximè territum scribit ille, aliis corporibus, clypeo albo & splendenti, tibias ferro tecti accincti nigras tunicas, romphæamq; ferro gravi præfixam à dextero humero quisque coruscans. Iuxta hos constiterant stipendarii milites, vario habitu, mixtique his Pæones. Post hos agmen tertium erant Macedones delecti, virtute & ætate omnium validissimi, aureis in armis, ac recentibus puniceis vestibus fulgentes. Horum acie instructa, phalanges eorum, qui à clypeorum æreorum usu chalcaspides dicuntur, è castris progressæ, splendore ferri atque æris campum, clamore autem & tumultu invicem se adhortantium montes repleverant. Tanta verò audacia atque properatione ad hostem contenderunt, ut prima cadavera non ultra CCL. passus à castris Romanorum jacuerint.

XXXI Cùm jam consererentur manus advenit Aemilius. utque vidit jam Macedones, quos in agmine tertios fuisse diximus, cuspidibus sarissarum in Romanorum clypeos inniti, atque his comminus gladiis rem gerendi facultatem adimere, reliquos etiam Macedones dato signo parmas ab humeris detrahere, sarissisque demissis scutatorum impetum excipere, tum robur ejus globi, quamque difficulter invadi posset, conspicatus: pertimuit sanè, ut qui spectaculum terribilius nullum ante eum diem intuitus esset: ac sæpenumerò postea temporis mentionem istius perturbationis fecit, quam animo suo aspectus ille obtulisset. Nihilominus tamen pugnantibus se hilari vultu o-

XXXII stentavit, sine galea & thorace obequitans. Cæterùm Perseus, ut Polybius refert, commisso prœlio, metum nō ferens in urbem equo avectus est, sacram se Herculi rem facere simulans, qui tamen Deus meticulosorum sacra non accipit, neque voti illiciti damnat, atq; fas non est, vel eum qui non jaculetur, scopum tangere, vel eum, qui fugiat, victoria potiri, & omninò neque bene agere qui nihil agit: neque malus homo fœlix esse potest. Aemilii verò votum Deus probabat. is enim hastam tenens robur in bello, & victoriam flagitabat, pugnāsq; Dei auxilium poscebat. Verùm Posidonius quidem, qui se eo tempore vixisse, rebusq; his interfuisse scribit, ac historiam Persei multis libris composuit, Perseum non timoris causa, neq; sacrificii prætextu discessisse, sed quod pridie equus ei calce crus, fertisset, auctor est. In pugna quoq; eum, quanquam esset male affecto corpore & amici dehortarētur, jussisse equum sibi, quo extra bellū vehi consuevisset, afferri, eoq; conscenso nudum thorace ad phalāgem equitasse: ibi volitāribus utrinq; omnis generis telis, jaculum ei ferreum adactum, quod mucrone quidem eum non attigerit, sed obliquum juxta latus ejus sinistrum transvolaverit, impetu tamen motus tunicam discideric, carnemq; ita perstrinxerit, ut obscuram sugillationis notam reliquerit, quæ ictum multo tempore testata sit. Hoc modo

*Persei fuga.*

*Ignavorum vota.*

*Pelignorum temeritas.*

Perseum Posidonius excusat. Cæterùm cùm Romani phalangem Macedonum nulla vi perrumpere possent, Salius Pelignorum dux signum suæ cohortis raptum in hostes projecit: eo Pelignis accurrentibus (signum enim deserere & amittere nefas apud Italos habetur) utrinque atrox certamen fuit. Peligni gladiis sariſſas depellere, & scutis deprimere, manibusque adeò injectis avertere conabantur. At Macedones utraque manu sariſſas intentantes, per occurrentium eas arma corporaque exigebant, neque scuto, neque thorace earum vim sustinente, & corpora confixorum supra capita rejiciebant. Contra Peligni, & Marrucini nulla ratione, sed rabie concitati adversis ictibus præsentique morti se ingerebant. Hoc modò Romanorum prima acie interfecta, repulsa est proxima: & fugam quidem nondum dabat, pedem modò ad Olocrum montem referebat: adeo ut id cernens Æmilius, præ dolore tunicam suam discinderit (si Posidonio credimus) cùm cedentibus prioribus ordinibus, reliqui Romani phalangem inaccessam videntes, densisque sariſſis tanquam vallo præmunitam, & ab oppugnatione tutam averſarentur. Enimverò pugnabatur loco inæquali, & porrecta in longum XXX
phalangis acie, non poterat densitas ordinum, globusque actus con- IV
tinenter servari, sed flexus multi atque intercapedines admittebantur: quod fieri necesse est in magno exercitu, cùm alii alio ad pugnam obeundam avertuntur, aliæque partes aciei pelluntur, aliæ impetum faciunt. Hoc ut animadvertit Aemilius, celeriter cohortes suorum à se invicem divellit, jussitque ut intra hostilium ordinum intervalla se reciperent, ac non contra simul totam simul phalangem, sed multis locis contra partes hincinde divulsas pugnarent. Id centuriones ab Imperatore docti, milites facere jusserunt. Vt verò primum Romani intra ordines phalangis se intulerunt; ac intra sariſſas recepti, alios à lateribus nudos invaserunt, alios cursu circumvenerunt: statim dissipata phalange vis ejus & præcipuus usus sublatus est. Comminus verò & contra paucos pugnare difficile erat Macedonibus, cùm parvis pugionibus firmos & ad pedes usque demissos Romanorum ferirent clypeos: contra gladiorum gravium violentos ictus per arma omnia ad corpus penetrantes parvulis peltis exciperent. Itaque cedere cogebantur. Dum a- XXXV

*Strategema Æmilij in phalange dissiuenda.*

*M. Catonis F. fortitudo.*

criter hunc in modum pugnatur, Marcus Catonis filius Aemilii gener, dum nihil sibi fortitudinis reliquum facit: gladium amittit. Neque verò juvenis optimè institutus, quique præclaro parenti virtutis magnæ specimen deLere se intelligeret, vivendum sibi putabat, si gladium vivus hostibus spolium reliquisset: itaque cursu per ordines circumferri, omnibus amicis & familiaribus, in quos incidisset, casum suum exponere, orare ut se in gladio recuperando juvarent. Multi fortes Romani eum ducem secuti, per reliquorum ordines se se propipuerũt, hostesq; adorti, magno certamine, multa cæde, multoque facto sanguine loco tandem pepulerunt, eoq; vacuo hostium, gladium quæsitum diu multumque tandem inter cadaverum & armorum

morum acervum invenerunt: inde lætitia exsultantes, sublato cla-
XXX more in hostiles globos impetum fecerunt. Tandem delecta Ma
VI cedonum phalanx, hominum tria millia locum tenentes, pugnan-
tesque, ad unum omnes cæsi sunt. Reliqui fugientes ingenti cæde
sunt affecti: nam & campus, montisque radices cadaveribus tectæ
jacuerunt, & postridie ejus pugnæ Romani Leucum fluvium trans-
euntes, sanguine adhuc infectum viderunt. Cæsa Macedonum millia
vigintiquinq; perhibentur: de Romanis autē centum, ut Posidonius
ait, ut Nasica, octoginta desiderati sunt. Atque hæc tam ingens pu-
gna minimo temporis spacio exitum habuit: hora enim nona com-
missa, ante decimam victores Romanos declaravit. Reliquum diei
insequendis hostibus datum: & Romani cùm per quindecim millia
pedum fugientibus institissent, nocte jam ingruente reversi sunt, fa-
muliq; cum facibus obviam profecti, prælucentes læto cum clamo-
XXX re ad tabernacula igne lucentia, hederaq; & lauro coronata eos re- *Scipionis Aemiliani fortitudo.*
VII duxerunt. At ipsum imperatorem magnus dolor urgebat: de duo-
bus enim filiis, quos inter milites habuerat, junior, quem præ reli
quis diligebat, & ad virtutem meliori, quàm fratres reliquos, indole
natum sciebat, animo præter ætatem (tum primum enim pueritiam
excesserat) acri & honoris cupido, nusquam reperiebat, periisseque
per imprudentiam hostibus pugnantibus immixtum opinabatur.
Ita se eo angente ac lugente, universus exercitus rem sensit: à cœna-
que exsilientes, cum facibus frequentes discurrerunt, alii ad tento-
rium Aemilii, alii extra vallum, inter prima juvenum cadavera quæ-
rentes. Mœsticia autem castra, clamor campum implebat, Scipio-
nem vocantium: omnibus enim jam inde ab initio ad imperia geren-
da magistratusque obeundos melius composito, quàm quisquam
propinquorum ejus, ingenio diligebatur. Serò tandem, cùm de eo
desperatum prope esset cum duobus tribusve sociis ab insecutione
rediit, novo hostium sanguine perfusus, generosi instar catuli præ
voluptate immodicè victoriam prosecutus. Hic est Scipio, qui po-
sterioribus temporibus Carthaginem & Numantiam excidit, ac suæ
XXX ætatis Romanos virtute & potentia longe anteivit. Et Aemilium *Persei in Samothracian fuga.*
VIII quidem fortuna tunc victoriæ integra voluptate frui passa est, dila-
ta in aliud tempus invidia: Perseus Pydna Pellam profugit cum e-
quitatu, qui integer ferè è prœlio evaserat. Vt verò pedites equiti-
bus timiditatem & proditionem exprobaverunt, & ab equis dejece-
runt, verberaque imposuerunt: tumultum metuens, equum à via de-
flexit, ac ne agnosceretur, purpurem detractam ante se posuit, ac
diadema manibus gestavit, utque cum comitibus posset colloqui,
pedes unà ambulavit, equum post se trahens. At eorum alius cal- *Crudelitas in suos.*
ceum se ligare simulans, alius equo se potum ministrare, alius a-
quam sitis suæ explendæ causa quæsitum ire fingens, paulatim ab
eo dilapsi sunt: non tam hostes quàm crudelitatem ejus metuentes,
XXX qui malis perturbato animo, causam acceptæ cladis in unumquem-
IX libet transferre quærebat. Postquàm verò noctu ingressus Pellam,

in Euctum & Eudæum quæstores incidit, & eos partim ipsum ob ea quæ evenerant culpantes, partim importuna libertate in reprehendendo & confutando utentes, iratus pugione utrumque ictus necavit: nemo jam apud eum remansit, Evandro Cretense, Archedamo Aetolo, & Neone Bœoto exceptis. De militibus autem soli Cretenses eum secuti sunt, non benevolentia adducti, sed pecuniæ faciendæ ut apes favis, intenti; ingentes enim secum opes vehebat, & ex iis pocula, crateras reliquaque ex auro & argento confecta regii luxus instrumenta, quorum precium ad quinquaginta talenta conficiebat, diripienda dabat. Inde Amphipolim, atque hinc Galepsum delatus, remittente nonnihil formidine ad cognatum suum, inveteratissimumque vitium avaritiæ relapsus est: deploravitque apud amicos, quod per imprudentiam, quædam de Alexandri magni aurea supellectile in Cretenses profudisset: & eos, qui nacti hæc erant, precibus & fletu obtestabatur, ut sibi redderent, eorumque loco pecuniam acciperent. Qui hominis ingenium norant, eos non latebat Cretizare ipsum contra Cretenses: qui enim reddiderunt verbis ejus inducti, precium nullum recepêre. Sic amicos triginta talentis cùm defraudasset, quæ paulò post erant in manum hostium perventura, inde in Samothracen trajecit, & ad Castoris ac Pollucis fanum supplex confugit. Macedones interim, quorum semper erat in reges celebrata fides, tunc, quasi fulcro rerum fracto omnia concidissent, fidei Aemilii se commiserunt. atque bidui spacio totam Macedoniam tradiderunt; quæ res fidem facere videtur opinioni eorum, qui istam victoriam fortunæ favori imputant. Quo spectat illud etiam, quod ei Amphipoli rem sacram facienti accidit. victimis enim jam immolatis, fulmen in aram decidit, ac victimas absumpsit, sacraque perpetravit. Verùm fama rei omnium maximè Deûm & fortunæ benignitatem demonstravit. Quarto enim secundum victoriam de Perseo apud Pydnam relata die, cùm Romæ Circenses ludos populus spectaret, subitò in prima theatri parte rumor exstitit, Aemilium devicto magna pugna Perseo, totam Macedoniam subigere: hic rumor celeriter in plebem vulgatus, gaudium, plausum & acclamationem excitavit, quæ totum illum diem per urbis omnes partes duravêre: post cùm non exstaret certus auctor, sed per omnes videretur temerè vagatus, resedit. Non multis interpositis diebus re certius cognita, in admiratione omnium fuit fama quæ præcurrerat, & sub mendacio veritatem annunciarat. Ferunt etiam pugnæ Italorum apud Sagram fluvium famam eadem die in Peloponnesum perlatam: & prœlii contra Medos ad Mycalem facti, Platæas. Memoriæ proditum præterea est, cùm Romani Tarquinios auxiliantibus Latinis bellum inferentes vicissent, paulò post magnos duos & pulcros viros ab exercitu Romam venisse, & victoriam annunciasse; hos creditum est Castorem & Pollucem fuisse: ac qui primus iis juxta forum apud fontem occurrit equos sudore fluentes refrigerantibus, cùm miraretur hanc famam subriden-

*Cretum avaritia.*

*Macedonia Aemilio se dedit.*

XL

*Fama mira celeritas.*

XLI

dentes feruntur barbam ejus manibus contigisse, eamque confestim de nigra rufam factam, indicio fidem, viro Aenobarbi cognomentum peperisse. Quæ omnia ut credenda videantur, id effecit, quod nostro tempore usu venit. Cùm enim Antonius à Domitiano defecisset, magnumque à Germania bellum exspectaretur, & Romanorum animi essent perturbati, subitò populus sua sponte rumorem de victoria sparsit, isque per totam urbem dissipatus est: Antonium scilicet occisum copiasque ejus victas & deletas esse: tamque illustris fuit & tam efficax is rumor, ut multi senatores ei credentes sacrificarint. Vt autem de auctore inquisitio est habita, neque is inventus fuit, sed uno ad alterum ejus initium transferente: tandem ad populum, tanquam in immensum pelagus, famæ origo rejecta est: illa quidem ut quæ nullum certum principium habuisset, statim ex urbe evanuit. At Domitianus cum ad bellum id copias educeret, in itinere nuncium sibi obvium habuit, literas ferentem quibus eadem victoria indicabatur: & eadem die erat rumor iste sparsus, qua Antonius superatus fuit, amplius quàm bis mille & quingentis ab urbe millibus passuum. rem ita habere, nemo vivit nostro tempore qui ignoret. Porrò Cnæus Octavius præfectus classis Samothracam adducta classe, Perseum reverentia Deorum inviolatum ibi jure asyli reliquit: ne tamen effugere inde, avehique posset, custodiit. Verumtamen Perseus Oroandæ cuidam Cretensi pecunia data suasit, ut se in navim receptum aveheret: is autem usus arte Cretica, nocte accepta pecunia eum cum uxore & liberis venire eadem nocte ad templum Cereris jussit, & famulatu quanto opus esset: ipse vesperi avectus est. Perseus cùm miserè se torsisset, ac per angustam fenestram pone murum seipsum, conjugemque & liberos miseriarum & peregrinationis imperitos demisisset, maximè miserabilem gemitum emisit, ut ei oberranti in littore quidam Oroandem jam in alto navigantem à se visum indicavit, ita jam albente cœlo, omni spe destitutus, cum uxore ad murum profugit, ut non fallerent, sed anteverterent Romanos. Liberos Ioni crediderat, amasio pridem suo: isque, prodito Perseo, regios liberos Romanis tradidit. Qua re coactus est præfertim, instar feræ catulis spoliatæ in eorum, qui liberos ipsius secum habebant, manus se tradere. Maximè omnium Nasicæ fidebat, atque hunc vocabat: sed eo absente deplorata fortuna sua, intellectaque necessitate, Octavio se dedidit. Ac tum maximè ostendit, aliud sibi avaritia turpius adhuc vitium inesse, cupiditatem scilicet vivendi, propter quam seipsum miseratione (quam una fortuna hominibus calamitate afflictis relinquit) spoliavit. Cùm enim, ut ad Aemilium duceretur, impetrasset, Aemilius casum viri magni fortunæ invidia indignationeque dejecti reputans, lachrymabundus ei cum amicis occurrit. Perseus autem turpissimum spectaculum exhibuit, in faciem concidens, manibusque genua Aemilii tangens, voces; & deprecationes homine ingenuo indignas proferens. Quas ne audire quidem dignatus Æmilius, tristi eum vultu in hæc verba

XLII *Aenobarbi cognomen unde.*

*Antonij in Domitianum rebellio.*

XL III

XL IV

*Persei & Aemilij colloquium.*

verba compellavit: Quid ô miser, hæc agis, quibus crimine tuarum calamitatum fortunam liberas, & ostendis non immeritò tibi hæc accidisse, teque non præsenti, sed priore conditione indignum fuisse? Quid victoriæ meæ laudem imminuis, demonstrans te non alti animi virum, neque dignum fuisse, quem Romani adversarium haberent? virtus profectò hominis adversa patientis etiam apud hostes magnam sui verecundiam excitat: timiditatem etiam, si fortunata sit, Romani inhonestam censent. Inde à terra sublevatum, XLV dextraque data salutatum, Tuberoni tradidit. Ipse filios, generos, reliquosque primores, maximè juvenes, secum in tentorium suum abduxit: ibique postquàm diu tacitus & cogitabundus omnibus admirantibus consedisset, de fortuna & rebus humanis ita disserere instituit. Vtrum vobis videtur, inquit, convenire, ut homo, rebus feliciter gestis, gente, urbe, aut regno subacto, cristas erigat, animumque attollat: an potius fortunæ vices secum expendat? quæ communis imbecillitatis exemplum victori proponens, docet ne quid stabile aut perpetuum putemus. Quod enim tempus homini sit confidendi rebus suis? quando victoria de aliis parta, maximæ fortunæ mutationem timere nos cogit, considerationi fati modò huc, modò illuc decumbentis etiam gaudentibus summam affert anxietatem. An vos, cùm Alexandri regnum, qui ad summam potentiam pervenerat, unius horæ pericula eversum, regesque modò multis equitum peditumque millibus stipatos, nunc de manibus hostium quotidie cibum ac potum sumere videatis, res nostras stabilitate fortunæ in omne tempus firmatas putatis? quin vos, ô juvenes inanem potius animi elationem, jactantiamque victoriæ causa natam compescite, vosque pavidi demittite, ac futuris semper animum intendite, exspectantes quonam unicuique vestrûm incommodo fortuna præsentem felicitatem sit compensatura. Multa in hanc sententia ab eo dicta memorant, dimissosque juvenes, fastu eorum hoc orationis fræno prope coercito. Secundùm hæc exercitui faculta XL

*Græciam Æmilius perlustrat.*

tem quiescendi dedit, seipsum ad spectandam Græciam convertit, VI gloriosè pariter & humaniter eo ocio utens. Circumiens enim urbes recreavit, respub. constituit, dona civitatibus dedit è frumento & oleo regis, cujus tantam ferunt fuisse copiam reconditam, ut ante qui acciperent, quàm quid daretur, deficeret. Delphis conspicatus columnam magnam quadrãgulam ex albo lapide constructam, cui aurea Persei statua imponenda erat, suam eò collocari jussit: æquum enim esset, ut victi victoribus locum cederent. Olympiæ tri-

*Macedoniæ libertas data.*

tum illud ab eo pronunciatum ferunt: *à Phidia Iovem, qualem Homerus eum descripsisset, effectum esse.* Decem Roma legatis venientibus, regionem suam, civitatesque cum libertate habitandas Macedonibus reddidit, stipendio centum talentorum imperato, cujus summæ plus quàm duplum regibus pendebant. Spectacula porro XL omnis generis certaminum, sacrificiaque diis fecit, convivia quoque VII & cœnas præbuit. Ad eas res sumtum abundè suppeditabant opes

regiæ.

regiæ. tantus autem erat ordo, tanta decori observatio in excipiendis & collocandis hominibus, inq; tribuendo unicuique pro sua dignitate honore, & comitate exhibenda studium, accuratâque diligentia: ut mirati sint Græci, eum virum ne in his quidem, quæ amici causa ageret, seriam gravitatem omittere, ac qui tantas res gessisset, etiam exiguis suum ornatum habere. Aemilius verò his eo maximè nomine delectabatur, quod in tam splendido omnium apparatu ipsius adspectu frui potissimum omnes quærebant: diligentiamque ejus in ea re admirantibus respondebat, ejusdem esse ingenii, aciem bene instruere, & convivium: alterum ut quàm maximum terrorem hostibus incuteret, alterum ut quàm jucundissimum hospitibus esset. Neque minorem liberalitas ejus & pecuniæ despicientia laudem invenit, qui magnam auri argentique copiam ex regis thesauris congestam ne aspexit quidem, sed quæstoribus in publicum referendam tradidit: solos libros regis passus est à filiis suis literarum studiosis eximi. Præmia iis, quorum in pugna virtus potissimum fuisset spectata, distribuens, Aelio Tuberoni pateram quinque pondo dedit. Hic est ille Tubero, quem supra memoravimus cum quindecim propinquis una in domo habitasse, ac proventibus parvi agelli omnes vixisse: primumque id argentum in Tuberonum domum est illatum virtute partum: ante id tempus nemo ea in familia neq; auro neque argento usus fertur. Constitutis omnibus rebus, salutatis Græcis, Macedonasque hortatus, meminissent à Romanis se libertate donatos, eamque gratitudine & concordia ac justicia conservare studerent, in Epirum copias traduxit, jussus senatusconsulto, ut militibus, quorum in pugna contra Perseum esset opera usus, ex ista regione prædam cõcederet. Vt autem omnes simul Epirotas improviso invaderet, ex unaquavis urbe decem primarios viros ad se accersivit, iisque imperavit, ut quantum auri argentique in domibus & templis haberent, id omne ad diem dictum deferrent: & singulis tanquam custodiæ causa addidit, qui una irent milites & centurionem, qui se conquirere aurum, & accipere simularent. Vbi dies constituta venit, uno momento milites ad bona hostium discurrerunt. Itaque una hora in captivitatem abducta centum & quinquaginta hominum millia, urbes septuaginta direptæ sunt: & tamen ex tanta præda, totius populi pernicie parta, singulis militibus non supra undecim denarios obtigerunt: horroremque incussit omnibus hominibus is belli exitus, quod totius gentis direptione non major ad singulos captura rediisset. Hoc maximè præter naturam suam egit Aemilius mansuetus homo & benignus. Inde Oricum profectus est, atque Orico in Italiam cum exercitu trajecit, subvectusque est per Tiberim navi regia, quam sedecim versus remorum agebant, armis captivis palmisque, & purpura ornata *ut & ludi *extra quod ut *Romani ante triumphum ea fruerentur, undis sensim cedentibus subeuntem navim ducentes. *At verò milites regiis thesauris inhiantes, cùm non parem spei prædam accepissent, occultè

*Pauli comitas & liberalitas.*

*Aemilius Epirum populatur.*

*Vt Romam rediret.*

occultè Aemilio irascebantur: palam autem culpabant, quod imperiosè ipsos & duriter militiæ habuisset, ideoque parùm studiosè triumphum ejus expediebant. Quod sentiens Sergius Galba, inimicus Aemilio, sub quo tribunus militum eo bello fuerat, palam ausus est dicere, non esse triumphum ei concedendum. Multis præterea calùmniis imperatorum apud milites traducens, iræque eorum stimulos addens, aliam à tribunis plebis diem postulavit: præsentem enim, accusationi non suffecturam, cujus quatuor tantùm horæ restarent. Tribunis contra, ut si quid haberet, id statim diceret jubentibus, prolixam & obtrectationibus omnis generis, refertam orationem exorsus, tempus absumsit: tenebrisque ingruentibus dimissa à tribubus est concio, milites aucta ferocia ad Galbam concurrerunt. Iidem facta coitione. Capitolium, ubi concionem erant LI
tribuni plebis habituri, summo mane occuparunt: cúmque statim ad suffragia populus vocaretur, prima tribus triúmphum Aemilio negavit. Quod ubi per reliqua etiam loca dilatum senatus cognovit: cæteris indignam rem agi, contumeliamque inferri Æmilio summo cum dolore, & inanibus clamoribus testantibus: senatorum clarissimi, non ferendum hoc facinus clamitare, mutuoque se cohortari, irent obviam militum libidini atque audaciæ, nihil injustum, nullam vim non tentaturæ, si hoc nemine impediente, obtinuissent, ut Æmilio potestas triumphandi eriperetur. Inde agmine facto, per mediam hominum turbam se in Capitolium proripuerunt tribunosque plebis jussérunt suffragiorum lationem inhibere, tantisper dum, quæ vellent, ad populum dixissent. Omnibus necessantibus, factoque silentio, Marcus Servilius, vir consularis, qui vicies ac ter in bello singulari certamine provocatus hostem interfecerat, in hanc sententiam est ad populum locutus. Quantus im- LII

*M. Servilij pro Æmilij triumpho oratio.*

» perator fuerit Aemilius Paulus, nunc maxime intelligo ex hoc,
» quod usus exercitu inobedientia ac malitia corruptissimo tantas,
» tamque præclaras tamen res gesserit. Vos autem miror cur, qui læto animo triumphari ex Illyriis & Liguribus videritis pulcerrimum
» vobis ipsis spectaculum invideatis: nimirum visuri, Macedonum regem vivum, gloriamque Alexandri & Philippi armis Romanis, captivam duci. An verò non indignum est vos ante, cùm rumor modo de victoria hac in Vrbem incidisset, Diis immortalibus sacrificasse, votaque fecisse, ut quàm primùm vobis reipsa id, quod annunciabatur, videre daretur: nunc veniente imperatore, veramque victoriam secum afferente, diis honorem, vobis ipsis eam lætitiam vos adimere? quo id tandem consilio? an magnitudinem rerum gestarum inspicere pavetis? aut regis vos adeò miseret? & præstabat sanè ejus vos miseratione, quàm invidia in imperatorem, triumphum impedire. Enimverò vestra opera eò nunc licentiæ malignitas processit, ut de imperatoris officio, & triumpho homo corpore à vulneribus intacto, cujusque nitor eum molliter & inter parietum umbras educatum juventutem egisse testatur, verba audeat facere:

idque

idque contra nos, qui vulnerum indicio judicare de virtute aut ignavia imperatorum didicimus. Simulque deducta veste, incredibilem cicatricum multitudinem in adverso pectore demonstravit: &
LIII conversus inde quasdam partes detexit, quæ in conventu hominum adaperiri parum honestè videntur. Atque tum oratione ad Galbam conversa: Tu quidem, inquit, hæc rides, at ego glorior apud cives, quorum causa dies noctesque continenter equitans hæc corporis mala retuli. Verùm agedum, voca multitudinem ad suffragia: ego autem descendens, singulos sequar & cognoscam quinam sint mali illi, & ingrati, ac qui militiæ non sub disciplina haberi, sed factiosis sermonibus potius demulceri cupiant. Hac oratione ita repressam militum audaciam, animosque mutatos tradunt, ut omnes tribus Aemilio triumphum decreverint. Eum hoc modo ductum ac-
LIV cepimus. Populus in Circis, foro, aliisque locis, unde triumphi pompa cerni posset, fixis tabulatis, de illis spectabant, pura veste induti. Omnia templa aperta, sertis atque suffitibus implebantur. Lictores multi, apparitoresque multitudinem in publicum se tumultuosè ingerentem submovebant, viasque apertas & vacuas præstabant. Pompa autem ipsius triumphi sic erat instituta, ut tribus diebus perageretur. Prima dies vix suo spectaculo suffecit: inferebantur bigis ducentis ac quinquagintæ, statuæ captivæ, tabulæ pictæ & colossi. Secunda die invecta sunt multis curribus arma de Macedonicis lecta pulcerrima, sumtuque maximo facta, ære ferroque recens politis fulgentia, ac de industria inter se composita & congesta, ut casu ita coacervata viderentur: galeæ enim clypeis, thoraces ocreis, tum Cretenses peltæ, Thraciæ cetræ, pharetræ frenis permixtæ jacebant, ac inter hæc omnia gladij nudi prominebant, sariſſæq; juxta fixæ erāt. armis ipsis modicè laxato vinculo nexis, ut mutuò inter vehendū colliderentur, sonumve asperū & terribilem ederent, ac victa
LV etiam non sine horrore spectarentur. Hos currus sequebantur vasa septingenta, & quinquaginta, trium talentorum singula capacia, in his argenteum nomisma inferebatur à virorum tribus millibus, quaternis unum vas subeuntibus. Alii autem crateras argenteas, pocula in cornu formam tornata, pateras, calicesque gestabant, singula pulcherrimè ornata, crassicieque & mole nimia spectanda. Tertia die, summo mane tubicines intraverunt, non itineribus aut pompis accommodatum carmen, sed classicum canentes. Hos subsecuti sunt tauri centum viginti altiles, aurati cornua, mitrisque & sertis ornati: ducebant eos juvenes ad sacrificium, cincti prætexta: juxtaque pueri pateras ad libandum aureas argenteasque ferentes. Post hos eodem, quo argenteum modo, aureum nomisma portabatur, vasis septuaginta septem. His subibant qui sacram pateram gestabant, quam ex decem auri talentis, gemmis undique insertis, Aemilius fieri curaverat: ac cum his, qui Antigonidas, Seleucidas, Thericleas reliquaque aurea vasa, quibus in cœna uti solitus erat Perseus, ostentabant. His succedebat Persei currus & arma,

*Triumphus Aemilij.*

iisque

iilque diadema impositum. Parvo post intervallo liberi regis ca- LVI
ptivi ducebantur, cum magna alumnorum, præceptorum, pædago-
gorumque caterva plorantium, manusque ad inspectantes tenden-
tium, puerosque, ut idem facerent, ac deprecarentur, instruentium.
*Persei liberi.* Erant duo masculi, una filiola, neque per ætatem planè assequebantur animo magnitudinem calamitatis suæ: eoque majorem miserationem ignoratio malorum movebat spectatoribus. Itaque ferè non observantibus iis Perseus transivit: adeo misericordia affecti Romani oculos liberis regiis intendebant, multasque lacrymas effundebant, eratque mixtum dolore & gaudio spectaculum, tantisper dum ij præterirent. Ipse post liberos suos turbamque eos comi- LVII
tantem Perseus intedebat pullo amictu, crepidisque Macedonicis: malorum autem mole attonito, menteque alienato similis videbatur. Comitabatur hunc turba amicorum & familiarium, qui vultum præ luctu demittendo, Perseumque subinde intuendo ac plorando, spectatoribus innuebant, se parvam propriæ sortis curam gerere, regis modò infortunium lamentari. Miserat quidem ad Aemilium Perseus, qui deprecarentur, ne in triumpho duceretur. Verùm
*Persei mollities à Paulo notata.* Aemilius molliciem (ut videtur) ejus, vitæque cupiditatem subsannans: Atqui, inquit, & ante hoc ei permissum fuit, & adhuc licet. mortem ante dedecus conscisendam innuens, quam timidus ille ne obiret, vanas spes molli animo confectatus, ipse suarum exu- LVIII
viarum pars factus est. Secundum hos aureæ coronæ quadri- gentæ inferebantur, quas victoriam gratulandi causa urbes Aemilio per legatos miserant. Inde ipse Aemilius curru ornatissimo invectus est, vir, etiam absque hæc fuissent omnia, spectatu dignissimus: amictus erat purpuram auro intertextam, dextra frondem lauri tenebat. Totus exercitus lauro coronatus centuriatim ac per manipulos divisus currum Imperatoris sequebatur: canebantque cùm patria quædam carmina, risu salibusque admistis, tum pæanas de victoria & rebus gestis Aemilii. Is omnium in oculis ferebatur, omnium erat in admiratione, neque huic tantæ ejus gloriæ quisquam bonus invidebat. Enimvero genius aliquis videtur esse, LIX
cujus partes sint, magnæ atque nimiæ felicitatis partem aliquam carpere, atque ita temperare humanam vitam, ut nemo malorum expers vivat, sed (quod est apud Homerum) cum eo optime agatur, cujus res utranq; fortunam sentiunt. Quatuor filios habebat Aemilius, quorum duo in alias familias per adoptionem translati, ut supra exposuimus, Scipio & Fabius erant: alii duo nati ex alia coniuge,
*Calamitas Aemilij amissione filiorum.* quos pueros adhuc domi suæ alebat. Horum alter annos natus XIV. quinq; ante triumphum patris diebus mortem obiit: alter duodecimum annum agens, tertio post triumphum patris die vitam finit. Neq; fuit in populo quisquam, cui non dolore ea calamitas Aemilii afferret crudelitatéq; fortunæ horrere omnibus subiit, quã non puduisset, tantum luctum domui gloria, gaudio & sacrificiis plenè immittere, ejulatumq; & fletum carminibus victoriam celebrantibus,

& trium-

& triumpho admiscere. At Aemilius prudenter secum consi- *Aemilii prudentia & constantia.*
derato, fortitudinis & constantiæ usum, non tantum contra sarissas &
arma hostium, sed omninò adversus omnem fortunæ impetum re-
quiri: ita se comparavit, eoque animo præsentium rerum permix-
tam conditionem tulit, ut infortunium felicitate, privatamque cla-
dem publica victoria obliteraverit: neque passus sit, magnitudi-
nem splendoremque triumphi rebus adversis imminui aut contа-
minari. Itaque altero è filiis, qui ante triumphum defunctus erat,
sepulto triumphavit. Altero post triumphum mortuo, advocatâ
populi concione, eam habuit orationem, quam habere par erat vi-
rum non consolationis indigentem, sed qui populum ejus infortu-
nii causa merentem consolari instituisset. Nihil est, inquit, in re- *Oratio ad populum.*
bus humanis cujus me unquam metus tenuerit: in divinis autē for-
tunam, ut infidissimam inconstantissimamque rem semper suspe-
ctam habui: atque hoc ipso maximè bello, cùm ea, tanquam ven-
tus secundus, rebus gerendis prospera mihi adesset, nunquam non
mutationem aliquam expectavi. Etenim una die à Brundusio Cor-
cyram Ionio mari transmisso, quintis inde castris Delphos perveni:
hic Deo sacris peractis, quinto post die exercitum in Macedonia ac-
cepi; quem cum patrio ritu lustrassem, ac statim rei gerendæ me
dedissem; spacio quindecim dierum bello finem pulcerrimum im-
posui. Hic successus rerum tam felix effecit, uti diffiderem fortunæ:
cumque nihil restaret ab hostibus periculi, maxime veritus sum, ne
navigantem me cum exercito victore, spoliaque & captos reges me-
cum vehentem, ipso cursu fortunæ mutatæ aliquis casus feriret.
Postquàm incolumis ad vos redii, urbem videns lætitia & gratula-
tione plenam sacris frequentem vacare, fortunam adhuc habui su-
spectam, quam compertum habebam ea esse invidia, ut nullum ma-
gnum munus hominibus sincerum, & non aliquo malo infectum,
largiretur. Hunc metum animus meus parturiens, non prius,
quid esset eventurum reipub. sollicitus esse desiit, quàm ingenti
domestica clade perculsus, filios optimos, quosque solos mihi hæ-
redes reliqueram, continuis funeribus sacris diebus sepelii. Nunc
demum maximi me securum periculi existimo, confidoque feli-
citatem vestram illæsam incolumemque permansuram. Calamita-
tibus enim meis fortuna invidiam suam exsaturavit, humanæque
fragilitatis exemplum haud obscurius victorem quàm victum pro-
posuit: nisi quod Perseus meliori conditione videri potest, qui
victus suos liberos tamen habet; Æmilius victor suos amisit.
Hujusmodi generosam & magnanimam orationem Æmilius ex a-
nimi sententia, nihilque simulatione usus, habuisse ad populum
traditur. Porrò cum Perseum miseraretur, cuperetque ejus mise-
rias quoque modo levare, aliud nihil invenit; quàm quod eum è
carcere in locum liberiorem, & ubi vitam agere posset commodius,
transtulit, quo in loco custoditus, inedia spontanea (ut pleriq; au- *Perseus mortuus.*
tores sunt) vitam terminavit. Alii novo & insuitato tradunt modo

eum necatum fuisse. Custodiæ enim ejus præfectos milites, iratos ipsi, incertum quam ob causam, cùm aliter lædere non possent, somno eum arcuisse, diligenterque observasse, ne quando somnum capere posset, omnique cura & opera insomnem detinuisse, tantisper dum vigilia confectus mortem obiit. Filiorum quoque alter, & filiola extincti sunt. Superstitem filium Alexandrum tornandi subtiliumque operum egregium artificem fuisse tradunt: eumq; Romanas literas addidicisse, & magistratibus se scriptorē solertem ac gratiosum præbuisse. Porro Macedonico bello gestis rebus summam populi gratiam meruit Paulus, tanta in ærarium illata pecunia, ut collationibus civium in posterum opus non fuerit, usque ad Pansæ & Hircii tempora, qui primo Antonii & Cæsaris bello consules fuerunt. Id peculiare fuit Æmilio, quod, cùm plebem haberet sui LXIV studiosissimam, ac maximis honoribus ab ea afficeretur, tamen in optimatum secta perseveravit. neque ullum ejus vel dictum vel factum in gratiam vulgi extat: sed in rēpub. semper se principibus Senatus socium adjunxit. Atque hoc postea temporis Appius Africano Scipioni objecit, competitor ejus in censura. Cùm enim Appius (qui erat ejus generis perversitus mos) senatum & optimates, petitioni suæ studentes, secum duceret: Scipio cùm ipse per se magnus, tum gratia semper populi, favoreq; summo usus, in forum venit stipatus hominum ignobilium libertorumq; multitudine, qui tamen in campestribus certaminibus multum, concitandaque turba valerent. ac favore suo & clamore violenter in omnibus rebus versarentur. Quod ut vidit Appius, magno clamore: Ingemisce, inquit, Paule Æmili, si vel apud manes sentis, filium tuum ab Æmilio præcone, & Licinnio & Philonico ad censuram produci. Sed LXV Scipio quidem augendo populum, ejus sibi benevolentiā parabat. Æmilius autem, quanquam optimatum partes constantissimè tuebatur, non minus tamen carus populo fuit, quàm quisquam eorum qui maximè obsequendo & blandiendo gratiam populi quærebant. Idque populi studium præter reliquos honores censura ei delata evidens fecit: qui est omnium magistratuū sanctissimus, plurimumque potestatis habet cùm in aliis rebus, tum in arbitrio morum. Habent enim censores jus movendi senatu qui indignè eo ordine vixisset, principem senatus legendi, juvenum intemperantiam adempto equo notandi: censent etiam facultates civium. Censa sunt Æmilio censore millia CCCXXXVII. & CCCCLII. Senatus principem legit M Æmilium Lepidum, quartum eo honore functū. Tres non admodum illustres senatu ejecit, in equitumque etiam censura moderatun e gessit. Collegam habuit Marcium Philippum. Plerisque ac summis rebus confectis, in morbum incidit, initio LXVI quidem lethalem, sed qui tempore minus periculosus redditus, difficilis tamen neque facilè medicabilis erat. Itaque medicorum suasu Eleam Italiæ urbem discessit, ibique in prædiis maritimis ac tranquillis multum temporis exegit. Romanis verò desiderium

ejus

*Filiorum ejus conditio.*

*Censu civibus remissus.*

*Æmilii in optimatum partibus permansio.*

*Æmilii censura.*

*Morbus ejus.*

ejus incessit, ac sæpe in theatris voces votis reditum ejus ad urbem expoſcentium auditæ ſunt. Cùm ergo ſacrificium ſolenne eſſet peragendum, viſus etiam jam ſatis allevato eſſe corpore, reverſus Romam operatus eſt ſacris, præſentibus reliquis Pontificibus, turbaque lætante circumfuſa. Poſtridie privatim pro ſuâ ſalute gratias agens ſacram rem fecit, eoque negocio expedito domum reverſus, cùm decubuiſſet, ante quàm mutationem ullam ſentiret, mente a- LXV lienatus, tertia poſt die fato functus eſt. Nihil ei defuit omnium II eorum, quæ ad felicitatem requiri cenſemus. Nam & funus ejus magno cum civium ſtudio deſiderioq; factum eſt, ornatusq; donis ſepulcralibus beatiſſimis atque optimis fuit: non auro, non ebore, ſed benevolentia, gratia & honore, quibus eum non cives modò, ſed etiam hoſtes proſecuti ſunt. Quotquot enim fortè eo tempore Romæ fuerunt Hiſpani, Ligures, Macedones, ex his juvenes, quique erant corpore valido, feretrum ſubierunt: ſeniores id comitati ſunt, Æmilium benefactorem & ſervatorem ſuæ quisq; patriæ invocantes. Non enim id modò temporis, quo magiſtratum geſſit, humanum ſe & clementem exhibuerat omnibus: ſed & per omne vitæ ſuæ reliquum ſpatium ſubinde aliquid in ipſorum commodum conſuluerat, cujusq; eorum tam quam cognatorum & familiarium geſſerat. In bonis ejus vix CI DXXIO. ſeſtertia inventum traditur: cujus patrimonii filios ſuos hæredes inſtituit. ſed horum minor ætate Scipio datus in adoptionem Africano, ac familiæ locupletiori inſertus, fratri integram hæreditatem reliquit.

*Mors & funus.*

## TIMOLEONTIS CUM ÆMILIO Comparatio.

LXV Qui mores, quæ vita utriusque fuiſſet, hactenus expoſitum eſt. III Non multa autem diverſa, paucaſque diſſimilitudines occurſuras, ſi inter eos contentio fiat, perſpicuum eſt Bellum enim uterq; contra illuſtres adverſarios geſſit, hic Macedones, ille Carthaginienſes. Victoria utriusque glorioſa: quod hic Macedoniam ſubegit, regnique ab Antigono inſtituti ſucceſſionē in ſeptimo rege deſtruxit: ille omnes è Sicilia tyrannides profligavit, inſulæque libertatem reſtituit. Niſi quis hoc objiciendum putet, quod Æmilius Perſeum integris rebus ſultum, victoriiſque aliquot de Romanis potitum aggreſſus eſt; Timoleon in Dionyſium fractum jam planè, omniq; ſpe deſtitutum incidit, & contrà, quod hic multos tyrannos, magnaſque X* Carthaginienſiū copias vili exercitu devicit, non viris belli diſciplinæque militaris peritis uſus, ſed conductitio milite, incompoſitoq; & qui imperia ſuæ cupiditati accommodari velit, nam æquales victoriæ impari apparatu partæ, cauſam ejus penes imperatorem XIX fuiſſe teſtantur. Porrò cum uterq; in rebus gerendis juſtus & inculpatus fuerit, id Æmilius præſtitiſſe videtur, legibus & patriæ cōſuetudine

*Bellicarum rerum.*

*Moderatio.*

tudine ita institutus: Timoleon autem ipse se ad hunc modum comparasse. Cui rei argumento est, quod Romani ea tempestate omnes ex æquo modestè vivebant, instituta majorum, leges, & cives suos reverentes: inter Græcos tum nullus, excepto Dione, dux fuit, qui non missus in Siciliam corruptus fuerit. Quin etiam ipsum Dionem tyrannidem affectasse, regnumque Laconicū quoddam somniasse multi sunt suspicati: & Gylippum Timæus scribit cum ignominia & infamia à Syracusanis dimissum, quod eum in imperio avarum, atque inexsatiabilis cupiditatis hominem judicassent. Quæ verò flagitia perpetrarint, quam perfidè multa egerint Pharax Lacedæmonius, & Callippus Athenienſis, spe Siciliæ in suam potestatem redigendæ, multi perscripserunt: tametsi ii homines erant obscuri, neque magnis rebus præfecti, quorum alter Dionysium Syracusis ejectum adulatus est, Callippus mercenariorum militum sub Dione dux fuit. Timoleon autem Syracusanis efflagitantibus imperator missus, ut qui non quæreret potentiam, sed oblatum sibi imperium administraret, eversione tyrannorum id finiit. Hoc quidem nomine meritò miretur aliquis Æmilium, quòd tanto regno subacto, ne denario quidem uno suas facultates auxit, imò ne vidit quidem, aut tetigit pecunias regias, quanquam in alios multa dona contulisset. Neque ego reprehensione dignum Timoleontem statuo, qui agrum & domum à Syracusanis acceperit: non enim turpe est, accipere aliquid pro gesto imperio: sed præclarius tamen est, non accipere: & abundantia virtutis ostenditur, ubi quod licet accipere non curare se quis demonstrat. Quemadmodum autem corpus id robustius habetur, quod & frigus & æstum tolerare potest, & ad utramque mutationem ferendam natura aptum est: sic virtutis integra vis censetur, quam neque secundæ res plus justo afficiunt, segnemque reddunt, neque adversæ dejiciunt. Quo nomine Timoleonte Paulus perfectior existimari debet, qui in magno infortunio, gravique calamitate, in quam morte filiorum devenit, nihil de ea majestate, animique magnitudine quam felicissimo rerum successu gesserat, diminuit. Timoleon contra egregio facinore edito cæde fratris, non restitit ratione affectui, sed pœnitentia doloreq; fractus viginti totos annos tori & tribunalis conspectu se abstinuit. Turpitudinem quidem fugiendam esse, accavendam, verum est: omnem verò ignominiam vereri, modesti quidem id, & simplicis, pusilli tamen animi est.

*Continentia.* LXX

*Fortunæ excessus ut tolerati.* V. XXII

## IN ÆMILIUM PAULUM ANNOTATIONES.

*Vetus Æmilij Pauli etas nota satis est, præsertim ob Perseum regem Macedoniæ ab eo debellatum: de quo triumphavit anno V. C.* IↃXXCVII.

Cap. 1. Democritus quidem optandum dixit.) *Locus est hic ne-*

*gna-*

*quaquam omnium intelligentia patens: ideoque Aretinum etiam, hominem, ut accepimus, doctissimum, si scisset, ignorantem aut non recordantem, quænam Democriti idola essent. Finxit autem Democritus imagines quasdam (εἴδωλα sic exprimo, Ciceronem lib. de Finibus prime, & alibi secutus) à natura fusas, quæ ubique in toto orbe terrarum suos haberent circuitus, & ubique occurrerent: quam sententiam & explicat copiosè, & disputando ventilat lib. de Natur. Deorum primo M. Tullius. Neque gravabor verba ejusdem adscribere, de epistola quadam ad C. Cassium, (quem fuisse Epicureum, ex Cicerone & Plutarchi Bruto constat: sicut & hoc notum est, Epicurum Democraticam habuisse philosophiam, mutatis & adjectis quæ vellet) quæ exstat in libro Familiarium epistolarũ decimoquinto: Fit enim, "*
*ait, nescio qui, ut quasi coram adesse videare, cùm scribo aliquid "*
*ad te: neque id nunc εἴδωλον φαντασίας, ut dicunt amici tui novi, qui "*
*putant etiam διανοητικὰς φαντασίας spectris Catianis excitari. Nam "*
*ne te fugiat, Catius insuper Epicureus, qui nuper est mortuus, quæ "*
*ille Gargettius (sic vocat Epicurum, à Gargetto Attica loco, ejus "*
*natali) & antè Democritus, εἰδώλα, hic spectra nominat. His autem "*
*spectris si oculi possunt feriri, quod vel iis ipsa occurrunt: animus "*
*qui possit ego non video, &c. Quibus verbis opinor plurimum lucis nostro loco adferri, & vicissim. Iam εἴδωλα τύλογχα, si omnino sit legendum, (nam & in lib. Plutarchi de Oraculis defectis ita legitur, & haud scio an eo sit usus hic vocabulo Democritus: usus quidem etiam aliàs verbis minime in communem consuetudinem loquendi receptis: ut exempli causa ἐυσωμῶ, τρεπτῆ, διαδυῆ, quæ Aristoteles libro ἡ prima philosophia interpretatur, ὄγκια, ἧπαρ, τάξιν, aliaquin τύλογα fortassis præterierim, si quæ autoritate id confirmare liceat) ἐς ingeniam τύλογχα rectè legitur, licebit sumpta ex sequentibus Plutarchi verbis conjectura τύλογχον interpretari τὸ οἰκεῖον, ἢ ἐπιτήδειον, hoc est, commodum & quasi familiare, aut vernaculum. Neq; enim abludet ἔτυμον, si παρὰ τὸ λελογχέναι deducas, quod est forte obtinuisse aut accepisse, à verbo λαγχάνομαι medio: unde illud apud Theocritum,* εἰδύλ. θ.

αὐ αὐ τᾷ σλανᾷ μάλα δ' αἰμὶν ὃς μ' ἐλελόγχει.

Heu, quàm me duro subjecit sors mea fato.

*Itaque τύλογχον erat, quod nobis bona fortuna & prospera sorte obtigit, nempe opportunum & commodum. Quo facit, quod in eo quem dixi Plutarchi loco, hisce δυσράπτοις & μοχθηρὰ opponuntur, tristia & adversa, seu prava.*

Cap. 2. A Mamerco.) μάμερκος *in Græco, non μάρκος legendum, ex Numa patet. Non sum nescius αἰμύλον, αἰμύλιον, & alia his cognata apud Græcos littera y scribi, ut & apud Homer. Odyss. α. 56. ibique Eustathium. Sed tamen in quibusdam libris per I. scribuntur, & proprium quidem apud Latinos ferè ubique ita scribi, inque veteribus monumentis, constat. fierique potuit, ut Græcam*

*litteram Romani prisci vocem recipientes, repudiarint. In Numa* αἰμυλία *&* Αἰμιλίου οἶκος *quidem scribitur. Cæterùm quam Æmiliam Pauli ad Cannas occisi filiam noster facit, Suidas nescio quo ex scriptore hujus Pauli, cujus vita hoc describitur, filiam videtur facere. Sed quod hoc est, etiam in Scipione ponitur.*

Cap. 3. Ædilitatem, primum de superioribus magistratibus.) *Omisit hoc Aretinus. in Græco est* ἐπιφανῶν, insignium magistratuum. *Curules intelligi possunt haud incommodè. sunt enim, & alij, quasi minoris dignitatis magistratus: ut vigintiviratus (quem primò omnium petisse solitum, apparet ex Cornelij Tacit. lib. 3. de Nerone Germanici filio dicente) ut quæstura, ut tribunatus plebis, ut ædilitas plebis, testante hoc nostro Plutarcho in vita Marij, ut alij, de quibus hic dicere non est occasio.*

Cap. 6. Mnasonis viri consularis filiam.) μνάσωνος. *Intelligo C. Papirium, qui consul fuit anno* I Ↄ X X I I I. *cujus etiam meminit Livius initio 25. lib. C. Papirius L. F. decemvir sacrorum. Sed ibi* Masso *cognomentum est. sicut & in codicibus Ciceronis legitur, lib. 9. Fam. epist. ad Patum,* L. Masso ædilicius. *atque sic legit hoc loco Amiotus. Sigonius apud Livium* Maso *legit, unico S. cujus cognomenti quæ sit aut esse possit ratio, non intelligo.* Mnaso *quidem* μνάσων, *Græcum est nomen, cujus cùm alij, testes sunt, tum Eustath. in Odyss. 14. cujusdam* Phocensis Mnasonis *meminit, qui plures mille servos possederit: quem familiarem fuisse Aristotelis, ait Athenæus libro sexto. Commemorantur & alij* Mnasones. *Quo autem modo in cognomentum Romani venerit, non assequor. Cogitandum harum rerum doctoribus relinquo; utro modo rectius legatur, & Plutarchi ne hic locus emendandus, an ad alios corrigendos adhibendus sit.*

Ibid. Romanum virum uxori suæ nuncium remisisse.) *Sic est ad verbum in Græco,* ὡς ἀνὴρ Ῥωμαῖος ἀπεπέμψατο τὴν γυναῖκα. *Pro quibus interpres subjecit hæc:* Sed videtur aliqua efficax ratio affuisse. *Quæ sanè verba uti optimè loco huic quadrant, ita non satis tamen id quod est in Græco explicant: totumque illud, quod modò Græcè & Latinè adscripsi, omittetur. Amiotus sic vertit, quasi quod de calceo sequitur, non Paulus, sed alius quidam Romanus causam divortii interrogatus respondisset. quod mihi non probatur: Ut meam conjecturam (nihil enim habeo certi) exponam, videtur mihi Plutarchus hoc velle, quia ejus divortij causam nemo comperisset: & certum tamen esset, haud ab re Paulum tale aliquid facturum fuisse: vulgi sermonem extitisse,* dimissam à Romano viro conjugem, *atque hoc quasi proverbium fuisse. nam* λόγος *sæpe etiam* proverbium *significat.* Romanum *autem proverbialiter intelligi* virum gravem severumque, & propositi tenacem, *atque* ἀπαραίτητον, *quales prisci illi fuere Romani, rigidi homines etiam in plectendis capitali supplicio liberis. Hæc est mea opinio: sed quam doctiore aliqua conjectura obliterari, non iniquè*

Romanus vir.

*sim*

*sim laturus. Nam profecto responsum de calceo, Æmilianum esse satis apparet.*

Ibid. Alterum Fabii Maximi filio. ) *Hic sanè deinceps Quintus Fabius Maximus Aemilianus dictus fuit: Sicut frater ejus, quem Scipio Africani F. adoptavit, P. Cornelius Scipio Aemilianus: quem morem paterni nominis retinendi cùm alij, tum Dio noster lib. 46. & 55. explicat. Ac de Scipione quidem Aemiliano res minus obscura est, neque verbis opus habet. De Fabio quærendum. Nam quod in Græco legitur, τὸν μὲν πρεσβύτερον ἀπὸ μαξίμου φαβίου mendosum est. Aretinus ab ipso Maximo Fabio, eo qui quinquies consul fuit, nempe eo qui cunctando restituit rem, adoptatum plusquam absurdè dixit: utcunq; id sequenti Amioto. Quod à filio Fabij cunctatoris adoptatum verti, eo factum est quod ἡὸς scriptum à Plutarcho suspicabar, inque ejus locum ἀπὸ subrepsisse, & quam proximè hærere Plutarchianis vestigiis statuissem. In hac sententia esse alios quoque non mediocriter doctos scio. Quod si quis non ab eo qui consul fuit, & ante patrem mortuus est, adoptatum dicat (id quod consentaneum certè est, cùm ante annum V. C. IↃL. iste obierit: Aemilianus anno demum IↃCIX. consul sit factus) fortassis à Qu. Fabio Maximo, qui patri Cunctatori supervixit, inque ejus locum (ut Livius lib. 30. affirmat) augur est creatus, adoptatus fuerit. Tametsi admodum puerum oportuit in stirpem eam adscitum esse, etiamsi hoc ipsum statuamus. idque illo ipso augure, profecta jam satis ætate, siquidem maximo natu Cunctator decessit: Fabius Aemilianus bello Persico adolescens adhuc fuit, uti infra Plutarchus tradit. Relinquitur, ut à nepote hujus arrogatum statuamus: quod & ipsum sentire nonnullos intelligo. Qua in re id inest difficultatis, quod neminem id antiquorum tradidisse sciamus. Quintum Fabium Labeonem, qui anno V. C. IↃLXXI. consulatum gessit, opinio est aliquorum, fuisse nepotem Cunctatoris, ab eoque in filij locum assumtum Æmilianum: sed quibus id testibus probare possim, si quis contra dicat haud sanè video. Equidem nusquam memini me legere, Labeonem magni illius Fabij nepotem fuisse. & Quinti prænomen ita Fabiis usitatum fuit, tamque etiam ampla illa gens, ut tametsi Qu. F. Qu. N. is dicatur, tamen habuisse avum Cunctatorem necesse non sit. Et quidem uterque Cunctatoris Fabij filius, & is qui consularis vivo patre mortem obijt, & is qui auguratum patris accepit, Quinti prænomen habuerunt, si Livio & aliis credimus. nam in Lælio Ciceronis prior Marcus perhibetur in quibusdam libris. Neque verò non potuit adoptatus fuisse Pauli filius à nepote illustris illius Verrucosi, si non fuit à Labeone. non enim (ut quidem ipse censeo) evidens aut verum est, sine liberis utrunq;, vel omnes ejus filios decessisse. Sanè Labeo & L. Paulus (cujus vitam hic tractamus) æquales fuerunt, proximoq; post illum anno hic consulatum primum gessit: si quid hoc ipsum in se habet argumenti. Verùm in re incerta, atque in qua non sint fortunæ (ut ille*

*Fabius Aemilianus à quo sit adoptatus.*

*dicebat*) *Græcia posita, nimis fortè anxius versor: cùm unumquemlibet sequi liceat quod probaverit, sine summo historiæ detrimento. Tamen quæ in utramque partem cogitassem, volui annotare: si fortassis hæc ipsa alios ad extricandum hoc, quodcunque est, sint stimulatura. Quod statim sequitur de Ælio Tuberone,* καὶ μεγαλοπρεπῶς ἐχρήσατο τῇ πενίᾳ τοῦ ἀνδρός, *dictum est perquam venustè, & ab Aretino perversum.*

Cap. II. Antigonus omnium.) *Operæ precium fecerim, si hanc successionem regum Macedoniæ ob oculos ponam, atque nonnihil explicem: facit enim ad multa aliorum, nostri etiam quædam in Pyrrho, Demetrio, & alibi intelligenda loca. prius tamen typo delineatam rem oculis subjiciam.*

## REGUM MACEDONIÆ GENEALOgia post Alexandrum Magnum.




## EXPLICATIO QUORUNDAM.

*Quod ad patrem attinet Antigoni primi sive magni, eum fuisse Philippum satis constat. ita enim nominant Plutarchus in Demetrio, Arrianus libro primo de expeditione Alexandri, Iustinus lib. 13. Orosius lib. 3. cap. 23. Quis autem fuerit iste Philippus, non facilè dixerim. In Onomasticis reperies, Antigonum primum fratrem fuisse Alexandri magni, idque esse apud Plutarchum in Pyrrho. Quorum & prius existimo falsissimum esse: & posterius quid est, nisi mendacio & falsa citatione imponere simplicibus? Ego, cùm de patre Antigoni Philippo dicitur, nequaquam intelligendum judico regem*

*regem Macedoniæ, patrem Alexandri: sed alium quendam. nisi si quis adeò stultus est, ut, cum Arrianus quo dixi libro, in pugna ad Granicum descriptione Philippum Amyntæ filium nominat, de eodem velit accipere. Idem alium præterea Philippum commemorat, Menelai filium. Pausanias in atticis, Philippum Cassandri fratrem refert, qui cum Aeacida Epiri rege prælio dimicaverit, qui an idem sit cum eo quem ante Ptolemæum Berenices maritum fuisse in Pyrrho Plutarchus scribit, haud scio. Certi autem nihil habeo & amplius hic de matre quoque Antigoni Gonatæ non sum certus: nam pater ejus Demetrius, cujus vitam scripsit noster, plures habuit uxores: quarum primam sororem Pyrrhi Deidamiam, matrem Gonatæ fuisse suspicor. Habuit autem præter eam etiam Antipatri filiam Philam, ex qua ei nata est Stratonice, quæ Seleuco Magno est collocata ab ipso: & Ptolemaidem Ptolemæo & Eurydica Antipatri filia natam. Quin & Euridicen quandam Atheniensem & Lanassam Agathoclis filiam Pyrrho matrimonio junctam duxisse legitur. Alcyoneum Antigoni Gonatæ filiũ fuisse, in fine Pyrrhi noster ostendit: quid ei factum sit, non memini legere. Demetrius quidem ejus frater decem annis rex Macedonibus fuit, ut libro 2. scribit Polybius. Antigonus Doson, quasi cunctatorem in repræsentando promisso dicas, cognomento, tutor fuit & ἀνεψιὸς (fortè patruo ejus natus) Philippi ejus, quem Romani debellaverunt: post etiam vitricus, & in regno antecessor. Hunc Antigonum,* Servatorem *Græci & Benefactorem vocabant: multaque de eo sunt in Arato & Cleomene Plutarchi, & apud Polybium.*

Cap. 13. Argiva sartrix Gnathænia.) *Aretinus pro* sartrice medicam *reddit* τὴν ἀκέστριαν. *Cæterum* ἀκεῖν, *oratoribus est* suere, sarcire. *Hinc ille apud Lucianum in Menippo Philippus rex* ἀκούμενος τὰ σαθρὰ τῶν ὑποδημάτων. *Inde* ἀκέστρα acus, & ἀκέστρια sartrix: *hoc est* ῥάπτρια, *seu* ὑφάντρια *etiam: ut est apud Eustath. in Odyss. ξ. explicantem illud:* νῆας ἀκειόμενον. *& fusius in librum decimum.* Gnathæna *autem nomen, diminutivum facit* Gnathæniam: *est idem in fine Arati.*

Cap. 14. Vi apud Elimiam.) κατὰ τὰς ἐλιμίας. *Vrbs est Macedoniæ* Elimia, ἐλίμεια *vel* ἐλιμία (*utrunque enim scriptum reperi, quidam* Elymam, ἔλυμαμ *habent*) *à qua* ἐλιμιώτης Elemiotis *regio dicitur, infra Apolloniam ad Ionium mare pertinens, cui Saso objecta est insula. Strabo, Stephanus, alii. Ptolomæo urbs* ἔλυμα, *regio* ἐλυμιῶται *dicitur lib. 3. Aretinus sensum hujus loci non reddidit.*

Cap. 16. Neque rumores sererent) μήτε λογοποιεῖν, verba facere *Aretinus, non rectè. Est enim* λογοποιεῖν, nugari, & rumores vanosque sermones comminisci: *unde Iulianus Imperator Herodotum* λογοποιὸν, fabularum parentem *dixit. Similem locum ex Epistolis (ut opinor) Græcis ab Aldo impressis Erasmus citans in ultimo proverbio primæ centuriæ, levi admodum codicis mendo in errorem abductus est. Sic enim adducit: In epistola Iuliani ad Leontium* ὁ λόγος

Erasmi error. ποῖος, ὁ δὲ ἡρόδοτος ἔφην, &c. *Allucinatur etiam in explicando, cui* Thurius *vocetur Herodotus. Quod si vel ex Suidæ verbis, vel proprietate sermonis Græci animad vertisset, λογοποιὸς esse legendum: ac quæ de Herodoto Suidas & Plin. lib. 2. cap. 1. tradiderunt, atque alij, meminisset, nunquam in re ita aperta & facili incurrisset in aliorum justas reprehensiones. Sed de his alias. Livius ita habet:* Rumores vestra credulitate ne alatis, quorum nemo autor exstabit. *usus est hac voce etiam Demosthenes fine primæ Philippicæ.* ἀνοῦ ὀφείλετο γάρ εἶναι οἱ λογοποιοῦντες. *qui locus vim hujus loci optimè explicat.*

Cap. 17. Ac totidem peditum, qui equitibus adjuncti. ) παραβάται. *Aretinus oppidò negligens suæ muneris,* transfugas *vertit. sed eum missum facio. Quid sibi velit* παραβάτης, *non est adeò in promptu. itaque explicabimus. idque ex autoritate Grammaticorum.* Παραβάτης *(quem carminis gratia constituendi etiam* παραβατὴν *poeta dicunt, sicut* ὑπαὶ & πυραὶ, *pro* ὑπὸ & πυρά, *& alia ad genus nonnulla) inter alia significat eum* qui de curru pugnat. *Varinus in præstantissimo suo dictionario,* παραβάται, *inquit,* ab Homero dicuntur, qui de curribus pugnant: *& eosdem alias ab eodem* ἡνιόχους, *id est,* aurigas *appellari, addit. Dignus autor cui credas: sed addam testimonia. Homeri est versus Iliad. penultimo libro*

παραβάτης & παραβάτης.

ἂν δ' ἴσαν ὀκτὼ ἕκαστοι παραβάται, ἡνιοχῆες.

*Scholiastes vocabulum id hoc modo exponit:* παραβάται, οἱ περὶ τῶν ἁρμάτων συμπλεκόμενοι, τοῦτ' ἔστι, κύριοι τῶν ἁρμάτων. *Porphyrius philosophus, summi nominis doctor, in quæstionibus Homericis:* παρὰ τὸ ποιητὴ, *inquit,* τῶν ἐπὶ τοῖς ἅρμασιν οἱ μὲν μαχόμενοι παραβάται οἱ δὲ τοὺς ἵππους ἔχοντες, ἡνίοχοι. *A quo non dissentiunt Eustathij expositiones in γ & λ Iliadis. Atque eodem planè modo usus est Euripides in* Ἰκέτισιν, *qui unus locus, & quæ diximus confirmare, & vocabuli usum in militia docere potest: itaque adscribam.*

——πυμβόλοι δ' ὄχων
πτεραύχεν κατῆρχον ἐντεῦθεν μάχης.
πέραν δὲ λεύκαι Ζηνὸς ἀλκήλων ἔχας,
παραβάδας ἔστησαν ἐς τάξιν λορού.
Κ' οἱ μὲν σὺν ἡνίαισι διεμάχοντ', οἱ δ' ἔσφιγον
πώλους ἐς ἀλλήλους αἰθὶς ἐς παραβάτας. *Apollon.*

ἀμάξιον. *in Iasonis, de duobus curribus:*

καὶ τὸν μὲν πρῶτα πέλωψ ἴβυς ἔνδοθεν ἡνίοχευεν
ἡνία δ' ὑπὸ δὲ οἱ ἔσκε παραβάτις ἰσοπαλάμεια.

*Impropriè utitur hoc vocabulo, idque non dissimulavit interpres. Cæterùm hoc loco Plutarchus aliter usurpavit eam vocem. nam Bastarnarum* παραβάτης *erat non in curru, sed pedes equitis permixtus, & qui re ista ferente, equitis officio fungeretur. Id manifestum est ex Livij verbis, quæ hac ipsa de re sunt lib. 44.* Veniebant, *inquit,*

*quit*, X. millia equitum, par numerus peditum, & ipsorum jungentium cursum equis, & invicem prolapsorum equitum vacuos capientium equos, &c. *Quia Livius ipse uno vocabulo id genus militum non expressit, ne mihi quidem id tentandum duxi. Alioquin non adeò absurdum erat, eos* velites equestres *nominare: ut intelligeretur, non nullam ijs fuisse similitudinem cum velitibus, qui equitatui immisceri solebant à Romanis, instituto Qu. Navij centurionis, cùm bello Annibalico Capua obsideretur. Livius initio libri* XXVI. *Valer. lib. 2. cap. 1. Vide etiam quæ in Phocionem de vocabulo* ἀποβάτης *annotavi.*

Cap. 18. Qui * alium apparatum.) *Locus in Græco nostro libro mutilus erat: itaque quod unum potui asterisco notavi. De hoc apparatu Romanorum satis copiosè Livius* 44. *Nam quæ annotata sunt in margine antiquæ versionis, ubi* per decem millia, legiones *intelligi dicitur, nihil agunt. Amiotus paulo ante, ubi est,* sordidus homo, *iccum esse mancum annotavit: quod mihi non videtur.*

Cap. 23. Iuxta Pythium & Petram.) *Apud Livium legitur* Pytho im. *Ptolemæus libro quarto, urbem Pelasgiotidis* πύθεω, *Pytheum nominat haud procul Gonno & Atrace sitam, quam hic intelligi puto: estque etiam à Sophiano in tabula Græciæ expressa. Stephanus cum nostro* πύθιον *scribit. de* Petra *nihil habeo.*

Ibid. Apud Heracleam.) *ex Livio. Nam neutro genere hic* τὸ ἡράκλειον *nescio an si menda legitur. nam & apud Stephanum videtur indicari, neutro genere eam urbem dici posse. Amiotus quidem pro* Herculis fano *accepit, vocabuli etymon secutus: cùm Aretinus simpliciter* Heraclium *posuisset. Intelligo autem eam* Heracleam, *quam primo loco in ora Macedoniæ posuit Plinius* 4. 10.

Cap. 24. Qua supra templum.) *Versus hi de altitudine Olympi, & mendosi sunt, & satis obscuri. ut mirum non sit, eos ab interprete mutilatos atque corruptos. pro* δέ, καπλέθρον, & μετὰ, *legi* δεκάδα, πλέθρον & μέτρα & τετραπέδῳ *pro* τετραπόδῳ *accepit, cùm de linea heic, non superficie agatur: quod & res, & vox* κάθετος *demonstrant. Ostendunt autem hi versus, Olympi altitudinem supra decem stadia, implevisse jugeri spacium, demtis tamen ei quatuor pedibus.* πλέθρον *jugerum significat, quod in agricultura longitudine est* CCXL. *pedum, latitudine* CXX. *Varro, Columella, Plinius* 18. 3. *Quintilianus* 1. 17. *alij. Sed cùm longitudinis tantum, hoc loco mensuram significat, quæri potest quid sit. Ego sextantem stadij verti, secutus communem sententiam, quæ est apud Eustathium* λ. *Vlissea* 577. *& Suidam, & alios. Idem Eustathius in Iliadis* λ, *ait pedum* CXX. *esse mensuram: quem ego locum corruptum puto, cùm idem Iliadis* φ. 407. *centum modò pedes ei assignet. atque ita alibi se docuisse dicat, & etiam legatur apud Suidam. Quo facit, quod ibidem* 100. *pedes* $66\frac{2}{3}$ *cubitis æquantur, ut cubitus sit (quod etiã Suidas fatetur) pedis unius & semis. Stadiũ esse*

πλέθρον Iugerum.

Cubitus. Stadium.

*esse cubitorum* CCCC. *Idem Suidas tradit: nimirumq; pedum* IOC. *tantum intervallum fuisse curriculi Olympici ex Plutarcho refert Gellius initio Noctium Atticarum. Interpres Pindari in* XIII. *Olymp.* CCC. *cubitorum fuisse tradit: alios scilicet secutus, aut de duplis seu majoribus locutus cubitis. Certè apud Latinos stadium* CXXV. *passuum erat, pedum (nam quinque singulis passibus tribuuntur)* IOCXXV. *Plin. lib. 2. cap. 23. Inde miliarium octo erat stadiorum: qua de re alibi diximus.*

Cap. 25. Saltusque occuparent.) τὰς ὕλας. *Ego non dubitanter* πύλας *repono, hoc est* portas. *Notissimum est, montium fauces & claustra, per quæ aditus in regionem alienam aperitur vocari* Pylas. *Hinc* Pylæ *illa, quæ &* Thermopylæ, *hinc* Pylagoræ *Græcorum, & alia à nobis alias explicata.* Sylvas *Aretinus vertit, retento mendo. Amiotus rectius.*

Cap. 29. Primis hostiis non perlitavit.) οὐκ ἐκαλλιέρει. *En tibi (non enim possum non stomachari) correctorem. Verterat Aretinus* τὸ καλλιερεῖν, litare, *Corrector, quicunque tandem fuit, id quasi errorem notavit, inque margine adscripsit Græca, & interpretatus est,* haud auspicata expertum sacra esse. *Nimirum verò hic virum se præstitit, & officio emendatoris coronam meruit: quin & Suidam (ut ille in morsu pulicis Herculem) invocat. Ex hoc quidem suam Latinæ linguæ ignorationem non potuit cognoscere, homine Græco. Est autem omnino* litare, καλλιερεῖν, *adeoque id quod ille auspicata sacra experiri dicit: quod demonstrare piget, cùm nihil sit notius. Tullius II. de Divinat.*: Quid cum pluribus Diis immolatur, qui tandem evenit, ut litetur aliis, aliis non litetur? *Idem* perlitari *dicitur. Livii verba apposui de lib. 41. ne multos locos adducendos haberem:* Territis eo prodigio & alter consul curam adjecit, qui se, quod caput jecinori defuisset, tribus bubus perlitasse negavit. Senatus majoribus hostiis, usque ad litationem sacrificari jussit. Cæteris Diis perlitatum ferunt. Saluti Petilium perlitasse negant. *Vocabulum dictum* παρὰ τὸ καλλὸν καὶ ἱερὸν. *patet: & quorum hostias probassent Dii, illi* καλλιερεῖν *dicebantur. Testatur id etiam Eustathius in* β. *&* κ *Iliadis. &* λ. *Odyss.*

*Litare.* καλλιερεῖν, *perlitare.*

Cap. 30. Rhomphæamque ferro.) *Annotabimus aliquid de hoc vocabulo in Cleomene.*

Cap. 33. Peligni & Marrucini.) Παλινῶν καὶ ῥακινῶν. *Prius pro* Pelignis *accipiendum est, haud scio an male scriptum, sicut & paulò ante, pro* ῥακινῶν *legerim* Μαρρουκινῶν. *Livius*: Duæ cohortes à parte Romanorum erant, Peligna & Marrucina. &c. *Corrector nescio quid* Tarracinorum *annotavit, eoque interpreti Gallico imposuit.*

Cap. 38. Equo se potum ministrare.) ἵππον ἄρδειν. *Aretinus* equum stabulari, *non modo non satis Latinè, sed & contra Græci sermonis veritatem. Est enim* ἀρδεῖν, *idem quod* ποτίζειν, *quod & notum est, & ex Herodoto docet Eustachius in* 8. *Iliad.* ἡ γυνὴ, ἐπεὶ

ἄρδειν.

ἀπίκετο

ἀπίκετο ἐπὶ τὸν ποταμὸν, ἦρδε τὸν ἵππον ὅ ἐστιν, ἐπότιζεν. *Inde.* ἀρδάνων, *& alia, quæ ibi & alibi exponit.*

Cap. 39. Atque hinc Galepsum.) ἀληψὼ *est in Græco, sed vitiose: nam neque ulla iis in regionibus urbs Alepsus à quoquam (uti arbitror) autore nominatur, & apud Liv. lib. 44. extremo est aperte: Galepsum eo die, postero Samothracam perveniunt. De Galepso est apud Stephanum. Est autem Thraciæ urbs maritima, non procul Syma: ne quis de Euboica accipiat, de qua noster 4. Symp. 4. mentionem facit.*

Cap. 41. Apud Sagram fluvium.) *De cæteris satis constat. Pugnam apud Mycalem descripsit Herodot. libr. 9. Diodorus lib. 11. alij. De Tarquiniensi victoria etiam in Coriolano retulit. Sed de hac apud Sagram pugna explicandum videtur. Sagram fluvium Italiæ ejus, quæ magna Græcia dicitur, inter Locros & Caulonem fuisse, Plin. lib. 3. cap. 10. asserit. Ibi pugnatum fuit à Locris adversus Crotoniatas: hi CXXX. millia, illi X. millia in aciem eduxerant. Vicerunt tamen Locrenses. Nuncius victoriæ eadē die Olympiam, Spartam, Corinthum, & Athenas perlatus est. Hæc ferè Strabo lib. 6. in descriptione Calabriæ. Cic. lib. 2. & 3. de Natura deorum: Suidas. Iustinus lib. 20. qui tamen locum non nominat, historiam perspicuè describit. Atque inde ortum proverbium, Strabo & Cicero, & Eustathius in secundum Iliadis, & Suidas ostendunt, ut de re certa incredulis diceremus,* Certiorem esse rem iis quæ apud Sagram gesta sint: ἀληθέστερα τῶν ἐπὶ Σάγρας. *Sic Cicero:* De Sagra Græcorum est vulgare proverbium, qui quæ affirmant, certiora esse dicunt quam illa quæ apud Sagram. *Hæc vim & usum proverbij satis indicant. Sed quo tempore pugnatum sit, non facilè cognoscitur: tametsi id maxime in historia desideratur. Ego ex Laconicis Pausaniæ, quo loco is Crotoniatarum de Achille & Helena sermonem commemorat, deprehendi, Stesichortiam tum excæcati tempestate rem eam gestam fuisse: quem natum Olympiade XXXVIII. mortuum LVI. Suidas, adstipulatore Eusebio tradit: ut haud longè ante, aut post quinquagesimā Olympiadem, & Tarquinij fortè Prisci temporibus prælium id pugnatum fuisse, conjectura esse videatur. Hujus rei ignoratio Aretinum in eum errorem induxit, ut* ἰταλιῶ τῶν Romanos *verteret, ijsque pugnam hanc falsò adscriberet: quæ nobis annotandi causa fuit. De Antonij rebellione Xiphilinus in Domitiano, Suetonius, Tacitus, Martialis.*

*De pugnæ apud Sagrā proverbium.*

Cap. 43. Cn. Octavius præfectus classis.) ὁ συνάρχων αἰμιλίῳ. *id est* collega. Legatum *vertit Aretinus, non pessime. Neque enim consul, neque pari cum Paulo potestate fuit, tametsi ne legatus quidem ejus, nisi quod prætor eum classe ducenda adjuvit: idque malui exprimere.*

Cap. 50. *Vt & ludi.) *Hæc mutila, & nisi ex libro insanabilia, omisit Aretinus:* προαπολύειν, προαπολαύειν *substitui.*

Cap. 55. Pocula in cornu formam.) κέρατα. *Antiquitus cornibus*

*anima-*

*animalium propoculis utebantur, inde κερᾶσαι*, vinum miscere: *& Bacchus cornutus dictus. Vide omnino Athenæum lib.* 11. *& Eustathium in principium Iliad.* 13.

Cap. 55. Sed (quod est apud Homerum.) *Locus est Iliadis ultimo libro. Verba sunt Achillis ad Priamum, humanam sortem & conditionem ex rebus prosperis & adversis commixtam describentia, qua obiter Latina facta apposui:*

Hanc misero sortem superi injunxêre, dolorum
Expertes, hominum generis; nam dolia in ipso
Limine cœlestis primo duo sunt posita aulæ,
Vnde duûm generum Iupiter mortalibus effert
Munera; in hoc bona sunt, adversa recondita in illo,
Cui commixta Tonans depromit dona, fruetur
Nonnunquam adversis, rebus quandoque secundis.
Sed cui sola dedit de levo tristia vase;
Is miser est, neque diis, hominum neque amabilis ulli:
In terraque suos lugubriter exigit annos.

Cap. 64. Licinnio & Philonico.) *Philonicum hunc fuisse publicanum, ex Politicis Plutarchi præceptis constat: ut hic copula desideretur. Aretinus* declamatorem *vertit: quasi id φιλόπονος significet.*

Cap. 66. Eleam Italiæ urbem.) *Aretinus* Veliam *posuit, cùm sit in Græco Ἐλέαν, non video quid ille, aut cur ipsum Amiœus sit secutus. Est autem Lucaniæ urbs, ut ex initio libri 6. Strabonis liquet, & supra ostendi. Paulò post* ἰσχόμενοι, *non* ἰσχάμενοι *scribendum.*

## PLVTARCHI PELOPIDAS, GVILIELMO XYLANDRO, Augustano interprete.

*In audaciam & temeritatem.*

CATO major quibusdam hominem temerarium, nullaque ratione pericula subeuntem, audacemq; in bello laudantibus respondit: Interesse utrum quis virtutem magni, an verò vitam parvi pendat: rectè id quidem. & quod subjungam, ejusdem est sententiæ. Erat in exercitu Antigoni miles quidem audax, cæterùm male affecto, morbisque corrupto corpore. Ab eo cum rex palloris causam quæsivisset, occulto se morbo conflictari fassus est. Rex, ut erat ingenio liberali, medicis mandavit, ut, si quid auxilii restaret, omni cura ad sanandum hominem incumberent. Restitutus sanitati miles, non ut ante periculis sese objiceret, neque eodem in pugnam impetu ferri: adeò ut rex quoque miratus eam mutationem, culpaverit ipsum. Ille verò causam apertè his verbis detexit. Vt minus essem audax, ipse tu, ô rex, effecisti, cùm malis me istis liberaveris, propter quæ vitam contemnebam. Et in hanc sententiam Sybarita quidam de Lacedæmoniis dixisse videtur, rem non magnam eos præstare, quod mortem in bello expetant, quæ eos à tot laboribus,

*De contemtu mortis.*

II bus, vitæque tristi ratione liberet. Veruntamen Sybaritis luxu mollicieque perditis hominibus, non mirum si vitam odisse judicentur, qui studio virtutis ac gloriæ mortem contemnant Lacedæmoniis autem virtutis opus fuit vivere libenter, & æquo animo mori: idque patet ex inscriptione sepulcri:

*Mortem obiere: mori non hi, non vivere pulcrum*
*Esse, sed ut rectè fiat utrunque rati.*

Nam neque fuga mortis in vitio est, si quis vitam non turpitet expetat: neque laudi datur mortem sustinere, quando id vitæ contemtu fit. Itaque Homerus cùm exire in pugnam viros fortissimos scribit, bene ac splendidè armatos eos facit: & conditores leguin apud Græcos, non eum, qui gladium aut lanceam, sed qui clypeum amisisset, puniunt, innuentes priorem sui tegendi, quàm hostis lædendi curam habendam: præsertim vero civitatis aut exercitus principi. Si enim, ut Iphicrates distinxit, manibus levis armatura, pedibus equites, ipsa autem phalanx pectori & thoraci, capiti dux respondet: sanè hic si temerè pericula adeat, non sui ipsius, sed omnium eorum, quorum salus ab ipso pendet, curam abjecisse cen- III sebitur: atque idem de diversa parte sentiendum. Quare Callicratidas, magnus alioquin vir, aruspici monenti, ut mortem, quàm ei exta minarentur, caveret, male respondit, *Non in uno homine Spartæ res sitas.* pugnans enim, aut navigans Callicratidas, aut militans, unus erat: cùm vero dux esset, omnes in se complectebatur: neque pro uno jam censendus is fuit, qui tot hominum secum interitum traheret. Rectius Antigonus senior apud Andrum navali pugna decertaturus, cuidam dicenti multo plures esse hostium naves: me verò, inquit, quot navibus oppones? Etenim plurimum (ut est re ipsa) esse in duce situ judicabat perito, ac virtute prædito, cujus prima cura est ut eum conservet, à quo salus reliquorum omnium pendet. Rectè etiam Timotheus, qui Charete Athenien- sibus cicatrices quasdam, clypeumq; lancea perfossum ostentante: At ego, ait, summo pudore affectus sum, cùm in oppugnatione Sami telum prope me decidisset, quod temeritate ultra elatus essem quàm tanti exercitus ducem deceret. Enimverò quando pugna ducis magnum ad summam rei momentum affert, manibus ei est, totoque corpore utendum neque parcendum vitæ: jussis valere iis, qui imperatorem bonū aut senem, aut senectuti certe vicinum mori debere asserunt, ubi verò parum profici potest ejus audaciā fortuna adjuvante, contra verò ejus casum pernicies rerum comitatur; nemo IV jam cum periculo ducis rem geri à milite velit. Hæc præfari mihi subiit vitam Pelopidæ, ac Marcelli scripturo, magnorum virorum, & quibus sua temeritas exitium attulit. cùm enim uterq; & manu promtissimus fuisset, & bello præclarissimè gesto patriā exornasset, gravissimosque adversarios, hic Annibalē insuperabilem ante, primus prœlio fudisset, alter Lacedæmonios terra mariq; imperantes acie vicisset: temerè suæ salutis cura omissa in periculum sese conje-

*Ducem eam tum esse debere.*

cerunt,

cerunt, ac vitam eò uterque tempore projecit, quo maxime eum salvum esse, & rempub gerere attinebat. Ideo similitudinem secuti,

*Pelopida genus.* vitas eorum ita ut inter se conferri possint, perscribemus. PELO V
PIDAS Hippocli filius claro inter Thebanos genere, ut Epaminondas, ortus fuit. Educatus in magnis opibus juvenisque adhuc patrimonium splendidum adeptus, indigentibus, & auxilio dignis opem ferre intendit: demonstraturus, non servum, sed dominum se bonorum suorum esse. Major enim pars hominum, ut ait Aristoteles, aut non utitur divitiis suis, qui sunt illiberali & sordido præditi ingenio; aut ob prodigalitatem iis abutitur: quorum alteri negotiis, alteri voluptatibus nunquàm non sunt dediti. Cùm verò multi liberalitate & benignitate Pelopidæ grato animo fruerentur, soli amicorum Epaminondæ ab eo persuaderi non potuit, ut divitiarum partem aliquam acciperet. Hujus quidem paupertatem Pelopidas æmulatus est, vestis, & victus tenuitate, labores impigrè subeundo, & militiæ honestè versando decus sibi quærens (exemplo Capanei Euripidei, cui cùm essent magnæ opes, nequaquam tamen iis exsultabat) ac turpe existimabat, si ad cultum corporis plurimus uteretur quàm pauperrimus aliquis Thebanorum. Cæ- VI
terùm Epaminondas paupertatem sibi à parentibus traditam, philosophiæ studio, vitaque solitaria, quam initio delegerat, leviorem etiam expeditioremque reddebat. Pelopidas, etsi ei erat uxor illustri loco nata, ac liberi, nihilominus tamen quærendæ pecuniæ studium negligens, atque omne tempus publicis negotiis impendens, rem familiarem corrumpebat: amicisque se aliquando monentibus, non rectè cum pecuniæ, rei necessariæ, curam abjicere: Necessariæ, inquit, mehercle Nicodemo huic: hominem demonstrans claudum cæcumque. Erat in utroque ingenium natura ad omnem virtutem aptum: nisi quod exercitationibus magis gaudebat Pelopidas, Epaminondas literarum & sapientiæ studiis, atque hic audiendis doctoribus, & philosophando: ille palestræ & venationibus otium dicabat. Sed cùm in utroque multa fuerint, quibus summam gloriam mererentur, nihil tamen à sapientibus judicatum est præstantius fuisse benevolentia eorum & amicitia, quam ab ineunte ætate per tot certamina, imperia, actionesque in remp. inculpatam ad finem usque conservaverunt. Etenim considerans aliquis qua VII
invidia Aristides & Themistocles, Cimon & Pericles, Nicias & Alcibiades, quibus contentionibus & obtrectationibus mutuis in republica sint versati: rursusque expendens qua benevolentia & observantia Pelopidas ac Epaminondas se mutuò in administrandis communibus rebus coluerint: intelliget rectius hos ac justius collegas dici posse, quàm illos, qui mutuis ac perpetuis in certaminibus victoriam unus de altero, quàm de hoste, reportare magis contenderunt. Quod ne his eveniret, causa fuit, vera virtus, propter quam cùm in rebus gerendis non gloriam, neque divitias (quibus gravis illa & pervicax innascitur invidia) quærerent, sed initio amore quo-

*Liberalitas.*

*Epaminondæ paupertas.*

*Amicitia Pelopidæ cum Epaminonda.*

re quodam divino uterque correptus, patriam sua ipsorum opera ad summas opes ac splendorem erectam videndi, communia inter VIII se sua præclarè facinora habuerunt. Plerique censent eam tam arctam ipsorum amicitiam prœlio ad Mantineam natam, in quo unà fuerunt, misso Lacedæmonis adhuc sociis & confœderatis auxilio à Thebanis. Constituti enim una in peditum acie, pugnantesque in Arcades, cùm cornu Lacedæmoniorum ipsis adjunctum cederet, ac plerique se in fugam darent, junctis umbonibus irruentium hostium vim sustinuerunt. Ibi Pelopidas septem adversis vulneribus acceptis inter multa hostium amicorumque cadavera collapsus est. Epaminondas, etsi actum de vita ejus putabat, corpus tamen armaque ejus servaret, prosiluit, unusque adversum multos pugnavit, mori potius, quàm jacentem Pelopidam deserere statuens. Hoc quoque jam in extremo versante periculo, pectusque hasta saucio, & brachium gladio, Agesipolis Spartanorum rex ab altero cornu IX succurrit, & utrumque jam desperatum servavit. Secundùm hæc cùm Spartani, verbo quidem socios se & amicos Thebanorum ostenderent, reipsa autem civitatis magnanimitatem, potentiamque, maximè autem Ismeniæ & Androclidæ societatem, cujus erat particeps etiam Pelopidas, suspectam haberent, quod libertatis, ea popularisque in repub. status studiosa videretur: Archias, Leontidas, & Philippus hominès locupletes, ac qui penes paucos summa rerum esse cuperent, Phœbide Spartano persuaserunt, ut cum exercitu subito profectus Cadmiam (quæ est arx Thebarum) occuparet, ejectisque adversariis rempub. in paucorum potestatem traditam Lacedæmoniorum imperio subjiceret. Paruit hic consilio, ac Thebanos Thesmophoria sacra agentes ex improviso adortus, arcem cepit. Ita Ismenias abreptus, ac Spartam ductus, paulò post necatus est. Pelopidas autem, Pherenicus, & Androclides cum permultis aliis ausugerunt, exsulioque damnati sunt: Epaminondas in patria remansit, contemptus ab inimicis ac neglectus, ut qui philosophiæ vacans à rebus gerendis alienus esse, neque quicquam per paupertatem posse videretur. Lacedæmonii porrò Phœbidam magistratu dejectum mille minis multaverunt, nihilominus tamen arcem præsidio tenuerunt. Id tam absurdum eorum factum omnes Græci mirabantur, quod cujus facinoris auctorem pœna affecissent, id faci- X nus tamen reipsa approbarent. At Thebanis pristina reipublicæ forma spolitatis, & ab Archiæ Leontidæque factione in servitutem redactis, ne spes quidem excutiendi jugi restabat, cùm tyrannidem Lacedæmoniorum potentia stipatam destrui non posse viderent, nisi quis terræ marisque imperium his ademisset. Leontidas præterea cùm exsules Athenis degere gratosque multitudini esse, & in honore ac optimatibus habere accepisset, occultè insidias eis tendit: submissisque eò ignotis hominibus, Androclidam fraude sustulit: reliqui necem effugerunt. Missæ sunt etiam à Lacedæmoniis literæ ad Athenienses, quæ mandarent iis, ne reciperent exsules, neve adjuvarent.

*Mantinensis pugna.*

*Phœbidas Spartanus contra fœdus arcem Thebanam occupat.*

*Tyrannis Thebæ subjecta.*

varent, sed pellerent eos, qui communes à sociis hostes essent judicati. Sed Athenienses, qui præter humanitatem innatam ipsis, ac à majoribus propagatam, etiam gratiam Thebanis referendam putarent: (hi enim reditum populi cum primis adjuverant, decretoque caverant, si quis Atheniensium arma contra tyrannos ferens per Bœotiam iter faceret, ne quis Bœotorum id vel videre se, vel audire præ se ferret) exsulibus nihil mali attulerunt. Pelopidas interim, etsi erat inter minimos natu, cùm privatim singulos exsulum stimulare, tum ad universos rationem habere. Neque piè eos agere, neque honestè, qui patriam tyrannide armata pressam negligerent, suæ tantum vitæ ac salutis rationem ducentes: qui ab Atheniensium decretis pendere satis haberent, oratoresque eorum demereri. quinimò cum periculo præclarissimam rem tentandam, respiciendumque ad Thrasybuli exemplum: utque hic Thebis quondam profectus Athenas tyrannide liberasset, ita ipsis jam ab Athenis ad liberandum Thebas contendendum. Vt persuasit suis, missi sunt clam Thebas ad amicos ibi relictos; iisque, quid decretum esset renunciatum. Approbaverunt hi; & Charon, qui erat clarissimus omnium, domum suam ipsis obtulit: Philidas confecit, ut ab Archia & Philippo Polemarchis (magistratus hoc nomen est) scriba legeretur. Epaminondas autem jamdudum audacia juvenes impleverat. Iusserat enim eos in gymnasiis cum Lacedæmoniis luctari, cumque victoria exultare videret, verbis increpabat, pudendum potius dictitans, quod metus causa illis servirêt, quos robore tantum vincerent. Die ad consilium exequêdum statuta, hæc sententia placuit, ut Phe XII
nenico cum reliquorum coacta manu in Thriasio exspectante, pauci quidam ex natu minoribus in urbem intrandi periculum susciperent: quibus si quid ab hostibus accidisset, reliqui omnes operam darent, ne illorum parentes liberique ulla re necessaria indigerent. Hoc negotium primus omnium in se recipit Pelopidas, tum Melo, Damoclidas, Theopompus, viri nobilissimi, & inter se summa fide amicitiaque juncti: quibus tamen de gloria virtutis perpetua fuissent certamina. Hi duodecim (tot enim omninò erant) salutatis reliquis, præmissoque ad Charonem nuncio, chlamydibus brevibus induti, catulosque venatorios, & varros secum ferentes progressi sunt: ut ne quis obviam factus tale quicquam eos moliri suspicaretur, sed animi causa vagari, venatumque ire suspicaretur. Charon, ut ad eum nuncius venit, atque in itinere esse eos indicavit, virum fortem se præstitit, neque instanti periculo animum vertit, sed domum eis suam præbuit. Hipposthenidas autem quidam, neque XIII
malus homo, & patriæ amans: sed cui tantum audaciæ non adesset, quantum occasio præceps ista, & rerum propositarum moles desiderabant, impendentis certaminis magnitudine æstuans, ac vix tum cogitatione assequens, hoc facto nonnihil imperium Lacedæmoniorum concussum iri, seque fretos hominum egenorum ac exsulum opera, Spartanam potentiam convellere aggressos: hæc reputans,

*Athenienſium in Thebanos gratitudo.*

*Pelopidas patriæ recuperandæ conſilia tractat.*

XI

tans, tacitus domum abit, quendamque ex amicis ad Melonem & Pelopidam mittit, differre eos rem, reverſoſque Athenas, commodiorem occaſionem præſtolari jubens. Chilo (id enim erat nuncio huic nomen) celeriter domum ſuam cùm petiiſſet, equumque eduxiſſet, frænum mulierem poposcit: quæ cùm eo non invento hæſitaret, ac familiari cuidam dediſſe diceret, convicia primùm exſtiterunt, inde ad imprecationem mulier converſa, infauſtum marito, mittentibuſque eum id iter optavit: itaque Chlido iratus magnam diei partem cùm exegiſſet, ſimulque id jurgium in omen verteret, ab itinere omninò deſtitit, aliamque rem agere cœpit. Adeò parum abfuit, quin pulcherrimum & maximum facinus initio ſtatim occa- *Chlido.*

XIV ſione excideret. Pelopidas verò cum ſuis veſtimenta ruſticorum induti, atque in partes diviſi, alii per aliam portam in urbem pervenerunt nondum elapſa die. Commodùm mutata tempeſtate ventus cum nive ingruerat, ideoque plerisque domum ſuam dilapſis, facilius fallebant: quibus verò negocium datum erat, ii ſingulos, ut advenerant, in domum Charonis ſtatim deduxerunt: ibi collecti ſunt una cum exſulibus homines duodequinquaginta. Cæterùm res tyrannorum eo tum erant ſtatu: Philidas ſcriba exſulibus rei inſtitutæ conſcius erat, adjutorque, uti retulimus. Is ad eam diem multò ante Archiam, ejuſque ſocios ad compotationem invitaverat, matronasque eodem adducturum promiſerat, id moliens, ut quàm maximè diſſolutos voluptate & ebrios ſuis traderet. Cùm jam parum ab ebrietate abeſſent tyranni, indicium quoddam de exſulum in urbem adventu allatum eis eſt, non vanum quidem, ſed obſcurum tamen, nec ſatis certum. Ac tametſi Philidas alio ſermonem deflectebat, tamen Archias miſſo lictore Charonem ad ſe con- *Pelopidas Thebas ingreditur.* *Philidæ in Tyrannos inſidiæ.*

XV feſtim venire juſſit. Veſpera tum erat, jamque ſe Pelopidas cum ſuis thoraces induti, gladiisque armati ad facinus parabant, cùm ſubitò pulſata janua quidam accurrens, ut audivit à lictore Charonem ad Polemarchos accerſiri, perturbatus intro id nunciavit. Omnes extemplò in eam cogitationem venerunt, rem indicio delatam, omneſque ipſos periiſſe, nullo virtute digno facinore adhuc edito: attamen placuit, ut Charon obtemperaret, ac ſuſpicionis vitandæ cauſa ad magiſtratus iret. Erat alioquin is vir fortis, conſtantiſq; in periculis animi, tunc verò propter ipſos conſternatus, ſummoque in animi angore erat, ne ſi tot tantique cives ſimul periiſſent, aliqua proditionis ſuſpicio in ipſum recideret. Quamobrem abiturus jam, filium, qui puer adhuc pulchritudine & robore omnes æquales ſuperabat, è gynæceo ſumptum Pelopidæ tradidit, juſſitque, ut, ſi proditionis ſe alicujus aut perfidiæ reum putarent, ni- *Charontis fortitudo.*

XVI hil filio parcerent, ſed hoſtis loco haberent. Multis id factum Charonis, animique altitudo lacrymas expreſſit; omnes vero indignati ſunt, quod quenquam ex ipſis adeo timidum, præſentive ſtatu rerum perditũ putaret: qui de ipſo ſiniſtri aliquid ſuſpicaretur: precatiq; ſunt, ne filiũ ipſis permiſceret, ſed è medio removeret, ut evitata

tyrannorum vi superstes, ultor patriæ amicorumque clam educari posset. Verum id Charon abnuit, negans ullam se videre vel vitam vel salutem filii potiorem, quàm ut ne sine contumelia cum patre totque amicis mortem oppetat. ita Deos comprecatus, salutatisque & oratione confirmatis omnibus, abiit, studiosè vultum vocemque ad id componens, ut quam maximè ab his, quæ agebat videri posset. Postquàm ad ostium pervenit, progressi ad eum Ar- XVII chias & Philidas: Audivimus, inquiunt, quosdam furtim in urbem irrepsisse: occultarique eos, & adjuvari à civibus nonnullis. Ad ea Charon initio nonnihil perturbatus, postquàm percontatus qui nam ji essent, aut à quibus occultarentur, nihil certi, quod responderet, habere Archiam vidit, indiciumque id à nullo rei conscio delatum esse conjecit: Videte ergo, inquit, ne quis vos vanus sermo solicitos teneat: & tamen inquiram de re hac; nihil enim fortassis hujusmodi contemnendum planè sit. Hoc dictum ejus Philidas collaudavit, Archiamque abductum, rursus multo mero obruit, speque mulierum potiendarum, ut poculis indulgeret, pellexit. Charon autem domum reversus, Pelopidam cum suis paratum vidit, non ut qui salutem aut victoriam sperarent, sed qui mori honestè & multa cum hostium cæde statuissent. his re detecta, reliquis mentitus est de certis negociis Archiæ ad se sermonem fuisse. Vix dum prima XVIII tempestas hæc transierat, cùm alteram fortuna eis immisit. Venit quidam missus Athenis ab Archia pontifice ad Archiam Thebanum hospitem suum & amicum litteras ferens, quibus (ut est postea cognitum) non vana aut conficta quædam suspicio, sed aperta totius rei indicia continebantur. Is tabellarius adductus ad Archiam ebrium, traditis litteris, eum, qui miserit, jussisse dixit, ut statim eas legeret: scriptas enim de re gravi: Ad hoc subridens Archias, reique serias in crastinum differendas dicens, sub pulvinari litteras reposuit, rursusque Philidæ colloquenti aures præbuit. atque id Archiæ dictum in proverbium tractum, hodieq; apud Græcos usitatum est. Vt occasio rei gerendæ advenisse visa est, domo Charonis egressi in XIX duas partes abierunt: Pelopidas & Damoclidas cum altera parte Leontidam & Hippatem vicinos adorturi, cum altera Charon & Melo Archiam & Philippum aggressuri. Atque hi thoracibus muliebres vestes injecerunt, densisque ex abiete & pinu coronis facies obumbraverunt; ita ut cùm primum in foribus cænaculi adstitissent, convivæ strepitum plausumque sustulerint, rati, mulieres, quas dudum operiebantur, advenire. Sed ubi diligenter contemplati omnes convivas, obverso in omnes partes vultu, quis esset unusquisque eorum, didicêre, ac gladiis strictis Philippum Archiamque petierunt, famque qui essent, patuit: pauci accumbentium Philidæ suasu quieti sederunt, reliquos unà cum Polemarchis assurgentes, & se tueri aggressos propter eorum temulentiam non magno negocio obtruncaverunt. Pelopidæ verò difficilius fuit propositum exe- XX qui, Leontidam virum acrem ac sobrium aggredienti, qui jam clau-

*Tyranni à Pelopida sex cum trucidantur.*

sis

fis januis quieti se dederat. Diu eos januam pulsantes nemo audiit: tandem prodiit famulus, obicemque removit. Simul patefactæ sunt fores, & Pelopidas cum suorum agmine irrupit, summotoque famulo ad cubiculum contendit. Leontidas è strepitu & cursu, quid rei ageretur, intelligens, è lecto surrexit, pugionemque strinxit, oblitus lucernam extinguere, (quod si fecisset, ipsi per tenebras mutuis se vulneribus læsissent hostes) in multo lumine conspectus, ad fores cubiculi occurrit, primóque ingredientem Cephisodorum percussit, eoque collapso, cum Pelopida est congressus. Pugnã difficilem & angustia januæ, & jacens in medio cadaver Cephisodori reddebant: vicit tamen Pelopidas, interfecitque Leontidam. Inde ad ædes Hypatæ contenderunt, eodemque modo irruperunt, fugientemq; eum
XXI ad vicinos è vestigio secuti, apprehensum necaverunt. His confectis, cum Melone se conjunxerunt, missisque in Atticam, qui relictos ibi exsules accerserent, cives ad libertatem vocaverunt, eosque, qui se adjunxissent ipsis, armaverunt, spolia porticibus affixa detrahentes, tabernasque eorum, qui hastas & gladios fabricabantur, vi diripientes. Venerunt porrò eis auxilio Epaminondas & Gorgidas cum haud parva manu armatorum, quos è junioribus senioribusque optimos delegerant. Vrbs interim ipsa tota erat consternationis ac terroris plena, & lucernæ undique conspiciebantur, discursusq; hominum: neque composita erat adhuc multitudo, sed attoniti eo casu, incertique rerum diem exspectabant. Quapropter peccasse videntur Lacedæmoniorum duces, qui non statim impetum in hostes fecerint, ac manum conseruerint (cùm & in præsidio essent mille quingenti viri, & ex urbe multi ad ipsos confluerent) sed clamorem, ignes, turbamque hominum undique discurrentem metuentes, ar-
XXII cem tenere contenti quietem egerint. Summo mane præstò fuerunt ex Attica exsules armati. Tum populo in concionem convocato, Epaminondas & Gorgidas Pelopidam cum suis in medium produxerunt, cinctos sacerdotibus serta protendentibus, populumque ad aris focisq; opem ferendam hortantibus: assurrexit his concio tota cum plausu & clamore, viros eos ut benefactores suos fautisque auctores excipiens. Inde Pelopidas, collegis Melone & Charone, Bœotorum dux electus, statim munitionibus arcem cinxit, & undique oppugnavit, cupiens Lacedæmoniis expugnatis Cadmeam ante liberare, quàm Lacedæmone exercitus adduceretur. Et sanè eum tam parvo spacio antevertit, ut Lacedæmonii, qui arcem ei acceptà impunitate dimissi reddiderant, cùm Megaram venissent, Cleombrotum ibi cum magno exercitu Thebas tendentem obvium habuerint. Spartani autem è tribus præfectis, quibus Thebas commiserant, Hermippidam & Arcissum damnatos morte affecerunt. Dy-
XXIII sacoridas ingenti mulctatus pecunia sponte Peloponneso excessit. Hanc actionem, quod & virtute virorum, & periculis, & certaminibus Thrasybuli facto similis, parique modo à fortuna esset administrata, *germanam sororem ejus* Græci nominarunt: neque enim faci-

*Cadmeam recuperat Pelopidas.*

*Thrasybuli & Pelopidæ facta similia.*

lè alios dicere quisquam potest qui pauciores de pluribus ac magis ab omni re destituti de potentioribus victoria per audaciam ac strenuitatem impetrata, patriæ suæ majorum bonorum auctores exstiterint Verùm Pelopidæ actionem mutatio eam consecuta illustriorem reddidit. Bellum enim, quod Spartæ majestatem evertit, quod dominium terræ marisque eis ademit, ex ea nocte originem traxit, qua Pelopidas cum undecim hominibus reversus, solvit (ut translatione veritatem exprimam) & discidit vincula Lacedæmonii imperii, quæ neque dissolvi neque rumpi posse videbantur. Cùm verò XX

*Athenienses cum Spartanis astu Pelopidæ committuntur.*

Lacedæmonii magnas in Bœotiam copias aduxisset, perterriti Athe- IV nienses societati Thebanorum renunciaverunt, & eos qui Bœotis favere viderentur, in judicium pertractos morte, exsulio, aut multa pecuniaria adfecerunt: videbanturque Thebanorum omni auxilio destitutorum res malo in statu collocatæ. Erant eo tempore Bœotorum duces Pelopidas & Gorgidas: hi ut rursum Athenienses cum

*Sphodriæ facinus.*

Lacedæmoniis committerent, tali dolo dissidium inter eos machinati sunt. Sphodrias Spartanus, vir bello clarus, levis tamen animi vanæque specie & stultæ arrogantiæ plenus, apud Thespias relictus erat cum exercitu, ut eos, qui à Thebanis deficerent, reciperet ac tueretur. Ad hunc privatim Pelopidas amicum quendam negotiatorem mittit, qui pecuniam ei adferret, ac verba ad persuadendum majoris, quàm pecuniam, efficaciæ: tentandum illi aliquid egregii facinoris, Piræumque subito impetu, imprudentibus Athenensibus, occupandum. nam & Lacedæmoniis gratius nihil accidere posse, quàm si Athenas in suam potestatem accipiant: & Thebanos Athenensibus, quibus, ut proditi ab eis, infensi essent, nullum auxilium laturos. His tandem persuasus Sphodrias, noctu motis castris Atticam invasit, & ad Eleusinem progressus est: ibi militibus metu trepidantibus, cùm Athenienses nequaquam fefellisset, bellumque alieno tempore. & Spartanis minimè ad id gerendum instructis conturbasset re infecta Thespias exercitum reduxit. Secundum hoc factum, Athenienses Thebanis summa cum alacri- XXV tate auxilium tulerunt, & mari quoque rem gerere cœperunt, Græcosque qui à Lacedæmoniis defectionem moliebantur, circumeuntes ipsi sibi adjunxerunt. Thebani ipsi pro se in Bœotia crebrò cum Lacedæmoniis certantes, ac prœlia committentes non magna quidem ea, sed in quæ tamen magnam curam exercitationemque impenderent, simul & animos excitabant, & corpora labori adsuefaciebant, atque illis è conflictibus peritia & usu rei bellicæ, audaciaque

*Antalcidæ dictum in Agesilaum.*

augebantur. Ideoque ferunt Antalcidam Spartanum Agesilao sancio è Bœotia redeunti dixisse: Egregiam profecto mercedem doctrinæ à Thebanis refers, qui eos nolentes bellum gerere & pugnare docuisti. Quanquam revera magistratum ejus rei non Agesilaum habuerunt; sed eos, qui per occasionem & cum oratione Thebanos catulorum instar peritè cum Spartanis commiserunt, gustuque victoriæ præbito, contenti fuerunt. Inter quos præcipua fuit Pelopi- XXVI

dæ

dæ gloria, quem Thebani ab ea die, qua primum ducem belli elegerunt, nunquam non quotannis alicui magistratui gerendo destinaverunt; sed ad finem vitæ usque semper aut sacræ cohortis dux, aut princeps Bœotorum fuit. Apud Plataeas quidem & Thespias victi fugatique sunt aliquoties Lacedæmonii, ubi Phœbidas etiam, is qui ceperat Cadmeam, cecidit: multos quoque apud ipsam Tanagram fudit, & præfectum Panthœdam interfecit. Verùm hæc prœlia ut victoribus audaciam auxerunt, ita superatorum animos non omninò tamen dejecerunt: non enim tota acie, aut aperta justaque pugna decertabatur, sed excursionibus modo brevibus ac subitis hostem Thebani adorti in fugam conjiciendo, persequendoque superiores erant. At prœlium apud Tegyras factum, quod quasi præludium fuit Leuctrici, Pelopidam ad summam gloriam extulit: quo quidem neque locum collegis disceptandi de laude parXXVII tæ, neque hostibus excusationem amissæ victoriæ reliquit. Orchomenos ad Spartanos defecerat, ac præsidii loco duas cohortes ab eis acceperat. Huic semper intentus Pelopidas, occasionemque recuperandæ exspectans, ut accepit milites in præsidio positos in agrum Locrensem profectos, sperans se desertam Orchomenum capere posse, eò sacram cohortem, & haud multos equites deduxit. Verùm viam urbi appropinquans aliud eo præsidium Lacedæmone missum rescivit, retrò exercitum abduxit per Tegyras circum radices montium, quod rei solum iter patebat. Nam Melas fluvius qui statim à fontibus suis in plaudes navigabiles ac lacus diffunditur, media via transitum prohibet. Parum infra paludes templum est Apollinis Tegiræi, & oraculum, cujus haud ita pridem defeceXXVIII rant sortes: floruit enim usque ad bellum Medicum, præfecto tum ei oraculo Echecrate. Hîc natum esse Apollinem fabulantur. Nam & mons juxta, ad quem effusiones Melæ terminantur, Delus nominatur: & post templum duo scaturiunt fontes dulcedine, copia, & frigore aquarum mirabiles, quorum alterum hodie etiam Palmam, alterum Oleam appellamus: quasi non intra arbores, sed fontes duos Dea peperit. Nam & locus propinquus, qui Ptoum nomen est, quod ibi subitò apparente apro perterrita fuerit Latona, & quæ de Tyro & Pythone feruntur, natalibus Dei consentanea sunt: ut jam pleraque alia indicia omittam. Etenim à majoribus nostris ita accepimus, Apollinem non unũ esse ex iis diis, qui mortales nati mutatione deinde immortales facti sunt, quo in numero est Hercules & Liber: sed de æternis, ac nunquam natis unum esse statuemus, siquidem sapientissimorum ac vetustissimorum hominum judiciis de eo XXIX stare velimus. Porrò ut Tegyras pervenerunt Thebani ab Orchomeno redeuntes, eodem tẽporis articulo Lacedæmonii ex Locrensi agro reversi ibi eis occurrerunt. Quos per angustias transire quidam conspicatus, ad Pelopidam accurrit, & Incidimus, inquit, in hostes: Quinimò, respondit hic, illi in nos potius. Simul equites, qui agmen claudebãt, prævehi jussit, tanquã illos primũ in hostem immissurus:

*Victoria Thebanorum de Spartanis.*

*Prœlium apud Tegyras.*

*Apollinis locus natalis.*

pedites autem, quos habebat secum trecentos, in arctum coegit, sperans qua parte cum his impetum esset facturus, ea se hostium, qui numero longè erant superiores, ordines disjecturum. Erant autem

*Mora quid?*

duę cohortes (*Moras* ipsi vocant) Lacedæmoniorum, quarum utramque quingentis militibus constabat, ut Ephorus tradit: nam Callisthenes septingentos, Polybius & alii quidam noningentos asserunt. Itaque audacter Spartanorum duces Gorgoleon & Theopompus in Thebanos irruerunt: ac maximè eo loco, quo duces utrinque stabant, initium prœlii fuit, magno animorum ardore & impetu. Pri- XXX

*Pelopidæ victoria.*

mi ergo duces Lacedæmoniorum cum Pelopida congressi ceciderunt; inde proximis ictis ac morientibus totum exercitum metus pervasit, & utrinque Thebanis transeundi ac pergendi spacium dederunt. Sed Pelopidas perrumpendi consilio omisso, quà densissimi erant hostes, eò cum suis irrupit, ac cæde omnia prostravit: donec effusè fugam facerent hostes. Non ausus procul insequi eos (nam & Orchomenios propinquos, &, quod successerat priori, præsidium Spartanorum metuebat) eò usque institit, dum certa victoria esset, toto exercitu hostium superato: inde fixo trophæo, mortuisque spoliatis, domum Thebani redierunt, animis ut par erat, elati ac fiducia aucti. Tot enim ante eam pugnam bellis barbaricis Græcisque, nunquam major numerus Lacedæmoniorum fuerat victus à paucioribus hostibus: imò neque æquo numero congressi, victoriam amiserant. quamobrem sustineri eorum audacia non potuerat hactenus, gloriaque sua adversarios perterrebant, ne ipsos quidem sperantes Spartanis, si æquis viribus certarent, pares futuros. Primum XXXI.

*Sacra cohors.*

hoc prœlium Græcis documento fuit, viros bellicosos non apud Eurotam tantùm, locove inter Babycam & Cnationem nasci: sed ubicunque juvenes exsistant, qui turpitudinem fugiant, in rebus honestis audere velint, magisque ignominiam, quàm pericula timeant, eos maximum hostibus terrorem incutere. Cæterùm sacram cohortem primus, ut memoratur, Gorgidas composuit è viris electis trecentis, quibus civitas victum & exercitationum adminicula præbebat, castraque in Cadmea habebant: unde etiam ea cohors *urbana* dicebatur. eo enim tempore arces urbium nomine potissimum afficiebantur. Alii tradunt, cohortem eam ex iis conflatam qui se mutuò amarent. Pammenisque commemoratur iocosum dictum, qui Homericum Nestorem fuisse peritum instruendæ aciei negaverit, jubentem Græcos curiatim ac tributim ordines componere. XXXII

*Curia curiæ ut auxilio, tribus tribus esset:*

fuisse potius amatorem juxta suum amasium collocandum. Nam tribules, & qui sunt ejusdem curiæ, non magnam inter se alterius in periculo rationem ducere: at cuneum ex iis, qui mutuo amore sunt juncti, conflatum dissolvi ac perrumpi non posse, cùm hi se mutuo revereantur ac verecundiæ causa unus pro altero periculum subeat. Neque hoc mirum est, quando absentium quoque suorum amicorum majori tenentur, quàm aliorum præsentium, reverentia, quem-

admo-

admodum is, qui jacens hostem confossurum præcatus est, ut per pectus ensem adigeret, ne per tergum accepto vulnere mortuum vi-
xxx dens amasius pudore afficeretur. Ferunt etiam Iolaum Herculis amasium, una cum eo certamina obiisse, auxiliumque tulisse amatori. Et Aristoteles sua ætate ait apud sepulcrum Iolai amatores & amasios mutua se fide obligare solitos fuisse. Consentaneum itaque est, ea ratione cohortem sacram nominatum, qua Plato amatorem divini amici nomine insignit. Ac traditum est, eam usque ad pugnam Chœronensem invictam perduravisse: ut verò ea victos inspexerit cadavera Philippus, eoque in loco adstiterit, quo trecenti isti acervatim jacebant, sariss, quibus adverso pectore in angustiis occurrerant, confixi miraculo rei motum interrogasse quinam fuerint: cumque audivisset, esse cohortem amantium, cum fletu dixisse: *Male pereant, qui hos facere aut pati aliquid obscœnum suspicantur.*

*Amoris consuetudo unde apud Thebanos.*

xxx Cæterùm amatoriæ hujus inter Thebanos consuetudinis origo non
IV est, ut poetæ tradiderunt, à Laii casu tracta: sed legumlatores, ut eorum fera & immoderata ingenia jam inde à teneris annis emollirēt, frequentem in rebus cùm ludicris tum seriis usum tibiæ adhibuerunt, eique honorem & primum locum dederunt: amorem autem evidentem in palæstra educaverunt, eo adolescentium animos inter se commiscentes & temperantes. Rectè etiam eodem consilio deæ Marte & Venere natæ Harmoniæ urbis tutelam adscripserunt: innuentes ibi rempublicam quàm optimè compositam, plurimumq; concinnitatis habituram, ubi bellicosi ingenii homines moribus, ob-
xxxv sequio & gratia aptis quàm plurimum assuescerent. Enimverò Gorgidas hoc sacrum agmen in primos ordines distribuit, ac ante totam aciem peditum prætendit: quo factum est, ut virtus eorum conspicua non esset, neque eorum vis certo alicui operi destinaretur, divulsorum ac frequenter inter ignavos constitutorum. Pelopidas autem, postquàm semel eorum illustris facta est virtus, ad Tegyras ipso inspectante egregiè pugnantium, nunquam post hæc eos divisit, sed quasi uno corpore ea cohorte in gravissimis certaminibus primo loco usus est. Quemadmodum enim equi in curribus juncti celerius quàm seorsim currunt, non quod aerem majori impetu perrumpant multitudinis ipsorum causa, sed quia certamen junctorum ac studium unius alterum præstanti animos incendit: ita hos dum de præclarorum factorum gloria contendunt, utilissimos ad victo-
xxx riam, summaque alacritate certaturos putabat. Porrò Lacedæmo-
VI nii pace cum omnibus aliis Græcis juncta, solos Thebanos bello petierunt, invasitque eorum ditionem Cleombrotus, peditum decem millia, equitesque mille ducens: neque jam de iisdem, de quibus ante, in periculum veniebant Thebani, sed palam eversurum se eorum civitatem hostis minabatur, ac Bœotia in majori, quàm unquam antea, erat metu. Quo quidem tempore Pelopidas domo exiens, uxori ipsum deducenti, ac cum lachrymis hortanti, ut saluti suæ consuleret, *Privati*, inquit, *ô mulier, de hoc semper monendæ*

*Harmonia Dea.*

*Spartanorum contra Thebanos bellum.*

*Pelopidæ dictum principe dignum.*

*sunt: magistratum verò gerens, ut suos subditos incolumes præstet.* Inde cùm in castra veniſſet, ducesque Bœotorum, qui Bœotarchæ dicuntur, ſententiis variare inveniſſet: primus Epaminondę adſtipulatus eſt, qui pugna decernendum cenſebat, neque tum Bœotarcha Pelopidas, ſed præfectus ſaciæ cohortis erat, ea tamen auctoritate, quam eſſe conveniebat viri, qui tantum ad libertatem patriæ momentum contuliſſet. XXX VII

*Scedaſi filiarum ſepulchra apud Leuctra.*

Poſtquam pugnare decretum eſt, & apud Leuctra Lacedæmoniis caſtra ſunt oppoſita ſomnium Pelopidam haud mediocriter perturbavit. Sepulchra filiarum Scedaſi in campo Leuctrico ſunt, quæ inde Leuctrides appellantur: ibi enim vim hoſpitum Spartanorum paſſæ, humatæ ſunt. Ejus tam atrocis ac nefarii facinoris vindictam pater à Lacedæmoniis cùm non impetraſſet, execrationibus in eos peractis ſeipſum ad ſepulchra filiarum jugulavit. Sortes autem & oracula ſubinde monebant Lacedæmonios, caverent ſibi a Leuctrico præculo, neque id vulgò ſatis intelligebatur, ambiguitate loci fallente. nam & in Laconica maritimum eſt oppidulum, & locus apud Megalopolim Arcadiæ: Leuctro utrique nomen. Cæterum is caſus multis ante Leuctricam pugnam evenerat temporibus. At Pelopidas in caſtris per quietem vidit puellas iſtis circum ſepulchra lamentantes, & Lacedæmoniis diras imprecantes, ipſum autem Scedaſum ſibi præcipere ut ſi victoriam de hoſtibus expeteret, fulvam virginem filiabus ſuis immolaret. Atrox XXX hoc, & nefarium mandatum ratus, ut ſurrexit, rem cum aruſpicibus VIII & magiſtratibus communicavit. Erant qui nequaquam negligendum detrectandumq; id eſſe cenſerent, collectis exemplis: de veteribus Menœceo Creontis filio, & Macaria Herculis: de poſterioribus, Pherecyden philoſophum à Lacedæmoniis necatum pellemq; ejus à regibus oraculi monitu aſſervari: Leonidam quoque vaticinium ſecutum, victimam quodammodo ſe pro Græciâ obtuliſſe: tum homines Baccho crudivoro immolatos à Themiſtocle ante navalem pugnam Salaminiam: atque his omnibus rem feliciter geſtam teſtimonio fuiſſe. Contrà Ageſilaum, cum contra eosdem, quos Agamemnon, hoſtes ab eodem loco copias duceret, Aulide in ſomnis vidiſſe Deam poſtulantem, ut ſibi filiam mactaret: eumque, quod id mollitie victus non perfeciſſet, re infecta turpiter expeditionem eam diſſolviſſe. Alii verò id ſacrificium ita barbarum ac impium fieri XXX prohibebant nulli eorum, qui præſtantioris humanæ naturæ eſſent, IX placiturum. Non enim Typhones iſtos aut Gigantes, ſed Deum hominumq; patrem regnare. ſtultum porrò eſſe, numina putare quædam, quæ cæde & ſanguine hominum delectentur & profectò ſi ſint aliqui tales genii, nihil eos poſſe, contemnendoſque fore: abſurdas enim has eorum immanes cupiditates ab impotentia & malitia animi proficiſci. Hæc primoribus ita diſceptantibus, & Pelopida cum primis animi dubio, equa nullum adhuc coitum experta, ut à grege aufugerat, per caſtra diſcurrit, eoque conſtitit loco, ubi conſultabatur. Cujus dū coma fulvo colore rutilans, cervix erecta & laſciviens, hinni-

*Insomnium.*

*Impiorum ſacrificiorum abominatio.*

hinnitusque ferox aliis spectaculum præbet: Theocritus vates re animadversa, Pelopidam alta voce compellat; adesse ei victimam, neque aliam virginem expectandam: hac, quam Deus obtulisset, utendum. Proinde equam ad sepulchra virginum redimitam coronis adducunt, factisque votis læto animo immolant, de somnio Pe-
XL lopidæ, sacrificioq; per castra vulgato rumore. Inito prœlio, Epaminondas aciem obliquam ad lævum latus ducebat, ut & dextrum cornu Spartanorum quam longissimè à reliquis Græcis revelleret, & Cleombrotum à latere irruens loco pelleret. Quod cùm eum moliri sentirent hostes, ordines suos movere cœperunt, dextrumque cornu explicare & circumducere, multitudineq; freti circumvenire, & undiq; claudere Epaminondam conati sunt. Interim Pelopidas cum sacra cohorte erupit, eaque in ipso cursu conversa, priusquàm Cleombrotus vel extendere cornu, vel rursum in se contrahere, & claudere ordines posset, Lacedæmonios incompositos & perturbatos adortri occupavit. Equidem Spartani omnium rerum bellicarum præclari artifices, ad nullam aliam rem majori se studio & exercitatione comparaverant, quàm ne ordinibus disjectis fluctuarent & disturbarentur: itaque ordines ita instruebant, ut juxta ac post se positi certo ordine milites facilè in omnem partem inter pugnandum obverti possent. Tunc verò Epaminondæ phalanx eos solos præteritis reliquis invadens, Pelopidasque incredibili celeritate audaciaque irruens, ita eorum animos peritiamque pervertit, ut non major unquam ante fuga, cædesque Spartanorum fuerit. Atque idcirco victoriæ istius gloriæ non minor pars ad Pelopidam privatum, ac parvam manum ducentem, quàm ad Epaminondam Bœotorum prin-
XLI cipem, totiusque exercitus ducem rediit. Post uterque Bœotorum princeps factus, in Peloponnesum irruperunt, ac multas civitates à Lacedæmoniis ad se traduxerunt, nimirum Elidem, Argos, Arcadiam universam, multasq; Laconicæ partes. Erat tum adulta hyems, brumæ vicina: & mensis extremi pauci supererant dies, quibus elapsis, novo Bœotorum duci erat tradendum imperium, aut, ni id fecissent, moriendum. Quare cæteri collegæ eorum legis metu, & hyemis vitandæ causa, domum abducere exercitum contendebant. Primus omnium Pelopidas Epaminondæ sententiam probavit, civesque cohortatus, Eurotam cum iis transiit, & versus Spartam duxit, multas Spartanorum urbes cepit, agrum eorum omnem vastavit. Exercitus eorum septuaginta millibus Græcorum constabat, quorum ne duodecima quidem pars Thebani erant: veruntamen gloria virorum efficiebat, ut eos duces socii taciti sequerentur, etiam sine
XLII decreto aut edicto reipublicæ. Prima nimirum, & validissima lex est, quæ salutis indigenti eum, qui salutem afferre potest, principem destinat. Ac quemadmodum navigantes, cum sereno cœlo utuntur, aut prope littus decurrunt, nonnunquam contumeliosè & audacter gubernatorem lacessunt, simul verò atque tempestas & periculum incidit, eundem respiciant, inque eo ipsem suæ salutis collocant: ita

*Leuctrica Thebanorum victoria.*

*In Peloponnesum expeditio Thebanorum.*

ita Argivi, Elei, Arcadesque, ante in conciliis cum Thebanis de principatu contendere soliti; tum rebus arduis, certaminibusque instantibus ultrò duces eorum secuti sunt. Ea in expeditione universam Arcadiam in unam rempub. redegerunt: Messeniæque parte Spartanis, qui eam occupaverant, adempta, antiquos Messenios evocarunt, ac reduxerunt, Ithoma civibus impleta. Inde domum per Cenchreas proficiscentes, Athenienses in faucibus iter impedire, ac pugna lacessere ausos vicerunt. Hanc eorum virtutem cùm plerique amplexarentur, mirarenturque fortunam: invidia tamen, quæ à rebus publicis abesse nusquam potest, aucta cum splendore eorum, effecit, ut domum revertentes indignè exciperentur. Capitis enim accersiti sunt uterque, quod lege jubente magistratum primo mense (ipsi Bucatium vocant) successori tradi, ipsi quatuor totos menses amplius eum tenuissent: quo tempore Messeniacas, Arcadicas, & Laconicas res gesserant. Prior causam dixit Pelopidas, ideoque in graviori fuit periculo: uterque tamen absolutus est. Et Epaminondas quidem calumniam moderatè tulit, quippe qui civilium injuriarum tolerantiam in magna fortitudinis & magnanimitatis parte ponebat. At Pelopidas & natura ad iram propensior, & ab amicis instigatus, hanc occasionem ulciscendi inimicos arripuit. Meneclidas rhetor unus ex his fuerat, qui cum Pelopida & Melone in Charonis domum convenerant: non adeptus autem eosdem apud Thebanos honores, homo eloquens admodum, sed intemperans, vitiosisque planè moribus, ad calumniandum præstantiores se contulit, obtrectandique, ne finito quidem hoc judicio, modum fecit. Itaque Epaminondam Bœotorum principatu detrusit, multumque temporis in repub. oppugnavit: Pelopidam verò in invidiam vocare apud populum quia non poterat, inimicum Charonis efficere conabatur: & (ut commune hoc invidiæ suæ solatium habent malevoli, quibus ipsi meliores ut habeantur præstare non possunt, ut eos tamen aliis deteriores esse ostendant) multus erat in prædicandis apud populum Charontis rebus gestis, administratis bellis, & partis victoriis. Fuerat Charon equestri prœlio dux, eo quod ad Palatæas ante Leuctricam pugnam commissum fuit. Proinde Meneclidas tale donarium facere intendit. Androcydes Cyzicenus aliam quandam pugnam ut pingeret à civitate conductus, Thebis id opus inchoârat; post facta defectione, & bello commisso, tabulam ferè absolutam, imperfectam Thebis ab eo relictam Thebani servârunt. Hanc, Meneclidas, ut sacram suspenderent inscripto nomine Charonis persuasit, gloriam Pelopidæ & Epaminondæ hoc pacto obscuratum iri sperans. Erat verò stulta hæc ambitio, tot ac tantis certaminibus exstantibus unicum hoc factum & eam victoriam ita exornari; qua nihil erat confectum, nisi quod Gerandas quidam obscuro inter Spartanos loco & cum eo quadraginta viri cecidérant. itaque hujus decreti causa Pelopidas Meneclidæ actionem intentavit, quod contra leges scripsisset, contendens Thebanos non ita a majoribus suis accepis-

*Epaminondas & Pelopidas capitalis rei accusantur.*

XL III

*Meneclidas calumniator.*

XL IV

*Charonis res gestæ.*

XL V.

*Gerandas.*

cepisse, uti privatim alicui viro victoriæ honorem deferrent, sed ut patriæ communi eum reservarent: interim tota actione Charonem liberaliter laudans, Meneclidam convincebat invidiæ ac malignitatis, Thebanosque interrogabat, ecquid non aliæ quoque res præclaræ gestæ fuissent? * * ut multa pecuniaria Meneclidæ irrogaretur: quam cùm non posset dissolvere, (erat enim magna remp. postea concutere & mutare conatus est. Hac ex re nonnihil, vita ejus qualis fuerit, intelligi potest. Porrò cùm Alexander Pheræo rum tyrannus multos Thessalos palam bello infestaret, universis autem perniciem machinaretur: miserunt civitates legatos Thebas, exercitum & ducem petentes. Ibi Pelopidas Epaminondam negotiis Peloponnesiacis detineri videns, ultrò se Thessalis ducem obtulit: neque suam puerilem & virtutem otiosam esse ferens, & non esse ex usu sentiens ut rebus, quas Epaminondas gereret, alius dux præficeretur. Profectus cum exercitu in Thessaliam, Lariſſam staXL VI tim recepit: & Alexandrum ad se venientem, pacificationemque requirentem, conciliare Thessalis, atque è tyranno mansuetum eorum principem, justumque facere conatus est. Verùm hic extrema ferocia & immedicabili tenebatur, magnaque ei crudelitas, ingens libido & avaritia objiciebatur: cùmque asperius à Pelopida verbis accipeXL retur, cum stipatoribus aufugit. Ita Pelopidas cum Thessalos VII securos à tyranno tutosque præstitisset, & in concordiam reduxisset, in Macedoniam abiit: nam Ptolemæus ibi Alexandro Macedonum regi bellum faciebat, & uterque eum vocabat, ut pacem componeret, ac litem ipsorum dijudicaret, eique, cui fieri injuriam arbitraretur, auxilium ferret. Eò ut venit, reconciliata gratia, reductis exsulibus. fratrem regis Philippum, aliosque triginta pueros, illustrissimorum virorum filios, obsides accepit, eosque Thebas traduxit, Græcis demonstrans, rem Thebanam gloria potentiæ, & fide justitiæ latè inclytam esse. Hic est ille Philippus, qui postea libertatem Græcorum bello impugnavit: tunc puer Thebis apud Pammenem vixit: atque inde etiam Epaminondæ imitator esse creditus est. Idque fortassis videri potuit iis, qui ejus in bello gerendo strenuitatem intuebantur, quæ fuit exigua laudum Epaminondæ portio; continentiam vero, justitiam, magnanimitatem, mansuetudinem si spectes, quibus verè is magnus fuit, neque natura Philippus, neque imitatione ejus XL similis fuit. Post hæc rursum Thessalis de Alexandro Pheræo conVIII querentibus, quod urbes factionibus agitaret, missus est legatus Pelopidas cum Ismenia, neque domo secum militem adducens, neque bellum expectans, sed ipsis Thessalis ad ea, quibus facto opus esset, utens. Interim rursum rebus Macedonicis conturbatis, ab amicis regis, quem Ptolemæus necaverat, vocatus: ut ad eas res agendas cum aliqua dignitate accederet, quia propriis militibus destituebatur, mercede ibi quibusdam conductis, rectà ad Ptolemæum contendit. ut propè conventum est, Ptolemæus stipendiarios Pelopidæ pecunia corruptos ad se traduxit: ipsum verò gloriæ & nominis tanti causa

*Pelopidas dux Thessalorum contra Alexandrum Pheræum.*

*Macedonicas res pacificat.*

*Ptolemæi cum Pelopida fœdus.*

meritum

metuens, tanquam ad præstantiorem accessit, amplexusq; & deprecatus, spopondit, regnum se mortui regis fratribus servaturum, eosdem cum Thebanis hostes amicosque habiturum: obsidesque dedit, filium suum Philoxenum, & quinquaginta suorum sociorum. His Thebas missis Pelopidas militum proditionem iniquo animo XLIX
*Pelopidas ab Alexandro Pherao capitur.* ferens, cùm accepisset pleraque eorum res, liberos, & uxores Pharsali esse, existimans si ea cepisset, satis se injuriam suam ultum fore, coacta Thessalorum haud magna manu eam urbem petiit. Quò ut primum venit, Alexander tyrannus cum copiis eodem accessit. Et Pelopidas venire eum sui purgandi causa ratus, obviam ultrò processit: non quidem ignarus, perditum sceleribus hominem, ac patricidam esse: sed cū Thebarum tum propriæ majestatis ac gloriæ causa nihil mali metuens. Alexander verò ut Pelopidam solum & inermem ad se venire vidit, statim eo capto Pharsalum occupavit. Omnibus ejus subditis horror ac metus incessit existimabantque, qui tam audaci se facinore obligasset, ut ei haud dubiè de sua salute desperandum foret, extrema crudelitate in omnes usurum: Thebani, re cognita, graviter indignati, alium exercitum emiserunt, aliis ducibus præfectis, quod Epaminondæ certa de causa succensebant. At L
Pelopidam tyrannus Pheras abduxit: ac primum passus est colloqui cum eo qui vellent, ratus miserabilem esse, fractumque calamitate ejus animum. postea verò quàm is Pheræos lamentantes consolatus est, jussitque bono esse animo, profectò enim jam nunc tyrannum pœnas daturum: atque ad ipsum Alexandrum misit, qui ei suis verbis dicerent, stultè eum agere, qui miseros ac insontes cives quotidie torqueat & necet, interimque Pelopidæ parcat, utique vindicaturo si qua effugisset: miratus animi magnitudinem, securitatemque: Cur, ait, Pelopidas mori properat? & Pelopidas exaudiens. Vt tu, inquit, eo maturius pereas, Diis quàm nunc exosior factus. secundum hoc neminem ad eum exterum ingredi passus est. Cæ- LI
*Constantia Pelopidæ.* terùm Thebe Iasonis filia, uxor Alexandri, cum ex custodibus Pelopidæ de confidentia ejus, animique præstantia audivisset, videre hominem & alloqui cupiit. Ingressa igitur ad eum animi magnitudinem, quippe mulier, non statim perspexit, sed ex crinibus, habitu, & victu conjiciens indigna eum sua gloria pati illachrymavit. Idque Pelopidas initio nescius quænam esset ea mulier, miratus est: ut agnovit, paterno nomine compellavit, (nam familiaritas ei cum Iasone & amicitia intercesserat) dicentique: Miseratione tuæ uxoris moveor. Et verò, inquit, me tui miseret, quæ vinculis soluta Alexandrum sustines. Hoc dictum nonnihil animum mulieris commovit: tyranni enim crudelitas & libido ei molesta erat, qui præter reliqua flagitia etiam fratre Thebæ natu minimo abutebatur: ideoque crebro ad Pelopidam veniens, eique liberè exponens quæ patiebatur, audacia, & odio in tyrannum implebatur. Postquàm duces Thebanorum in Thessaliam profecti ni- LII
hil egerunt, sed sive imperitia sive infelicitate obstante turpiter re infecta

infecta discesserunt: Thebani singulis horum multa centum minarum affectis, Epaminondam miserunt. Confestim magni inter Thessalos extitere motus, omnium animis gloria viri erectis. res autem tyranni parum abfuit, quin corruerent, tantus ejus duces amicosque metus invasit, tantusque deficiendi ardor apud subditos ejus coortus erat, læto animo iperantes, inspecturos se pœnas dantem jam nunc tyrannum. Enimverò Epaminondas salutem Pelopidæ gloria sua potiorem habens, veritusque ne rebus conturbatis Alexander de salute desperans in hunc feræ modo desæviret, bellum ostendit magis quàm fecit, atq; in orbem circumjens, apparatu & cunctatione ita tyrannum compescuit, ut neq; contumaciam ejus & ferociam laxaret, neque rabiem irritaret. Cognoverat enim immanitatem ejus, contemtumque justitiæ & honestatis, qui vivos homines defodisset, alios aprorum ursarumq; pellibus indutos immissis canibus venaticis dilaniasset, jaculisve confixisset, animi causa oblectandi: qui Meliboeæ & Scotussæ, urbibus confœderatis ipsi, cives in concione circumfusis stipatoribus suis, à minimo natu ad maximum omnes trucidasset: qui hastam, qua Polyphronem avunculum interfecerat, consecrasset, eique sertis redimitæ ut Deo sacrificasset, eamque quod scopum feliciter tetigisset, Tychonem nominasset. Idem Alexander cùm ipso inspectante quidam Troades Euripidis ageret tragœdus: decessit è theatro, missoque nuncio histrionem bono animo esse, neque propterea absistere cœpto jussit: non enim ejus se contemptu discessisse, sed pudore civium motum, si malis Hecubæ & Andromachæ ab iis visus fuisset lachrymas impendere, nullum unquam civem suo jussu cæsum misericordia prosecutus. Atqui tum gloria, ipsoque nomine Epaminondæ tam præclari ducis consternatus,

*Epaminondas Pelopidam liberat.*

*Crudelitas Alexandri tyranni.*

*Humiles ut alas gallus ille territus,*

sic animum demisit, statimque legavit, qui ipsum Epaminondæ excusarent. Hic verò cum eo viro pacem & amicitiam Thebanis componere non ex re fore censens, triginta dierũ pactus inducias, receptis Pelopida & Ismenia discessit. Porro Thebani cùm sensissent missos à Spartanis & Athenienſibus legatos ad regem Persarũ, fœderis contrahendi causa, ipsi quoq; eodem Pelopidam miserunt, gloriæ hominis rectissimè consulentes. Primùm enim per provincias regis profectus est, clarus ac magni apud omnes nominis: (neque enim levis rumor rerum ab eo contra Spartanos gestarum Asiam pervagatus est: sed ut primùm Leuctricæ pugnæ fama eo pervenit semper novo aliquo præclaro facinore addito aucta, subinde latissimè se extulit fama, deinde ab atrienſibus regis Satrapis, ducibusque & præfectis visus, admirationẽ & sermones præbuit. Hunc esse virum eum, qui Lacedæmonios terra mariq; ejecerit, Spartamq; Taygeti & Eurotæ finibus incluserit, qui paulo ante magno regi & Persis de ipsis Susis & Ecbatanis duce Agesilao bellum intentavissent. Gavisus est his Artoxerxes, magisq; adhuc sua admiratione & honoribus

*Pelopidas ad Artoxerxem legatus.*

auxit

auxit Pelopidam, cùm beatus prædicari & adulari à maximis viris videri vellet. Cujus postquàm vultum vidit, sermonesque quàm erant Athenienſium, constantiores, & simpliciores Spartanis accepit: majorem in modum eum dilexit, & affectu rege digno motus haud obscurè tulit honorem ei viro, neque fefellit cæteros legatos, huic plurimum tribuens. Alioquin ex omnibus Græcis maximè videtur honoraſſe Antalcidam Spartanum, cui coronam, quam bibens gerebat, in unguento tinctam misit. Pelopidæ autem non hujusmodi deliciis blandiebatur, sed ea dona dabat, quæ verè splendidissima & maxima habentur, petitionesque ejus ratas faciebat. hæ erant, ut Græci liberi suis legibus uterentur, Messene civibus frequentaretur, Thebani paterni amici regis Persarum censerentur. Hæc responsa adeptus, nulloque munere, quod non gratiæ esset, ac benevolentiæ signum, accepto, à rege discessit. Idque maximè reliquos legatos calumniis objecit. Ac Timagoram quidem Athenienses judicio damnatum necaverunt: haud injuria id, si propter munerum acceptorum multitudinem. Non enim aurum modò & argentum acceperat, sed & lectum preciosum, & stratores famulos, quasi Græci sternere nescirent: præterea vaccas octoginta, & bubulcos, nempe quod invaletudinis causa lacte vaccarum opus haberet: denique lectica ad mare deportatus est, & quatuor talenta mercedis nomine rex lecticariis expendit. Verùm non videntur ea dona potissimum Athenienſibus stomachum movisse: (nam aliquando Epicrate lixa neque inficiame dona à rege capta, & decreti se auctorem fore profitente, ut loco novem prætorum nomen quotannis legati ad regem mittendi ex plebeiis & pauperibus deligerentur, qui ejus liberalitate ditarentur: arrisit populus) sed eo succensebant, quod Thebani omnia impetrassent: neque reputabant, quantò plus apud hominem armis potentes colentem Pelopidæ gloria orationibus & arte dicendi potuerit. Haud parum benevolentiæ reverso Pelopidæ ea legatio conciliavit, quod & Messenæ cives, & reliquis Græcis libertatem impetrasset. Cùm autem Alexander Pheræus ad ingenium suum rediisset, Thessalisque multas urbes ademisset Phthiotis, omnibus Achiuis, Magnatibusque præsidium imposuisset: civitates, reditu Pelopidæ audito, Thebas missis legatis, auxilium sibi ut eo duce mitteretur, postulaverunt. Quod cùm promptè decrevissent Thebani, celeriter omnibus rebus paratis, jamque profecturo duce Sol defecit: tenebræque interdiu urbem ceperunt. Ibi Pelopidas, cùm eo ostento perturbatum populum cerneret, trepitantes nihilque bonæ spei habentes cogere noluit, neque septem millia civium in periculum adducere: seipsum Thessalis præbuit, trecentis equitibus sponte cum sequentibus, militibusque stipendiariis. Eam profectionem neque auspices, neque amici ejus probaverunt, cœlitus hoc tam magnum signum tanto viro oblatum opinantes. Eum verò & ira eorum, quæ passus fuerat, in Alexandrum stimulabat: & domum ejus labefactatam perditamque jam se inventurum sperabat, ex his quæ

*Antalcidas.*

*Timagoras ab Athenienſibus damnatus.*

LVI

*Pelopidas iterum dux contra Alexandrum Pheræum.*

LVII

*Sol defectum.*

cum

LVIII cum Theba collocutus fuerat. Maximè autem rei ipsius pulcritudine, gloriæque cupiditate incendebatur, si, quo tempore Lacedæmonii Dionysio Siciliæ tyranno duces & ubium moderatores mittebant, Athenienses autem ab Alexandro mercedem accipiebant, statuamque ei, ut benefactori suo, æream ponebant: ipse Græcis demonstraret, solos Thebanos pro tyrannide pressis bellum gerere, injustaque in Græcos & violenta imperia evertere. Proinde ut Pharsalium venit, contractis copiis recta adversus Alexandrum contendit. Is cùm animadverteret, paucos cum Pelopida esse Thebanos, peditum numerum duplo Thessalorum ampliorã haberet, ad Thetidium occurrit, cùm quidem Pelopidas annuncianti tyrannum cum magno exercitu venire, *Eo melius*, inquit, *res habet: tanto enim plures vincentur à nobis.* In medio juxta Cynoscephalas (canis capita hoc significat) colles acclivi in altum eriguntur: hos utrique peditibus occupare conabantur: equitatum Pelopidas, quem copiosum fortemque habebat, equitibus hostium immisit, hosque pulsos illi aperta planicie insecuti sunt. Interim Alexander Thessalis anteverterat, ac colles occupabat, hostemque vi in loca munita & sublimia evadere conantem, primis necatis, reliquis sauciatis rejiciebat, neque jam quicquam Thessali agebant. Quod ut vidit Pelopidas, equites revocavit, jussitque ut in confertum hostiũ agmen invaderent: ipse ad eos qui apud colles pugnabant, cursu se proripuit, arreptoq; clypeo per aciem ad primos ordines erumpens, tantum animi atque alacritatis suis attulit, ut visi sint hostibus novis & corporibus & animis advenisse. Qui, ut tertiam usque incursionem eorum substiterunt, cùm & hos magna vi irruere, & equitatum ab insecutione reverti cernerent, concesserunt, ac pedem retulerunt. Tum Pelopidas ab alto totum exercitum hostium intuens, nondum quidem in fugam conjectum, sed jam metu & trepidatione perturbatũ, constitit, ac in omnes partes conversus Alexandrum circumspexit. Ubi eum in dextra parte stipendiarios milites adhortantem instruentemque vidit, non compescuit ratione iram, quin eo conspecto inflammatus, corpus, imperiumque & summam rei ardori mentis committeret, longèque ante reliquos prosiliret, ac tyrannum provocaret. Neque is ejus impetum sustinuit, sed intra milites confugit, ac se abdidit. Horum qui erant primi, manum cum Pelopida conferentes pulsi sunt, nonnulliqui eorum icti perierunt: reliqui eminus per arma hastis eum ferientes, vulneribus confecerunt; tandem Thessali magnitudine doloris excitati à collibus accurrerunt: & cùm jam cecidisset Pelopidas, equites advecti totam hostium aciem fuderunt, fugientesque longissimè insecuti, cadaveribus regionem eam impleverunt, cæsis ultra tria millia hostium. Enimvero quod qui aderant Thebani, magnam morte Pelopidæ tristitiam ceperunt, eumque patrem, servatoremque suum & maximorum pulcerrimorumque certaminum magistrum invocarunt, id eò minus mirum est, quòd Thessali ac socii, cùm honores

*Spartani & Athenienses tyrannorum amici.*

*Temeritas & interitus Pelopidæ.*

*Victoria Thessalorum.*

*Honores Pelopidæ mor-*

*tuo à Thessalis habiti.*

omni humana virtutis prædicatione eminentiores ei decrevissent, magis adhuc benevolentiam suam in funere demonstraverunt. Traditum est enim eos, qui prœlio interfuerint, cognita ejus morte neque thoracem exuisse, neq; frænum equo detraxisse, neq; vulnus ligavisse antea, quàm armati adhuc & calentes circa illum, tanquam adhuc sentientem, hostilium spoliorũ acervos congererent, equorum bomas, & suos crines resecarent: inde in tabernacula plerique abierunt, & neque ignem accenderunt, neque cœnaverunt: tantumque in castris fuit silentiũ & tristicia, ut non victoria illos maxima & clarissima potitos, sed superatos & à tyranno in servitutem actos putares. Ex urbibus verò annunciata ejus cæde, præstò fuère magistratus, cumque his pueri, adolescentes, sacerdotesque ad excipiendum cadaver trophæa, coronas, armaque aurea ferentes. Vt efferendum jam funus fuit, maximi natu de Thessalis progressi, à Thebanis petierunt, ut Thessalis solis sepeliendum Pelopidam concederent. Atque unus eorum: Beneficium, ait, à vobis petimus, ô socii, quod nobis tanta calamitate affectis decori tamẽ & solatio esse possit. Non enim vivum Pelopidam Thessali comitamur, neque sentienti honores meritos tribuimus: sed si tangere nobis mortuum liceat, ac nostra opera decoratum sepelire, existimabimus credere vos, quod persuasum habeamus, majus Thessalis quàm Thebanis malum accidisse. nam vos bono tantum duce, nos autem & hoc & libertate spoliati sumus. ut enim posthac ausimus à vobis ducem petere, non reddito Pelopida? Concessum est hoc eis. Splendidius LXII

*Quæ splendidissima sepultura.*

quenquam sepeliri potuisse negant, quicunque splendorem non auro & purpura metiuntur: quomodo Philistus Dionysii funus usque ad miraculum extollit, tanquam magnæ tragœdiæ nimirum tyrannidis, theatricum exitum. Et Alexander Magnus, Hephæstion mortuo, non equos solum & mulos comis privavit, sed propugnacula quoque murorum dejecit, ut urbes specie tristi, perinde atque animalia crinibus nudata, lugere eum viderentur. Atqui hæc ita à dominis imperata, quæ uti multa proficiebantur, cum invidia eorum propter quos fiunt, & odio eorum qui coguntur, non honoris sunt, non benevolentiæ, sed barbarici fastus documentum, luxusque, ubi in vanas & nullius momenti res tantum studii & rei impenditur. At vir popularis extra patriam defunctus, neque uxore, neque liberis, neque propinquis præsentibus, nemine petente, nemine cogente à tot populis civitatibusque certatim elatus, ac comitatus, & coronatus, haud injuria pro eo conseri potuit, qui beatitatem perfectissimam esset adeptus. Neque enim verum est, quod Æsopus dixit, felicium hominum mortem esse omnium gravissimum: ea verò omnium est beatissima, bonorum prosperos successus tuto statu collocans, fortunæque mutationi eos eximens. Rectius Laco, qui Diagoram Olympicorum certaminum palma potitum, filiosq; Olympicis ludis coronatos videntem, & nepotes jam nactũ cernens, mori jussit: non enim posse fieri, ut in cœlum ascenderet. Et quidẽ nemo

*Mors beata.* LXIII

*Diagoræ felicitas.*

est,

est, opinor, qui omnes Olympicas victorias in unum collatas, unico Pelopidæ alicui certamini comparandas judicet: quæ plurima cùm obiisset ille ac confecisset feliciter, vita majori parte cum gloria & honore transacta, decimumtertiùm Bœotarches cum fortissimo facinore tyranni eversionem conjunges pro Thessalorum liber-
LXIV tate vitam profudit. Mors ejus etsi summum dolorem, plus tamen adhuc commodi attulit sociis. Thebani enim ea audita, nulla vindictæ mora interposita, confestim Malcita & Diogitone ducibus, septem millibus peditum, equitibusque septingentis profecti, Alexandrum (quem copiis amissis submittentem se inveniebant) Thessalis urbes suas reddere, Magnates, Phthiotas & Achivos missos facere, ac præsidia deducere, jurareque, se jussa Thebanorum imperiaque secuturum, coegerunt. His contenti fuêre Thebani: sed quã ab eo Pelopidæ nomine pœnam dii exegerunt, referam. Thebe uxor Alexandri, docta (ut memoravimus) primum à Pelopida, ne externum splendorem, apparatumq; tyrannidis metueret, præterea perfidiam ejus timens, crudelitatemq; odio habens, re cum fratribus suis Tisiphono, Pytholao, & Lycophrone composita, ita ei necem struxit.
LXV Ædes tyranni reliqua parte nocturnis excubiis custodiebantur: cubiculũ, in quo una dormire solebant, in sublimi positum canis vinctus adservabat, omnibus terribilis, præter quàm tyranno & conjugi, atque uni servo qui eum alebat. Quo itaque tempore manus ei allatura erat Thebe, fratres interdiu in conclavi quodã propinquo occultatos habebat: sola autem pro more suo ad Alexandum jam dormientem ingressa, paulò post prodiit, servoq; ut canem abduceret mandavit: velle enim tyrannum tranquillè quiescere. Gradus quoque ne adscendentibus juvenibus streperent, lana constravit. Ita fratres strictis gladiis armatos adduxit, & ante ostium collocavit: ipsa ingressa, gladium, qui ad caput ejus pendebat, detraxit, ostenditque fratribus eo signo, virum somno detineri. Cùm vero ii perterrefacti cunctarentur, invecta in eos graviter, juravit, ni pergerent, se virum excitaturam, remque indicaturam: ita simul pudore, simul metu compulsi intraverunt. Ipsa cum lucerna ad lectum adstitit: juvenum alius pedes ejus tenuit, alius caput crinibus comprehensum reflexit, tertius gladio adacto occidit. Mors ea ejus celerior, quàm meruerat, videri queat: eo tamen quod primus omnium tyrannorum, solusque à propria necatus est uxore, quodque cadaver mortui projectum à Pheræis, & conculcatum est, digna suis flagitiis passus judicari potest.

*Thebani mortem Pelopidæ ulciscuntur.*

*Alexander Thebes uxoru opera necatur.*

## IN PELOPIDAM PLUTARCHI ANnotata ab interprete.

*Pelopidas Epaminendæ æqualis sociusque fuit, maximè Leuctrica pugna nobilis, qua Spartanis Thebani principatum Græciæ eripu-*

*eripuerunt, sedecim circiter annis post captam à Gallis Romam, ut ex Polyb. lib. 1. initio, Diodoro Siculo lib. 15. Pausaniæ Bœoticis, & Gellio 17. ult. patet.*

Cap. 1. Cato major. ) *Est & hæc vita ex earum numero, quæ ita fuerunt depravatæ male vertendo, ut emendare velle, non magis sit consilij, quàm laterem lavare. Quàm enim nullo sensu Catonis venustissimum in temerarios nimisque audaces homines dictum extulit? an verò ἀλογίστως παράβολος is est, qui* strenuus *Latinis dicitur? cùm hoc virtutis, illud vitij sit? Et quidem nihil apertius potuit hoc apophthegmate cogitari: quod tamen etiam sequentia exponunt, quæ eodem ferè modo tractavit. & ad Antigoni militis contubernium planissime Luculli miles pertinet, quem Horatius vivis coloribus pinxit lib. 2. Epist. 2. Cæterùm & hic, & in Fabio, ubi de Marcello autor loquitur, & alibi,* ἰταμὸς audacem *significat: aliàs* protervum.

Cap. 5. Exemplo Capanei Euripidei. ) *Locus est in Supplicibus, aureus profectò: quem adscribam Latinis versibus expressum (si tamen hoc est exprimere.) nam & exemplum continet hoc seculo rarum, & officium potentis amici fidelitèr definit. Verba sunt Adrasti:*

Tenerum videsne hunc. qui trajectus fulmine est?
Capaneus is erat: opes habuit amplissimas;
Minimè superbiebat his, neque spiritus
Trahebat tamen unquam altiores paupere:
Vitare luxum suetus, & vulgaria
Fastidientes: non ratus in gula sitam
Virtutem, & esse modica naturæ satis.
Præsentibus fidelis, atque absentibus
Amicus (hoc perpauci præstant nunc) fuit.

Cap. 9. Socios se & amicos Thebanorum ostenderent. ) προσφερεμένων, *Becarias:* Cùm Spartani se ad Thebanos contulissent. *Qui error totam historiam involvit, omniaque obscura reddit de apertissimis. Porrò* προσφέρεσθαι τινὶ ὡς φίλῳ, ὡς ἐχθρῷ, *dictio est neque insolens & intellectu facilis.*

ἐκκηρύττειν. Ibid. Exsulioque damnati sunt. ) ἐξεκηρύχθησαν, *omisit interpres. Sic & in Gracchis usus est Plutarchus.* ἀκρίτους ἐξεκήρυξαν, *& iterum:* Ποπίλλιος τοὺς τιβερίου φίλους στρατηγῶν ἐξεκήρυξεν.

Cap. 12. Pauci quidam ex natu minoribus. ) *Et hunc locum pervertit. ita ut ad Pherenicum retulisse videatur, quæ ad Pelopidam pertinent. omisit autem* τὸ παραβαλέσθαι: *in quo summa sententiæ est:* παραβάλλομαι *est media voce,* periculosum aliquid aggredior, in discrimen me committo, *unde* παράβολος audax: *quod vocabulum usurpavit initio hujus libri Plutarchus, male ab Antonio versum.*

Ibid. Et varros secum ferentes. ) στάλικας, venabula, *Becarias: sed indocte. Sunt autem* στάλικες *ligna, quibus retia attolluntur, & fulciuntur, Latini* varros *appellant. Tryphiodorus* ἰλύου ἀλώσει,

ὡς δ'

ὡς δ' ὁ πόπ τελίεσσι λίνον περικυκλώσαντες
ἄνδρες ἀγρευτῆρες——Lucanus lib. 4.
Sic tum disposítis attollat retia varris
Venator. &c.

*Pollux libr. 5. cap. 3. τελίδας & τελιδωμάτα vocat, ut quidem in Aldino libro legitur.*

Cap. 14. Is ad eam diem.) *Corrupit historiam Becarias, nescio quæ festa & solennes ludos Thebanorum commentus: cùm verba luculenter ostendant, Philidam domum suam ad eum diem tyrannos multò ante invitasse ad compotandum, scortis etiam promissis ὕστατον γὰρ ἐκεῖνο ἐδόκει omissum ab isto)* adulteræ *videntur. & in sacris quidem literis γυνὴ ὕστατος & dicitur, quæ marito est juncta, Rom. 7. Caterùm tota hæc Thebarum & libertatis ab exsulibus duce Pelopida recuperatæ historia, mira & copia & elegantia est à Plutarcho descripta eo in libro, cui titulus est De genio Socratis.*

Cap. 21. Tabernasque eorum qui hastas & gladios fabricebantur. *)* ἢ περὶ οἰκίαν ἐργαστήρια, *arbitror intelligi esse* tabernas operarias. *Neque enim vel* ἐργαστήριον *instrumentum Græce significat, (quod* ἐργαλεῖον *dicitur) vel* δορύξον *hastam, aut* μαχαιροποιὸς *mucronem, sed* hastarum *vel* gladiorum fabrum. *Quæ cùm nemo non videat, quis non miretur versionem Becariæ, quæ Thebanos non lanceis, sed furcis (ut apparet) non gladijs, sed verubus aut securibus domestico usui paratis, nulla necessitate compulsos arma verit?*

Cap. 30. Perrumpendi consilio omisso.) ἢ περὶ δὲ τῶν διδομένων ἠγεῖτο. *Illud* διδομένων *videtur aut mendosum esse, aut arguere mutilatum locum: quasi fuisset hîc omissum διάσωσιν ἐλπίδος, aut tale aliquid. Ego sensum utcunque me expressisse puto.*

Cap. 32. Curia curiæ.) *Est lib. Iliadis secund. 363.* φρήτρη autem *quam rectè societates vertantur, quid attinet dicere? Platonis dictum est in Sympos.*

Cap. 38. Menœceo Creontis.) *De hoc lege Phœnissas Euripidis, & de Macaria Heraclidas. Leonida historia ex Herodoto nostro, & alijs notissima, & de Themistoclis sacrificio supra in ejus vita res exposita. De Pherecyde non memini alibi legere, quin enim de Syro illo philosopho loquatur, obscurum non est. At pediculari morbo hunc periisse, Plinius lib. 4. Aelianus varia historia 5. 2. Suidas, Laertius, aliique perhibuerunt. Caterùm de impijs sacrificiis apud Euripidem est locus pulcerrimus in Iphigenia Turica, verbis ipsius, quorum ultimus est versus,* οὐδὲν γὰρ εἶμαι δαιμόνων εἶναι κακόν.

Cap. 40. Iuxta ac post se positi certo ordine milites.) *Est in Græco* ζυγίτας καὶ ἐπισάτας. *Magistros & decanos vertit Antonius: quod quid sit, non video. Equidem Latina vocabula, quibus explicem verba Græca, non succurrunt: fingere neque ausim neque fortasse commodè possim. Opinor autem,* ζυγίτας *dici, qui juxta alios positi;* ἐπισάτας, *qui post alios collocati in acie, adsistentibus, vel ante se stantibus auxilium ferre, si usus ita ferret, jubebantur.* ζυγὰ quæ-

*dem paulo ante pro ordinibus acies transversis, seu ab una parte in alteram pertinentibus posuit Plutarchus, de Gorgida & sacrâ cohorte loquens.*

Cap. 45. Gestæ fuissent ** ut mulcta. ) *Locum in Græco mancum esse, facilè apparet: tametsi interpres id dissimulaverit, eoque sententiam confuderit. Sed mederi, nisi optimi libri alicujus præsidio, non possumus: nisi nostra pro Plutarchianis verba vendicare, mederi sit.*

Cap. 47. Ptolomæus ibi Alexandro. ) *Id est Ptolomæus Alorites cognomine (frater hujus Alexandri & Philippi, filius Amyntæ) qui deinde fratre necato regnum Macedoniæ obtinuit. Diodorum vide lib. 15.*

Cap. 49. Perditum sceleribus hominem, & parricidam. ) ἐξώλη καὶ μιαφόνον, *noster*, immanem & sanguinolentum. *Propriè autem μιαφόνον dixit hic* homicidio flagitioso contaminatum: *Polydorum enim Pheraum, Thessaliæ principem, fratrem suum, inter pocula veneno dato necaverat, inque ejus locum successerat, ut scribit* Diodorus *ibidem atque eò respicit Plutarchus.*

Cap. 51. Animi magnitudinem, quippe mulier. ) τὸ μὲν μέγεθος τῆς εἰσεως. *Sic est male scriptum, pro* ἥβης, *idque animadvertisse Becarias videtur. Quod autem,* νεότητα *juventutem effert, nescio qui fiat: tonsuram enim significat, & crines, ut hic, neque tam juvenis erat Pelopidas. Iason, ut hoc obiter dicam, frater Alexandri hujus fuit Thessaliæ princeps, ante Polydorum fratrem, à quo cæsus est. Diod. ibid.*

Cap. 54. Spartamque Taygeti & Eurotæ finibus incluserit. ) ὑπὸ τὸν γίτανα, καὶ τὸν εὐρώτανα, Inter Getam & Eurotam, *interpres. Qui* Getam *loci nomen in Laconica aut etiam tota Peloponneso agnoscat, autorem nullum esse novi: neque verò fines Lacedæmoniorum obscuros & ignobiles nominari consentaneum esse potest. Superest, ut in voce γίτανα mendum esse affirmem: cui facile mederi potuimus ex Geographia autoritate. Est enim mons Taygetus in Laconicæ finibus à Messenia eam dirimens, nobilis apud Græcos Latinosque cujuscunque generis scriptores. Arctos itaque limites civitatis Spartanæ indicat, quam ab occiduo latere mons Taygetus, ab ortu Eurotas amnis terminarent: cùm latus Australinum Arcadia, Boreale mari claudatur. Ergo in locum vocis γίτανα, ταϋγέτου restituo. Nam de varia hujus vocis terminatione & inclinatione, hoc loco dicendum non erat.*

Cap. 56. Et stratores famulos. ) στρώτας θεραπόντας. Strotas servos *habet Becarias, & quidem annotator ille seu corrector in margine allegarat ex Suida,* στρῶτες ἔθνος: *id est* Strotes nomen gentis. *Ego autem tametsi haud sumignarus, posse* στρώτης (*si præsertim ω scribas*) *dici pro* στρώτης, *quod gentile est urbis Africæ, quæ* στρώη Stroa *appellatur apud Stephanum Byzantium ex Hecatæo; non video tamen, quici huc aliquid tale quadret. Neque animadvertit corrector*

*rector iste, στρώτας accusandi casum non à nominativo στρῶτες esse ( is enim στρῶτας a brevi facit, uti prosodiæ gnaris non est obscurum ) sed à στρῶται, cujus singulare est στρώτης. Et quidem suspicor, sua illum verba pro Becariæ verbis subjecisse, secutum (si diis placet) Suidæ auctoritatem. Nam profectò Cælius lib.* Antiq. *lect.* 16. *cap.* 11. *aliam interpretationem citat atque reprehendit, quasi* servilia strata *interpres hic edidisset: quod nuper obiter vidi, cùm eos libros inspicerem, nisi fortassis etiam alius quidam Pelopidæ vitam convertit. Verbum est στρώω sterno: inde στρώτης,* strator *formari potest: ut à πλώω, πλώτης. Esse autem genuinum hunc loci quem tractamus sensum, & στρώτας hujusmodi famulorum genus, qui* vestes stragulas componerent atque concinnarent, *evidentissimum est ex verbis* Athenæi, *quorum sententiam Latinè adscripsi de libro Dipnosophiston secundo:* Primi, *inquit,* Persæ uti est ab Heraclide traditum, eos qui strotæ ( στρώτας ) dicuntur, invenere, uti vestes stragulæ ab his ordine & concinnè componerentur. Itaque Timagoræ Cretensi, vel ( ut Phanias Peripateticus autor est ) Eutymo Gortynio, qui se Themistoclis exemplo ad regē contulerat, Artaxerxes honoris causa tentorium insignis cum elegantiæ tum magnitudinis dono dedit, & lectum argenteis pedibus fultum, vestemq; stragulam magni precii, simulq; famulū qui ea sterneret, Græcos sternendi ignaro dicēs, &c. *& quidem infra in Artaxerxe de eodem Timagora, cùm dicitur, qui hic στρῶται ibi στρώννυντες participio dicuntur. Meminit etiā Eustath. in* 3. *Vlyss. Persas primos στρώτας cogitasse: ex* Athenæo, *ut multa.* Stratorem *aliis, ipsique Budæo intelligi eum qui equum adornet & principem in eum imponat ( Græcis est is ἀναβολεὺς ) novi: quomodo & Vlpianum in Pandectis de officio Procoss. & in Caracalla Spartianum usurpasse, annotatum est. Ego licere mihi putavi, verbum de verbo, etymologia adstipulante, exprimere. Idemque in vita Alexandri feci, ubi Proxenus στρωματοφύλαξ dicitur, ego* stratorem *extuli. hoc est, qui lecto & stragulis regiis præesset. Guarinus* sarcinarum custodiæ præfectum *verterat.*

Ibid. Loco novem prætorum. ) *De his in Pericle dictum.*

## PLVTARCHI MARCELLVS, GVILIELMO XYlandro, Augustano, interprete.

*Marcelli genus & studia.*

ICLAUDIUM, qui consul Romanorum quinquies fuit. Marci filium fuisse perhibent: primoque ei ex ea familia Marcelli cognomen fuisse, quod, autore Posidonio, à Marte deductum, bellicosum significat. Erat enim & peritus rei bellicæ, & corpore robusto, & manu promptus, & natura belli cupidus, ideoque in certaminibus a lacrem se & ferocem ostendebat. Moribus fuit honestis, & humanus: Græcam disciplinam ac literas eo usque colebat, ut qui eas tenerent, in admiratione & honore haberet; negociis impeditus,

ne tantum, quantum cupiebat, studii & exercitationis illis impenderet. Si enim (quod est apud Homerum) aliquos homines Deus eo destinavit, ut

*Ad senium à tenera tractent fera bella juventa:*

certè hoc de primoribus Romanorum ea tempestate dici potuit. Adolescentes enim ad huc cum Carthaginiensibus de Sicilia, adulti cum Gallis de ipsa Italia decertaverunt: jam provectis ætate, cum Annibale, iterumque Carthaginiensibus negocium fuit, neque, ut plerique, cessationem militiæ per ætatem habuerunt, sed ad imperia & bella gerenda, virtutis & nobilitatis ratione habita, delecti sunt. Marcello nullum pugnæ genus non erat usitatum: in singu- II

*Marcelli fortitudo militaris.*

laribus tamen certaminibus se ipso præstantior videbatur, neque unquam provocantem subterfugit, sed omnes qui provocassent, superavit. in Sicilia fratrem Oracilium periculo eripuit, protecto eo, & hostibus irruentibus cæsis. Propter hæc adolescenti adhuc coronæ & honores ab imperatoribus dati. Auctior deinde gloria factus, à populo ædilis curulis, à pontificibus augur est creatus. In ædili-

*Ædilitas & auguratus.*

tate sua coactus accusationem suscepit. Filium habebat sibi cognominem, qui puer tum elegantia formæ conspicuus, non minus modestiæ, institutionisque accuratæ causa in civium oculis ferebatur. Hujus pudicitiam Capitolinus, Marcelli collega, homo impurus & temerarius, verbis tentavit: puer initio seorsim ejus petitionem repudians, cùm is denuò instaret, rem patri detexit: Marcellus indignè eam ferens, Capitolinum apud senatum accusavit. Hic verò cum varia effugia, varias exceptiones machinatus, tribunos quoque plebis appellasset, provocationem iis non accipientibus, inficiari crimen intendit. Absque arbitris res acta fuerat: quare puerum advocandum senatus censuit. Qui ut venit, rubore ejus & lacrimis, constantique iræ mixto pudore conspecto, nullum præterea

*Gestus vir.*

indicium requirentes, Capitolinū multa pecuniaria damnaverunt: ex qua pecunia Marcellus mensam nummulariam confecit, eamque Diis consecravit. Cæterùm bello primo Punico anno demum III

*Bellum Gallicum, post primum Punicum.*

vigesimo secundo composito, rursus Gallicum bellum urbem excepit: & Insubres, gens Gallica, qui sub radices Alpium Italicarum habitant, etsi magni erant per se ac potentes, copias tamē etiam Gallorum qui stipendia merent, & *Gæsatæ* vocantur, contrahebant. Mirumque videbatur, & magnæ fortunæ, quod bellum Gallicum non eodem, quo Carthaginiense, inciderat tempore. sed Galli tanquam spectatores & arbitri istius certaminis facti, iis dimicantibus rectè se & justè continuerant, victoremque deinde ociosum congressuri provocabant. Enimverò & locus ipse terrorem belli Gallici (erat enim vicinum & finitimum) augebat, & antiqua Gallorum gloria, quos magis, quàm ullos alios, timere Romani videbantur: quippe urbe etiam ab iis aliquando capta. unde & lex immunitatem militiæ sacerdotibus concedens bellum Gallicum excipiebat. Apparatus quoque metum declaravit: nam neque ante, neque post tos Romano-

manorum millia in armis unquam fuerunt. Præterea novi sacrorum ritus. Soliti enim antehac nihil barbaricum aut inusitatum facere, sed quàm maximè Græcorum ceremonias imitari; eo tum bello incidente, coacti sunt Sibyllini oraculi jussu duos Græcos, virum & mulierem, itemque duos Gallos in foro boario vivos defodere, quo modo etiamnum mense Novembri Græcis & Gallis arcana sa-
IV cra fiunt. Primi eo bello conflictus, magnas Romanis cùm victorias tum clades, neque tamen certum exitum attulerunt. Flaminio autem & Furio Consulibus cum magnis copiis adversus Insubres profectis, amnis, qui per Picenum labitur, sanguine fluere visus. Apud Ariminum tres Lunas apparuisse annunciatum est, & augures, qui comitiis consularibus auspicia observarant vitio & inauspicato creatos consules dixerunt. Itaque statim senatus missis in castra litteris eos accivit, ut è vestigio reversi magistratu se abdicarent, priusquàm aliquid pro consulari potestate adversus hostem egissent. Litteras has cùm accepisset Flaminius, non prius aperuit, quàm collatis signis barbaros fudit, & in agrum eorum incursionem fecit. Redeunti inde multis cum spoliis, non est obviam prodiùt à populo, sed quod literis non statim obtemperasset, easque ludibrio habuisset, parum abfuit, quin triumphus negaretur: statim post triumphum abjurare consulatum cum collega, & privatus esse coactus
V est. Adeò in omnibus rebus Romani Deùm religioni animum advertebant, & ne prosperrimo quidem successu potitum divinationis & consuetudinum antiquarum contemptum probabant: magis ad salutem urbis interesse judicantes, ut numina colantur à magistratibus quàm ut hostes vincantur. Itaque Titus Sempronius, vir fortitudinis ac probitatis nomine Romanis, ut quisquam alius, carus, consul successores cùm designasset Scipionem Nasicam, & Cajum Marcium, postea iis jam in provincias profectis, ipse commentarios militares relegens, deprehendit à se aliquid patriorum rituum per ignorationem neglectum. (Id autem erat tale. Magistratum, cùm extra urbem conducta ad hoc domo aut tabernaculo augurii capiendi gratia consedisset, atque prius quàm id esset peractum, necessaria aliqua de causa in urbem redire coactus fuisset, oportebat priori loco relicto alium conducere, indeque augurium petere. Id fortè fefellerat Tiberium, hisque erat eodem usus tabernaculo, cùm dictos coss. crearet.) Itaq; post errore cognito, rem ad senatum detulit: senatus minimè negligendam ratus, consulibus scripsit iique provinciis reversi, magistratu se abdicaverunt. Ve-
VI rùm hæc posteriori tempore evenerunt. Circa idem verò tempus, duo etiam sacerdotum clarissimi, sacerdotio exciderunt: Cornelius Cethegus, quod exta non ritè tradidisset, Quintus Sulpicius, quod inter sacrificandum apex, quem gestare Flamines solebant, de capite ejus defluxisset. Et cùm Minucius dictator Cajum Flaminium equitum magistrum dixisset subsecutus foricis occentus effecit, ut iis abrogatis alii crearentur. Ita in minimis tantam diligen-

*Prodigia. Flaminius Cos. vincit Gallos.*

*Ritus capiẽdi tabernaculi.*

*Augurium observantia.*

tiam adhibentes rebus. cùm nihil eorum, quæ à majoribus accepissent, mutarent, nihil præterirent, ab omni superstitione se vindicarunt. Enimverò cùm Flaminius & collega ejus consulatum ejurassent, ex interregno consul creatus est Marcellus: isque sibi collegam adscivit Cnæum Cornelium. Traditum est, cùm multa de compo- VII
nenda pace & à Gallis dicerentur, & à senatu consultarentur, Marcellum populi animos ad bellum prosequendũ instigasse, sed & facta pace instauratum à Gæssatis bellum videbatur, qui Alpibus superatis, adscitisq; Insubrum, hominum animosorum, triginta millibus (ipsorum verò erat longe major numerus) rectà ad Acerras tendebant, quæ est urbs super Padũ sita. Ab ea urbe Virdumarus rex eorum cum decem millibus provectus regionem, Pado finitimam populabatur. Quod ubi renunciatum est Marcello, relicto ad Acerras cum gravis armaturæ peditibus, & tertia parte equitatus collega, ipse cum reliquis equitibus & expeditis peditibus sexcentis noctes diesq; properans, non ante destitit, quàm ad Clastidium (pagus est Gallicus, quem paulò ante Romani ceperant) Gæsatas istos assecutus est. Non licuit ei exercitum quiete reficere: neq. enim adventus ejus hostes fefellit, ab iisq; cùm propter peditum paucitatem, tum quod equitatu potissimum Galli fidebant atq; valebant, eumq; longè quàm Marcellus numerosiorem habebant, contemptus est: itaq; confestim, tanquam deleturi protinus Romanas copias, cum magna vi & ingentibus minis irruerunt, rege ante agmẽ equitante. Marcel- VIII
lus, ne ab hostibus circumveniretur, quorum copiarum minimam suis partem æquabat, turmas equitum in longum produxit atq; obvertit, cornua procul tenuia extendens, donec propè hostem pertingerent. Iam verò ad conserendũ prœliũ se vertebat. Cùm equus hostium ferocia consternatus, convertit se, atq; retrò vi aufert Marcellum. Qui veritus, ne casus iste superstitionem terroremq; suis injiceret, celeriter equũ, fræno correpto, hostibus adversum constituit, Solemque adoravit, ut non fortuitò, sed ob hoc ipsum circumeisse equum videretur: (moris enim Romani est, ut adorantes sese circũvertant) jamq; ad hostes accedens, Iovi Feretrio spoliorum de hostibus pulcerrima vovit Ibi cum Gallorũ rex conspicatus, conjiciensque de signis imperatorem esse, equo ante alios longè provectus occurrit, simul terribili vociferatione provocans ad pugnã, & hastam quassans, vir magnitudine corporis inter Gallos primus, armisq; argento, auro & coloribus ita insignibus, ut præ reliquis quasi fulgur ipse emicaret. Marcellus oculis in aciem hostium conjectis, ut hæc IX
arma sensit omnium pulcerrima, deq; his Deo se votum fecisse, impetu facto Virdumari loricam hasta trajecit, & equi impetu nixus, vivum prostravit: unoq; & altero insuper ictu illato, statim interfecit. Tum equo desiliens, manibusq; arma cæsi tangens, ad cœlum ita est locutus: Iupiter Feretrie, qui ducum egregia in bello ac prœlio facinora regis atque inspicis, te testor, me, qui tertius Romanorum imperator ducum regemq; hostium hunc mea ipse manu confeci,

*Marcelli res gestæ contra Gallos.*

*Ominis sinistri amolitio.*

feci, prima hæc tibi atque pulcerrima consecrare spolia Tu vero nobis ad reliquam belli partem conversis eandē fortunam concede. Inde equitum pugna facta, qui Gallorum non equites modò, sed & pedites iis permixtos adorti, victoriam rari exempli ac modo ipso mirabilem pepererunt: non enim vel ante, vel post eam pugnā tantus equitum peditumq; numerus à tam paucis equitibus victus legitur. Proinde majori hostium parte cæsa, armorumq; & pecuniæ præda parta, ad collegam rediit, qui contra Gallos parum feliciter X bellum gerebat ad urbem Mediolanū. Hæc omnium in ea parte Gallicarum urbium caput erat, aliasq; omnes frequentia hominum excellebat, itaq; animosè eam defendentes Galli obsidentē Corneliū ultro oppugnabant. Verum hi Gæsatæ, adventu Marcelli regisq; sui clade cognita, discesserunt: Mediolanum captum, reliquæ urbes ab ipsis Gallis deditæ sunt, se fidei Romanorum committentibus: iisque mediocribus conditionibus impositis, pax data est. Marcellus, cùm e solit triumphum decrevisset senatus, triumphū in urbem duxit, cùm cætero splendore, divitiis spoliisque & captivorum mole corporum cum paucis aliis admirabilem: tum jucundissimum novo spectaculo, quod ipse barbari arma Deo offerens conspiciebatur. Quercus enim votivæ truncum montanum ingentem excisum in trophæ formam dolaverat: ab eo suspenderat arma cæsi regis, ordine singulis affixis atque compositis Procedente pompa, ipse eo trophæo sublato quadrigis invectus, imaginem armatam victi hostis pulcherrimam aspectu inferebat per urbē. Exercitus currum sequebatur, armis indutus elegantissimis, accinens compositas cantilenas, pæannasq; victoriæ testes, quibus Deos & ducem celebrabant. Ita ad templum Iovis Feretrii progressus, spolia Deo suspendit: tertius ad nostram usq; ætatem eorum, quibus hoc facere obtigisset. Primus enim opima retulit Romulus spolia ab Acrone Ceninensi, secundus Cornelius Cossus à Tolumnio Tyrrheno, tertius Marcel- XI lus à Virdumaro Gallorū rege: neq; post hunc quisquam. Deus cui ea consecrantur, *Feretrius* vocatur, *Iupiter*, vel (quæ est quorundam sententia) quod trophæū id *feretro* gestaretur, hoc est *ferculo*: (nam eo tempore multa erant Latino sermoni immixta Græca vocabula) vel à *feriendo*, quod fulmina jaceret. Alii ab ictibus, qui in pugna ingeruntur, dictum autumant: quod hodie etiam mutuo clamore se ad feriendum hostem hortantur. Spolia hæc *Opima* peculiari appellatione dicuntur. Non desunt, qui Pompilium Numam in commentariis mentionem primorum, secundorum, tertiorumque opimorum spoliorum fecisse perhibeant: & jussisse, prima Iovi, altera Marti, tertia Quirino sacra esse, referentiq; prima asses CCC. secunda CC. tertia centum asses præmium statuisse. Communis tamē sermo obtinuit, ea tantùm in honore esse, quæ acie instructa prima leguntur de imperatore hostium, manu imperatoris occiso. Ac de his quidem satis. Romani verò victoriam eam, quæ bello finē imposuit, tanti fecerunt, ut Pythio Apollini crateram auream de manubiis Delphos

*Mediolani obsidio.*

*Marcelli triumphus & opima spolia.*

*Feretrius Iupiter quis?*

*Opima spolia.*

Delphos gratiarum causa agendarum: splendidaque ex iisdem munera confœderatis urbibus, multa etiam Hieroni Syracusarum regi, socio atque amico miserint. Post adventum Annibalis in Italiam missus est cum classe in Siciliam Marcellus: sed ubi clade ad Cannas accepta (qua multa Romanorum millia perierunt, pauci superstites Canusium confugerunt) jam ad Romam rectà ducturus videbatur Annibal, robore exercitus Romani interfecto: initio Marcellus mille quingentos viros à sua classe Romam præsidio urbi misit. Deinde senatus consulto jussus, Canusium venit, & quos ibi collectos invenisset, extra munitiones eduxit: ut qui deserere hostique prodere eam nollet regionem. Eo tempore Romani duces, belliceque rei gnari plerique in prœliis occubuerant. Fabii autem Maximi, qui fidei ac sapientiæ summam obtinebat existimationem, nimis accurrata in cavendis ratio culpabatur, quod is ad res gerendas languidus, minusque audax esset. Hunc ergo cùm sufficere ad vitanda mala, non idoneum verò ad propulsandam injuriam hostilem esse ducerent; Marcelli audaciam inque rebus gerendis efficacitatem adjungendam temperandamq; illius prudentia & in cavendo diligentia rati, est ubi utrumq; consulem, est & ubi alterum consulē, alterum proconsulē emiserunt. Posidonius refert, Fabio *scuti*, Marcello *gladii* nomen inditum. Et ipse Annibal dixit, Fabium à se tanquam pædagogum metui. Marcellum ut adversarium; & ab altero se, ne quid damni dare Romanis posset, prohiberi, à Marcello autem etiam damnis affici. Hic enim primū cùm ob victorias partas Annibalis milites securi audaces q; essent, eos qui è castris in agros erant dispersi per insidias interficiendo, vires hostiū minuit. Deinde Neapoli & Nolæ auxilium ferens, Neapolitanos, quorū firma erat erga Romanos fides, confirmavit Nolæ factiones invenit; & senatus plebem ad Annibalis inclinantem partes non poterat compescere. Erat quidem Nolæ Bantius, nobilitatis primæ, ac fortitudinis notæ. Præclara ejus ad Cannas fuerat pugna multisque Carthaginiensium cæsis, onustus telis inter cadavera repertus fuerat: eumque admiratus Annibal, etiam cum donis dimiserat, amicumque & hospitem suum fecerat. Itaq; ut gratiam referret, unus erat eorum, qui Annibalis rebus impensè studerent, populumque (apud quem multum poterat) ad defectionem à Romanis alliciebat. Eum occidere Marcellus impium ratus, hominē illustrem, & qui rebus adversissimis Romanorū fortunæ partem sustinuisset: ut erat natura non humanus modò, sed & cujus sermone ingenuus quisq; facilè allicerētur, salutatus semel à Bantio, quis homo esset interrogavit; jā dudum quidē id notum habens, sed initiū colloquii tum occasionemque captans. Cùm se L. Bantium esse ille respondisset, tanquam delectatus ea re Marcellus, miratusque. Et verò tu, inquit, Bantius ille es, de quo Romæ multus sermo, ut scius eorū qui ad Cannas dimicarunt, non deseruerit Lucium Paulum consulem, sed pleraq; in eum conjecta telorū suo exceperit corpore. Affirmāte hoc Bantio, ac non-

*Marcelli res Annibalico bello gestæ.* XII

*Fabio cur additus Marcellus.*

XIII

*Nolam & L. Bantium ut in fide retinuerit.*

XIV

nonnulla ostentanti vulnera: Ergo, inquit, qui tanta amicitiæ nostræ indicia gerebas non statim ad nos accessisti? aut nos virtutem amicorum quæ etiam apud hostes in honore est, compensare posse diffidebas? Hæc amicè locutus, juncta dextra equum ei bellatorē dono
XV dat, ac quingentos denarios. Exinde Bantius summa fide in societate Marcelli perstitit, gravissimusque fuit eorum, qui contra sentirent, index: multi enim erant. statuerantq; Romanis ad prœlium egressis, impedimenta eorum diripere. Itaque Marcellus exercitu instructo intra portas colones constituit, Nolanis edicto, nē quis eorum ad muros accederet. Quod nemo armatus conspiceretur, Annibal in urbe tumultum esse ratus, incomposito agmine ad urbem accessit. Tum Marcellus porta juxtà quam constiterat, aperta, cum equitum præstantissima parte erupit, inque frontē hostilis aciei pugnavit. Paulò post altera porta pedites cum clamore excurrerunt: cùmque Annibal horum causa exercitū divideret, reliqui tertia porta effusi perterritos inopinata re neque jam priorum vim ferentes, adorti sunt. Tum primum Annibalis exercitus Romanis cessit, multisque vulneribus & magna cum trepidatione ad castra contendit. Cecidisse de Annibalis militibus quinq; millia feruntur; de Romanis haud amplius quingentis. Livius non quidem affirmat tantam hostibus illatam cladem: gloriam verò magnam Marcello, Romanisque post tot mala fiduciam, pugnam illam attulisse ait; cùm non adversus invictum hostem, sed qui & ipse pati aliquid incommodi
XVI posset, se bellum gerere sentirent. Itaque altero deinde consulum mortuo, populus Marcellum absentem, ut ei succederet, vocavit, invitisq; proceribus comitia distulit, dum is ab exercitu veniret: postquàm venit, ingenti omnium consensu est consul creatus. Sed cùm tonuisset, idque ostentum augures adversum ducerent, neq; tamen palam metu populi magistratu eum prohibere auderent, ipse consulatum ejuravit. Munus verò belli gerendi nihilominus obiit, ac pro consule ad exercitum, qui erat apud Nolam, reversus, eos, qui Pœno se conjunxerant, infestavit. Celeriter contra eum Annibal exercitum adduxit. At Marcellus provocatus prœliū detrectavit: ut verò majorem exercitus partem prædatum Pœnus dimisit, neque jam pugnam cogitavit, suos ad prœlium eduxit. Longos peditibus contos dederat, quorum navalibus in prœliis usus est, docueratq; iis Carthaginienses eminus exceptos ferire, qui non pilis, sed commisus brevibus hastis pugnare consuevissent. Itaq; ergo terga Romanis ostenderunt, atq; apertè fugerunt: cæsa sunt hostiū millia quinque, elephanti quoq; occisi quatuor, capti duo. Et (quod maximum fuit) tertia secundum eam pugnam die, equites misti Numidæ Hispaniq; plures trecentis ab Annibale transfugerunt: quod ante eum diem nunquam acciderat Pœno, qui barbarum exercitum è variis & diversis collectū gentibus diu in concordia retinuerat. Hi cùm Marcello, tum cæteris deinceps ducibus fidi permanserunt. Porrò Mar-
XVII cellus tertium consul factus, in Siciliam transmisit. Etenim succes-

*Annibal apud Nolam victus à Marcello.*

*Consulatus irritus Marcelli.*

*Victoria.*

*Marcellus in Siciliam missus.*

sus

ſus belli Carthaginenſes moverat, ut de hac iterum obtinenda inſula cogitarent: præſertim morte Hieronymi tyranni rebus Syracuſanis conturbatis. Idcirco Romani eo exercitū miſerant, duce Appio. Ad Marcellum ubi exercitum eum accepit, multi Romani ſupplices venerunt, tali calamitate afflicti. Romanorum, qui ad Cannas in acie contra Annibalem ſteterant, præter eos qui cæſi fuere, alii fugerant, alii in poteſtatem hoſtium vivi pervenerant: tanto quidem numero, ut ne defendendis quidem muris qui eſſent reſtare viderentur. Ii tamen adhuc Romanis ſpiritus, ea animi aderat magnitudo, ut neque captivos redemerint, vile pro eis precium poſtulante Annibale, ſed contrà facto decreto alios occidi, alios divendi extra Italiam paſſi ſint: & eam multitudinem, quæ fuga ſalutem invenerat, in Siciliam tranſmiſerint, edicto, ne, quamdiu bellū cum Annibale eſſet veſtigium in Italia ii ponerent. Hi ergo ad Marcelli pedes tunc ſe confertim provolventes petebant ſupplices, ut in honeſtam aliquam militiā adſcriberentur: multis adhibitis vociferationi lachrymis, promittentes, ſe re ipſa demonſtraturos, fugam eam non timiditate, ſed calamitate accidiſſe. Miſeratus eos Marcellus, Senatui ſcripſit, petens ut ad ſupplementa legionum ii aſumerentur. Re diu jactata, Senatus decrevit, nihil opus eſſe Romanis ad rempublicam gerendam hominibus ignavis: quod ſi vellet Marcellus, uteretur ſanè iis, fortitudinis tamen cauſa nullam illis dux coronam daret, nullum honorem. Ægre id Senatusconſultū Marcellus tulit, reverſusque à bello Sicilienſi Senatum reprehendit, quod ipſi pro tot tantisque rebus geſtis non tantum gratiæ dediſſent, ut civium calamitati poſſet mederi. Enimvero rerum in Sicilia is erat tum ſtatus. Hippocrates Syracuſanorum prætor, ut rem Carthaginienſibus gratam præſtaret, & ſibi ipſi tyrannidem pararet, multos Romanorum occiderat *** apud Leontinos: Leontinorumque urbem vi cepit Marcellus. Civibus pepercit: quotquot autē perfugas deprehendiſſet, eos omnes flagris cæſos necavit. At Hippocrates primo falſum Syracuſas nuncium mittere, qui omnes puberes Leontinos necatos diceret: deinde turbatis Syracuſanis ſupervenire, urbemq; occupare. Itaque Marcellus cum univerſo exercitu ad Syracuſas ivit: caſtriſque propè poſitis, primū legatos in urbem miſit, qui, quæ acta eſſent apud Leontinos, docerent: ubi id fruſtra fuit, non admittentibus orationem Syracuſanis, Hippocratis factione prævalente, terra mariq; oppugnare Syracuſas inſtituit. Appio, ut terra exercitum adduceret, mandatum. Ipſe cum ſexaginta triremibus omni armorū & jaculorum genere repletis, machinaque, quam junctis inter ſe connexiſq; in modum pontis octo navibus impoſuerat, muro adnavigavit, multitudini, ſplendorique apparatus, gloriæque fidens ſuæ. Nihil tamen hæc ad Archimedem, Archimediſq; machinas erant. Et quidem Archimedes non ut rem ſeriam earum tractationem propoſitam habebat, ſed pleraq; Geometriæ veluti ludentis erant opera, quæ obiter ediderat quondam, Hieronis regis rogatu: cùm is ita ab Archi-

*Canonnſium militum ſupplicatio.*

*Marcelli res in Sicilia geſta.*

*Syracuſas Marcellus obſidet.*

*Archimedis machina.*

XVIII

XIX

XX

Archimede contendisset, ut Geometriam ab iis, quæ sola intelligentia percipiuntur, ad sensiles res quodammodo converteret, rationesque istas per corporea instrumenta ad usum transferens, illustriorem eam artem multitudini redderet. Etenim nobilem istam atque gratam machinarum conficiendarum artem Eudoxus quoque & Archytas indagare cœperant, Geometriam expolrentes, & ea problemata, quorum explicatio certa, viaque scientiæ procedens demonstratio non facile inveniretur, exemplis sensilibus, instrumentisque absolventes. Tale est de duobus Geometrica ratione inter duo extrema data mediis inveniendis problema: quod cùm & demonstratu non facile sit, & sit principium ad multarum descriptionem figurarum necessarium, uterque instrumentorum apparatu adsumpto tractaverunt, curvis lineis & segmentis medio loco scribendas
XXI istas lineas indagantes. Sed ubi Plato indignè hoc ferens, perdi ab ipsis & corrumpi Geometriæ dignitatem contendit, quæ ab incorporeis rebus, solaque intelligentia percipiendis ad sensilia transfugiat, corporeque rursum utatur, atque ita multum & illiberale requirat ocium: ita tum illa machinarum effectrix ars à Geometria dejuncta, diuque à philosophis neglecta, pars militaris scientiæ facta est. Sane Archimedes Hieroni regi, cujus erat cognatus & amicus, datis viribus datum pondus moveri posse scripsit: elatusque, ut ajunt, demonstrationis robore jactavit, se si alia existeret terra, in eam transgressum, hanc nostram moturum fuisse. Id miratus Hiero, petiit, ut in rem ipsam hoc traduceret problema, ostenderetque magnum aliquid à parvo robore moveri. Tum Archimedes onerariam navim regiam emit, magno multorũ labore in mare deductã: eam impositis ipse multis hominibus, solitoque onere, seorsim sedens, unaq; manu non contentè, sed leviter agitans ansam machinæ cujusdam, quales à multitudine eorum quæ tractioni inserviunt, *polyspasti* Græcis dicuntur, navim leniter & absque offensione tanquam per mare decurrentem ad se attraxit. Attonitus ea re Hiero, vimque artis intelligens, persuasit Archimedi, ut ipsi ad omne genus cùm faciendæ tum depellendæ oppugnationis machinas conficeret: quibus ipse quidem usus est nunquam, majorem vitæ partem in ocio & quiete degens; tunc verò & opera, & opifex Syracusa-
XXII nis usui fuerunt. Itaque ut bifariam Romani urbem oppugnare cœperunt, terror Syracusanos & silentium præ metu tenuit, ut qui tantis viribus nulla posse resisti ratione putarent. Verùm Archimede machinas suas instituente, terra oppugnantibus omnis generis jacula, ingentisque ponderis saxa, cum stridore & celeritate incredibili delata obviam ibant: quorum nemo quisquam poterat gravitatem sustinere, sed confertim eos, in quos incidissent, sternebãt, ordinesq; ipsos turbabant. At in naves subitò aut de muris demissa trabs gravi pondere recellẽte eas submergebat: aut manus ferreæ rostrisque gruum similes prora apprehensa, recta in puppim statuebat navim: aut intus per instrumenta contrarios motus habentia obversa

*De vera & impura, seu mixta Geometria.*

*Archimedes Syracusas machinis suis tuetur.*

navis

navis & circumducta, præcipitiis & scopulis (qui erant sub muro enati) affligebatur, & cum magno classiariorum exitio conterebatur. Aliquoties navis in sublime à mari elevata, terribile spectaculum exhibebat, hâc illâc nutans atque circumvoluta: donec ad extremum hominibus qui in ea fuerant, ejectis atque velut è funda extortis, ipsa inanis aut muris incideret, aut delaberetur remittente complexum machinâ. Cæterum machina, quam navibus junctis advehebat Marcellus, Sambuca dicebatur, à similitudine Musici instrumenti ita appellati. Ea cùm eminus ad murum admoveretur, lapis decem talenta appendens, aliusque atque alius insuper extorti sunt: quorum hi quidem in Sambucam incidentes magno strepitu & impetu, basim machinæ comminuerunt, compagesque disjecerunt, & à navium structura avellerunt. * * Itaque Marcellus quid ageret XXII nescius, & ipse statim cum navibus discessit, & peditibus ut idem facerent imperavit. Consultantibus ita placuit, ut noctu, si possent, muro succederent: ita enim & contentiones machinamentorum, validas atque robustas eas, effecturas ut tela supervolent Romanos, & cùm non satis spacii ictibus detur tormentorum, eos planè inutiles fore. Sed nimirum Archimedes jam pridem tormentorum ad omne spacium accommodatorum apparatu, brevibusque telis, non longè inter se distantibus, scorpionibusque crebris, qui non procul quidem, sed cominus tamen læderent, neque ab hostibus possent conspici, ei consilio occurrerat. Itaque ut appropinquarunt Romani muro, clam hostibus id esse rati, rursus multis sunt jaculis petiti: cùm & saxa desuper ad perpendiculum inciderent, & murus undique tela emitteret. Cùm pedem retulissent, rursusque in longum aciem porrexissent, jacula evolantia discedentes assequebantur: quare multi eorum perierunt, navium verò magna inter sese conflictatio extitit. Neq; hosti contra mali quicquam facere poterat Romanus: quod machinamentorum pleraque subter murum Archimedes adornaverat. Videbantur ergo quasi Deos oppugnare Romani, in- XX numeris undique ex occulto malis vexati. Proinde Marcellus aufu- IV gît, suosque fabros & machinarum opifices subsannans, dicebat: Non finem faciemus Geometricum istum Briareum oppugnandi? qui cum dedecore nostro, ludens ipse, naves nostras in mare demersit, & nunc eos qui in fabulis sunt, Centimanos superat, tot simul nobis immittens jacula. Et verò re ipsa omnes reliqui Syracusani corpus erant Archimedis machinamentorum, ipse animi instar cætera omnia movebat: jacentibusque ociosè omnibus armis, Archimedis unius fabricis & ad defendendos se, & ad lædendos hostes utebantur. Denique is invaserat metus Romanos, ut funiculum modò aut lignum supra murum conspexissent, tormentum aliquod ab Archimede proferri clamantes, fugerent. Idcircò Marcellus oppugnatione protinus omissa, obsidionem trahere statuit. Enimvero XXV Archimedes tam alto erat animo, tantisque theorematum divitiis præditus, ut noluerit de his, quibus sibi nomen & opinionem non

*Sambuca.*

*Marcellus oppugnationem Syracusarum dimittit.*

*Archimedis quam sublimis animus.*

humani

humani, sed divini cujusdam ingenii paraverat, quicquam scribere. Quippe machinarum effectionem omnemque artem quæ necessitati inserviret, illiberale & sordidam ratus, in his modò studium suum seriò posuit, in quibus pulchritudo & subtilitas nulli commixta necessitati inest. Hæc enim cum nullis aliis rebus concreta, contentionem demonstrationis & materiæ exhibent: cùm hæc magnitudinem & pulchritudinem, illa certitudinem & vim immensam præ se ferat. Neque verò in Geometria invenies difficiliores atque magis abditas quæstiones simplicioribus, purioribusque elementis explicatas: quàm sint eæ, quas descripsit Archimedes. Id quidam felicitati ingenii ejus viri adscribunt. alii incredibili labore ejus effectum putant, quod singula absque labore & facilè præstita ab eo videantur.

XX VI Equidem haud temerè quispiam demonstrationem aliquam inveniat: sed ubi eam perdidicit, in eam simul opinionem venit, potuisse ipsam & à se excogitari: adeo levi & expedita via demonstratio ad id, quod est ostendendum, progreditur. Quamobrē ne huic quidem fides abroganda sit, quod fertur, eum sua ista familiari & domestica quidam Sirene istius scientiæ delectatum, sæpe cibi sumendi, curandique corporis oblitum fuisse: sæpe vi ad unguentum & lavacrum pertractum, in foco figuras Geometricas inscripsisse, & in corpore uncto, digito lineas duxisse, præ magna voluptate quasi mentis impotem, vereque Musarum furore correptum. Idem cùm multa & egregia invenisset, ab amicis perhibetur & cognatis petiisse, ut sibi mortuo in sepulchro constituerent cylindrum sphæram circumplexum, & rationem, quæ est cylindri, ad inscriptam sphæram adscriberent. Hic fuit Archimedes, qui tum & se & Syracusas invictas, quan- *Sirene.*

XX tum ab ipsis præstari potuit, servavit. Interim obsidione durante

VII Marcellus, Megara urbem de antiquissimis Siciliæ urbibus unam diruit: Hippocratis etiam exercitum ad Acrillas vicit, castra facientibus superveniens, ampliusque octo hostium millibus interfecit. Exinde majorem Siciliæ partem incursionibus infestando, urbes ad defectionem à Carthaginensibus permovit: omnibus verò prœliis, quotiescunque congredi hostes ausi fuissent, victor discessit. Post aliquantum temporis Damippum Spartanum è Syracusis navigantem cepit. Hunc redimere cupientibus Syracusanis, sæpius ea de causa ad colloquium veniens, turrim quandam animadvertit negligentius custoditam, occultè recipiendis hominibus aptam, eo quod ea parte murus conscendi posset. Ejus turris, quia ad eam crebrò colloquii causa accedebatur, altitudine probè æstimata, scalisque confectis Marcellus, capto tempore, quo Syracusani diem Dianæ festum agentes vino se & ludis dedissent, non turrim modò eam occupavit, sed armatis quoque hominibus murum complevit, priusquàm dies illuceseeret, insciis hostibus etiam tum adhuc, cùm ipse jam Hexapyli portas effringeret. Cùm re animadversa Syracusani ad arma concurrerent, ipse jussis undique canere tubis, fugam eis, magnumq; injecit terrorem, omnes urbis partes captas putantibus. *Syracusæ capte.*

At nondum capta erat maxima, munitissimaque eadem & pulcerri- xx
ma Syracusarum pars Achradine, cujus muri exterioris urbis (ejus vero
una pars Neapolis, altera Tychæ dicitur) muris erant conjuncti.
Exteriori urbe capta, prima luce ab Hexapylo descendit, beatum
*Misericordia Marcelli.* ipsum reliquis ducibus prædicantibus. At ipse fertur cùm de su-
periori loco urbis magnitudinem atque pulcritudinem circumspe-
xisset, miseratione eorum, quæ ei eventura essent, commotus ali-
quandiu illacrymasse, cogitans quam faciem urbs hæc paulò post à
militibus direpta esset habitura. Nam de tribunis militum nullus
erat, qui prædam militibus denegare auderet: quidam incendi et-
iam urbem, murosque subrui jubebant. Horum tamen ne verba qui-
dem admisit Marcellus, & invitus admodum eo concessit, ut bona
& mancipia prædæ daret: à liberis autem corporibus omnem vim
abstineri jussit, & edixit, ne quis Syracusanorum occideretur, viola-
retur, neve captivus duceretur. Enimverò hac etiam moderatione
adhibita, urbem tamen gravia & miseranda passuram ratus, in tanto
gaudio miserationem animi sui ostendit: cùm exiguo temporis spa-
cio tantas tamque splendidas urbis fortunas perituras cerneret. Fe-
*Præda Syracusana.* runt quidem Syracusanam prædam ea, quæ post à Carthagine est
allata, non fuisse minorem: nam & reliquam urbis partem prodi-
tione captam ut diriperent, vi obtinuerunt milites; nisi quod regii the-
sauri prædæ exemti, & ærario reservati sunt. Maximè omnium Ar- xxix
chimedis interitus Marcello molestus fuit. Is tum fortè descripta
figura quippiam contemplatus, totusque animo & oculis meditan-
dæ ei rei intentus, Romanorum irruptionem, urbisque captæ sta-
tum non sentiebat. Subitò miles ei adstitit, sequique se ad Marcel-
*Archimedis interitus.* lum jussit. Archimedes priusquàm absolvisset problema, & ad de-
monstrationem perduxisset, ire noluit: quare miles commotus,
gladio eum educto obtruncavit. Alii referunt, Romanum stricto
gladio irruisse, necemque Archimedi intentasse: hunc verò ut vide-
rit, magnopere orasse tantisper cædem differret, dum id, quod pro-
positum habebat contemplandum, penitus cognosceret: militem
nullam ejus rationem habuisse, & interfecisse hominem. Tertius eo-
rum est hac de re sermo, qui ad Marcellum ferenti Archimedi Ma-
thematica instrumenta, sciotheras, sphæras, & quadrantes, superve-
nisse ajunt milites, ratosque aurum eum in vase isto portare, truci-
dasse. Id quidem in confesso est, indoluisse ea re Marcellum, percus-
soremque, ut sceleratum hominem, fuisse abominatum, compertos-
que Archimedis necessarios honoribus affeciisse. Enimverò cùm xxx
Romani exteris adhuc bello tantum gerendo strenui pugnaque ter-
ribiles viderentur, neque dum æquitatis, humanitatis, civilisque
omninò virtutum specimen aliquod exhibuissent: primus Marcel-
lus videtur Græcis ostendisse, esse justiores, quàm crederentur, Ro-
manos. Ita enim eos, quibus cum res ipsi erat, tractavit, totq; ejus in
civitates & privatos homines exstiterunt beneficia, ut, si quid durius
Ennensibus, Megarensibus, Syracusanisve acciderit, non magis hoc

iis qui

iis qui fecissent, quàm qui passi essent, adscribi potuerit. De multis unum proferam. Oppidum est Siciliæ non magnum, nomine Engyium, perantiquum tamen, & ob Deos (quas *Matres* vocant) ibi visos celebre. Templum ibi à Cretensibus positum, ferunt: ostentabanturque hastæ, & galeæ æneæ, Merionis & Vlyssis inscriptione, qui eas dedicassent. Ejus cives cum impensè rebus Carthaginensium faverunt, Nicias primi inter eos ordinis suasit, ut Romanis accederent, liberè in concionibus adversarios male sentire demonstrans. at hi gloriam viri & potentiam timentes, statuerunt correptum eum Pœ-
XXXI nis tradere. Nicias ubi jam occultè se custodiri sensit, de Matribus sermones in publicum extulit illicitos, multa in eorum numinum contemtum egit, tanquam diffidens & contemnens quæ de eorum præsentia & majestate ferebantur. Gratum id inimicis fuit quod illemaximam sui male tractandi causam ultrò præbuisset. Iam ergo omnibus ita comparatis, ut ei manus injicerent, convocatisq; in concionem tum civibus, Nicias ad populum verba faciens, subitò ad terram corpus dimisit, paulumq; moratus (ut par est attonitum quietum capere, inde levato capite, ac circumacto, tremula voce, ac gravi primum, deinde sensim eam intendens atque exacuens, ut vidit horrore & silentio occupatam concionem, projecta toga ac dilacerata tunica, seminudus exsiluit, & ad exitum theatri se proripuit, agitari se à Matribus clamans. Ita cùm attingere cùm aut occurrere religioni omnes ducerent, ac de via decederent, ad portas urbis procurrit, neque voce ea, neq; motu, quales divino furore concitum edere par est, usus. At uxor rei conscia, maritiq; artibus subserviens, liberis secum acceptis, primum supplicem se ad Dearum ædem devolvit: deinde errantem maritum quærere se simulans, nemine obstante, tutò urbe excessit Hac arte usi, Syracusas ad Marcellum salvi
XXXII pervenerunt. Marcellus autem Eguinos, multis eorum injuriis & delictis lacessitus, superveniens omnes sumendi causa supplicii cùm vinxisset, Nicias adsistens flevit, ac tandem manus & genua Marcelli tangens pro civibus, ac primo quidem loco pro inimicis suis deprecatus est: cujus precibus fractus Marcellus, omnes dimisit, neque quicquam mali civitati fecit. Niciam verò agro multo, donisque splendidis honoravit. Hæc Posidonius philosophus memoriæ pro-
XXX didit. Marcellus ad bellum in Italia gerendum à Romanis evocatus, pleraque & pulcerrima Syracusis donaria abstulit, quæ & triumpho suo splendori, & Romæ ornamento essent. Quippe antea habuerat, neque noverat Roma quicquam elegantis & artificiosi operis, neque venusta illa nitida, & grata in urbe erant tum ornamenta: armis barbarorum, & spoliis cruentis repleta, triumphorumq; monumentis & trophæis coronata, non lætum, aut terroris vacuum, neque meticulosis aut delicatis gratum spectaculum exhibebat. & ut Epaminondas Bœotios campos Martis orchestram, Xenophon Ephesum belli officinã dixit: ita puto potuisse quẽpiam tunc Romam
XXX bellicosi (juxta Pindarum) Martis templum appellare. Itaq; apud

*Callidum facinus Nicia Enguini.*

*Græca ornamenta primum Romam allata.*

populum Marcelli gloria major fuit, qui urbem ornamentis, gratiam & venustatem Græcam cum grata varietate habentibus, decorasset; apud senatum verò Fabii Maximi, qui Tarento capto nihil tale abstulit, sed pecunia & divitiis egestis, manere ibi jussit simulacra, addito celebri illo dicto: relinquamus Tarentinis Deos suos iratos. Marcellus autem cum eo nomine reprehensus est, quod non hominibus modò sed Diis etiam in triumpho ductis, invidiam Romæ conflasset; tum, quod populum bello & agriculturæ assuetum, deliciarumque & ocii rudem, & (qualis apud Euripidem Hercules describitur,)

*inanium rudem, præstantem maximis,*

ocio & garrulitati dedisset, ut jam de artibus & artificibus nugaretur, eique rei majorem diei partem impenderet. Atqui Marcellus eo nomine etiam apud Græcos gloriatus est, quod quæ pulcra haberent & admirarentur Græci ea Romanos in eos ante in honore ipse habere, & admirari docuisset. Porrò triumpho ejus adversantibus, quod & quædam in Sicilia conficienda restabant, & invidiæ obnoxius erat secundus triumphus; ipse ita concepit, ut perfectum & magnum triumphum in Albanum montem duceret, ovans verò urbem iniret. Qui ovans in urbem intrat, is non quadrigis invehitur, neque lauro coronatur, neque tubicines habet: sed pedes est, calceatus, multis comitantibus tibicinibus, myrto redimitus: ut gratiosi sit, quàm terribilior aspectus, & minorem belli speciem præferat. Id quod mihi maximo est indicio, antiquitus non magnitudine rei gestæ, sed modo, discrimina triumphorum constitisse. Qui enim pœlio & cæde facta hostes vicissent, ii Martium istum mirificum & terribilem triumphum ducebant, lauro (ut solet in lustrationibus exercituum) arma & viros multa coronantes. At ducibus, qui non bello, sed oratione & persuadendo rem prosperè confecissent, ducere belli apparatus expertem, & festivam istam pompam lex dabat. Nam & tibia pacis est, & myrtus Veneris arbor, quæ Dea maximè violentiam & bella odit. Neque verò acclamatione læta (quæ *Εὐασμὸς* Græcis est, unde iidem ovationem *Εὐαν* dicunt) hoc genus triumphi, ut putant multi, nominatur: sed id Græci ad vocabulum ipsis usitatum detorserunt, persuadentes sibi honoris partem etiam Baccho tribui, quem *Εὐιὸν* & *Thriambum* (est autem *triumphus* Græcis *triambos*) dicunt. Sed in eo falluntur. Nimirum in magno triumpho bovem majorum more dux immolabat, in minori ovem: inde *ὀβατίωνι* nomen. Operæ est contemplari, ut Lacedæmonius legislator contrario, quàm Romanus, modo sacrificia instituerit. Qui enim ducis munere apud Spartanos defunctus est, si rem astu aut persuadendo confecit, bovem; sin pugna, gallorem sacram facit: quippe homines tantumvis bellicosissimi, majorem, hominique magis convenientem actionem eam judicabant, quæ à prudentia & ratione, quàm quæ à vi & fortitudine proficisceretur. Verùm hæc qualia sint, consueranda in medio relinquimus. Marcello quar-

*Ovatio Marcelli & in Albano triumphus.*

*Lacedæmoniorum sacra ob victoriam partam qualia.*

tum

tum consule, adversarii ejus Syracusanis persuaserunt, ut Romam profecti, de gravibus & contra fidem datam illatis à Marcello injuriis apud Senatum quererentur. Fortè tum rem sacram in Capitolio faciebat Marcellus. Itaque cùm in Senatum venissent Syracusani, & se audiri jus suum persequentes peterent, ab altero consule Marcelli absentis vicem dolente exclusi sunt. At Marcellus re cognita, statim venit, primumque sella curuli sedens, consulis munus obivit: deinde cæteris peractis à sella descendit, ac privati in morem eo in loco adstitit, unde causam dicere solent rei, deditque sui accusandi facultatem Syracusanis. Eos verò auctoritas viri atque confidentia majorem in modum conturbavit: terribilemque eum in armis olim intuiti, tunc ne oculos quidem adversus prætextatum attollere audebant. Tamen adversariis Marcelli instigantibus, accusationem orsi sunt, lamentis mixtam, cujus hæc erat summa: se, cùm essent socii & amici Romanorum, ea perpessos, quæ ne paterentur multi hostes, XXX VIII à Romanorum ducibus per gratiam obtinuissent. Ad hæc Marcellus: Pro multis maleficiis, quæ contra Romanos exercuissent, nihil iis factum, nisi quod bello & vi captis hominibus ne eveniat, prohibere possit nemo: ita verò sua ipsorum culpa captos, cùm crebris ipsius ad redeundum in fidem Romanorum adhortationibus obtemperare noluissent: neque eos à tyrannis ad bellum Romanis faciendum vi compulsos fuisse, sed tyrannidem eo nomine illis obtulisse, ut bellum susciperent. Habitis orationibus, Syracusanisque (ut fieri solet) è Senatu excedentibus, Marcellus etiam discessit, collegæ, ut cum Senatu de causa cognosceret, facta potestate. Ipse ante fores curiæ præstolatus, neque judicii meru, neque ira in Syracusanos solitum sibi vultum immutavit: placidè & composito gestu exi- XXX tum judicii operiens. Sententiis latis cùm rem tenuissent, flentes ei IX se ad pedes provolvunt Syracusani, obtestantes, iram adversus præsentes uti dimitteret, misereturque reliquæ civitatis perpetuam ipsius meritorum memoriam grato animo colentis. Fractus iis Marcellus, non modò cum his in gratiam rediit, sed & semper bene facere Syracusanis perrexit. Libertatem autem, quam iis reddidit, legesque, & quod supererat bonorum, Senatus rata omnia habuit. Pro his, cùm alii ingentes honores à Syracusanis ei sunt habiti, tum lex ab ipsis facta est, ut quoties vel Marcellus, vel aliquis de ipsius posteris in Siciliam venisset, coronati Diis sacrificarent Syracusani. Marcellus ab hoc negocio adversus Annibalem se convertit. à prælio Cannensi omnes ferè consules, omnes duces hac una contra Annibalem usi erant arte, ut prælium subterfugerent: neque quisquam XL eorum acie congredi ausus fuerat. Marcellus autem diversa sibi via incedendum judicabat: alioquin fore, ut temporis eo spacio, quo Annibalem illi attritum iri sperebant, ab eo Italia imprudentibus omnibus conficeretur. neque verò Fabium curandæ patriæ rectas rationes iniisse, qui tuta tantum sectatus tantisper expectaret, dum, Roma tabe confecta, bellum finiretur: quo modo medicis morbo

*Marcelli in refutandis Syracusanorum querelis gravitas & clementia.*

*Gesta cum contra Annibalem res.*

remedium adhibere trepidantibus simul cum morbo ipsum corpus & vires elanguescunt. Primum itaque Samnii urbes magnas, quæ ad Annibalem defecerant, cepit: inque iis multum frumenti & pecuniæ, ac tria hominum millia, ab Annibale præsidii loco imposita. Deinde cùm in Apulia Cnæum Fulvium proconsulem Annibal cum undecim tribunis militum & majori exercitus parte occidisset; scriptis Romam literis, cives hortatus est, ut animo essent bono: se enim XLI. jam ire eam regionem Annibali ademtum. His literis recitatis Livius scribit non dolorem sublatum, sed auctum Romanis metum, tanto majus periculum accepto damno putantibus, quanto præstantior Fulvio esset Marcellus. Atque hic quidem, uti scripserat, confestim Annibalem insequens: in Lucanos transiit: eumque cùm ad oppidum Numistronem in colle munito consedisse offendisset, ipse in plano castra posuit. Postridie in aciem eduxit: Annibaleque degresso, prœlium consertum est incerta quidem victoria, sed ita vehemens, ut ab hora tertia eo usque protraheretur, dum noctis tenebræ id dirimerent. Rursus orta luce in aciem eduxit inter cadavera, Annibalemque ad decernendam prœlio victoriam provocavit, eumque castris motis discedentem, spoliatis prius ipse hostium cadaveribus, suisque sepultis, insecutus est. Multas Annibalis insidias e- XLII. vitavit, omnibus autem levibus prœliis victor, in admiratione fuit. Quare comitiis instantibus, potius visum Senatui alterum consulum è Sicilia evocare, quàm à certaminibus cum Annibale Marcellum abducere: illumque, ut venit, dictatorem dicere jusserunt Q. Fulvium. Dictator enim neque à populo potest, neque à Senatu eligi, sed consulum aliquis aut prætorum progressus ad populum, cum, quem ex usu fore putat, dictatorem dicit: Hinc *dictatoris* nomen est: alii sic dictum censent, quod non in suffragium jubeat ire de iis quæ statuere vult, sed quæ ipsi visum fuerit, imperet: etenim à magistratibus latas leges *edicta* Romani vocant. Marcelli collega cum è Sicilia venisset, alium dictatorem dicere voluit: ac ne invitus de sua sententia detruderetur, noctu in Siciliam abnavigavit. Populus Q. Fulvium dictatorem jussit: Senatus autem Marcello, ut eum diceret scripsit: isque paruit, & sententiam populi confirmavit. Inde XLIII. in annum sequentem rursus pro consule missus, re cum Fabio Maximo composita ut is Tarentinos aggrederetur, ipse Annibalem adortus à ferendo illis auxilio detineret ad Canusium accessit. Ibi Annibali castra subinde mutanti, prœliumque detrectanti se ostentans, tandem ut is certo loco cõsedit, levibus pugnis ad justum prœlium excivit: id prœlium inchoatum nox dirimit. postridie rursus Marcellus in armis conspectus est, instructa acie. Quare Annibal dolore concitus magno, Carthaginenses convocavit, oravitque ut pro omnibus prioribus victoriis retinendis in præsentia dimicarent: Videtis enim, dicebat, post tot victorias, ne respirandi quidem nobis victoribus aut otii dari facultatem, nisi hominem istum profligaverimus. Inde commissum est prœlium, in quo Marcellus videtur in XLIV. tempe-

tempestivo strategemate damnum sibi dedisse: Dextra enim ala laborante, unam de legionibus in primam aciem prodire jussit. Hæc mutatio ordinibus turbatis, hostibus victoriam tradidit, duobus millibus & septingentis Romanorum cæsis. Marcellus in castra regressus, convocato exercitu, videre se multa Romanorum arma, multa corpora, Romanum verò nullum dixit: ac veniam petentibus, victis se daturum negavit, victoribus promisit: eras iterum in aciem educturum affirmavit, ut de victoria prius quàm fuga fama ad cives perveniret. His dictis, cohortibus, quæ cesserant, pro tritico hordeum dari jussit: Itaque ergo multis male ab eo prœlio affectis, neminem dicunt fuisse cui non plus doloris oratio ducis, quàm vulnera attulerint. Mane punicea roga, signum pugnæ, de more suspensa fuit: cohortibus autem ignominia notatis primus, quem petierant, locus in acie datus: reliquos tribb. militum in aliem eduxerunt. Quod ut renunciatum est Annibali: Quid, inquit, Dii boni, huic homini facias? qui neque secundam potest, neque adversam fortunam ferre: solus neque dare quietem victor neque uti ea victus potest. nimirum semper erit cum eo pugnandum, qui in utroque eventu pudorem audiendi prætextum habet. Inde commisso prœlio, cùm æquo Marte pugnaretur, Annibal elephantos in primam productos aciem, Romanis ordinibus immitti jussit. Ibi tumultu & trepidatione magna orta, tribunus militum Flavius signo correpto occurrit, primumq; elephantum cuspide inferiori ictum retrò avertit: is & proximum à se, & alios deinceps conturbavit. Marcellus eo conspecto, equites confertim ad tumultum advolare, hostiumq; in se ipsos ruentium trepidationem augere jussit. ii acri in Carthaginenses facto impetu usque ad castra eos repulerunt: maximaque eorum cædes ab occisis & corruentibus elephantis est facta. Cecidere hostium supra octo millia: ab Romanis tria millia, pleriſq; reliquis sauciis. Id Annibali quam longissimè à Marcello se subducendi noctu, motis castris facultatem præbuit. Marcellus insequi obsauciorum multitudinem non potuit: itaque per ocium in Campaniam transiit, Sinuessæque æstatem reficiendo exercitu consumpsit. At Annibal ut semel a Marcello se abripuit, tanquam libero & soluto exercitu omnem Italiam circumiens incendiis vastabat. Quo nomine cùm male audiret Marcellus, inimici ejus Publicium Bibulum tribunum plebis submiserunt, qui eum accusaret. Erat is homo inorationibus vehemens, convocatoque sæpius populo, alii duci copias Marcelli committendas suadebat: etenim Marcellum, cùm ad bellum tantum sese parumper exercuisset, statim curandi corporis causa, tanquam ad lavacra calida, se à palæstra contulisse. Quibus auditis, Marcellus, relictis ad exercitum legatis, ipse diluendarum calumniarum causa Romam venit. Iam iis calumniis hoc erat effectum, ut dies Marcello diceretur. Quæ ubi appetiit, populo in Circum Flaminium congregato, Bibulus accusavit: Marcellus sui purgandi causa pauca & simpliciter dixit. Multa autem in eo defendendo

*Marcellus in suos victos severitas.*

*Annibalis de Marcello dictum.*

*Flavij tribuni militum egregiam facinus.*

*Publicius Marcelli calumniator.*

dendo, insigniq; libertate usi sunt probatissimi primoresq; civium, monentes populum, caverent ne si timiditatis Marcellum condemnassent, deterius de eo, quàm hostis, judicasse deprehenderentur: quippe hunc unum esse ex omnibus ducibus quem Annibal fugiat, iisdemque artibus semper congressum ejus declinet, quibus ad pugnam reliquos alliciat. His sermonibus factum est, ut in tantum spes sua accusatorem frustraretur, ut non absolutus modò criminum sit Marcellus, sed & quintum consul creatus. Initio hujus consulatus magnum in Etruria motum ad defectionem spectantem sedavit, ac circum urbes profectus eas pacavit. Inde templum Honoris & Virtutis à se ex manubiis Siculensibus exstructum dedicare cupiens, à pontificibus impeditus, quod ii non rectè unâ æde duos Deos includi dicerent, priori alterum adjicere cœpit, ægrè ferens id impedimenti, ac quasi in omen trahens. Nam & aliis turbabatur ostentis, quod & fana quædam de cœlo tacta erant, & in æde Iovis aurum mures corrosissent: ferebatur & bos locutus, & infans cum capite elephanti natus vivere. Factis hæc prodigia curandi causa sacrificiis, aliquoties non fuerat litatum. Detinebatur ergo ab aruspicibus in urbe, æstuans animo atque cupiditate tumens. Nemo enim quisquam tantopere quicquam petiit, atque is vir cum Annibale prœlio decernere in votis habuit: hoc ei & per quietem obversabatur somnium, & unum hoc cum amicis & collegis consultabat, hoc unum à Diis petebat, uti cum Annibale acie collata dimicandi facultatem sibi darent: idque (ut arbitror) ita maximè voluissent fieri, si uno muro aut vallo uterque fuisset incluſus exercitus. Ac nisi jam gloria onustus, abundè suam in omnis generis imperiis obeundis gravitatem atque prudentiam demonstrasset, dicerem sanè affectu magis, quàm pro ætate ejus, fervido ac juvenili, & ambitione annis indecora concitatum fuisse: gessit enim quintum consulatum, annos natus plures quàm sextaginta. Cæterum sacrificiis & expiationibus secundum aruspicum jussa factis, cum collega ad bellum est profectus: Annibalemq; inter Bantiam & Venusiam urbes sedentem cre bro irritavit. Annibal dimicationem subterfugit: & cùm à Romanis consulibus mitti exercitum in Locros Epizephyrios sensisset, insidiis sub tumulum Peteliæ abditis, duo millia & quingentos Romanorum occidit. Ita hujus rei Marcellum ad conserendum prœlium inflammavit propiusque castra hostium castris contulit Erat inter Punica & Romana castra collis, satis quidem natura munitus, cæterùm omnis generis arboribus ac virgultis obsitus: habebat & dejectus in utranque partem proclives, & fontes, qui aquis inde delabentibus indicarentur. Hunc mirabantur Romani ab Annibale non occupatum, cùm prior loco tam apto castra fixisset, sed hostibus relictum. Verùm Annibali locus ut commodus castris, ita longè opportunior insidiis abscondendis visus erat, & ad hanc rem potiùs eo uti statuerat. Itaque sylvestria omnia, & cavernas multis jaculatoribus & lanceariis oppleverat: sperans fore, ut loci natura opportu-

*Templa honoris & Virtutis.*

*Ostenta Marcello adversa*

XL VIII

XL IX

L

LI

LI portunitate sua eo Romanos alliceret. Quæ cum spes nequaquam fefellit. Etenim continuò in castris Romanorum multus erat sermo, occupandum eum esse locum: jamque curiosè rationes inibant, quot rebus superiores essent hostibus futuri, maximè quidem castris in eo colle positis: sin minus, at certè eo munimentis intercepto. Visum est igitur Marcello consilium, ut cum paucis equis locum specularetur: vocatoq; aruspice, sacram rem fecit. Cæsa prima hostia, jecur ei sine capite ostēdit aruspex. Secunda cæsa cū magnum caput exhibuit, tum cætera omnia ad miraculum pulcra visa sunt: & apparebat terror prioribus extis oblatus, alteris sublatus. At aruspices magis etiam metuere se responderunt: mutationem enim sinistri aliquid habere videri, quod post turpissima & tristissima exta, nimis quàm læta apparuissent. Verùm *Enim vero fato neque ignis, neque*

*Marcellus ex insidiis circumventus perierit.*

LII *ferreus obstiterit murus*, ut est apud Pindarum. Exiit cum collega Crispino Marcellus, filioque suo, qui tum erat tribunus militum, ac ducentis & viginti equitibus: quorum nemo Romanus erat, sed Etrusci cæteri, quadraginta Fregellani, qui morigeros se & fidos perpetuò Marcello præbuerant. Locus erat sylvestris, & tectus, in eo speculator Carthaginensium desidebat, qui à nemine conspici, ipse Romanorum castra cernere poterat. Is cùm in insidiis locatis, quid agerent Romani, indicasset, illi Marcellum advententem passi propè accedere, inde subitò exorti, & undiquaque circumfusi, jaculabantur, cædebant, insequebantur fugientes, cum resistentibus dimicabant. Resistebant autem quadraginta Fregellani, Etruciique initio statim præ terrore fugam dantibus, agmine ipsi facto pro consulibus propugnabant: donec Crispinus duobus jaculis ictus equum ad fugam convertit, Marcelli autem latus lancea trajectum est. Tunc demum & qui supererant Fregellani, pauci admodum Marcellum cadentem relinquentes, filio ejus saucio secum abrepto in castra effugerunt. Ceciderunt haud multi supra quadraginta, capti sunt lictores quinque, & de equitibus duodevigenti. Paucos post dies etiam Crispinus ex vulneribus obiit: novumq; hoc Romanis infortunium

*Crispini mors.*

LIII accidit, ut uno prœlio utrumque consulem amitterent. Annibal verò cùm reliquos minimi faceret, Marcellum cecidisse audito, ipse ad locum accurrit: cadaverique adsistens, diuque corporis robur & formam contemplatus, neque superbam ullam emisit vocem, neque vultu lætitiam (ut consentaneum erat eum, qui tam molestum & gravem hostem interfecisset) præ se tulit. sed inopinatum viri exitum miratus, annulum ei abstulit, corpus digno habitu ornatum, vestibusque decentibus amictum cremavit, reliquias in urnam argenteam lectas, aurea superaddita corona, ad filium ejus misit. Sed quidam Numidæ cùm inferentes ea incidissent, adimere vi conati sunt: illis reluctantibus, ac vim vi exeuntibus, ossa disjecta sunt. Annibal hoc audito, ad eos qui aderant nihil utique Diis invitis posse fieri fatus, sumto de Numidis supplicio, nullam præterea de Marcelli reliquiis colligendis curam habuit; ut qui Dei alicujus numine Mar-

*Annibal ut mortuum Marcellum habuerit.*

cello hunc exitum vitæ, & sepulturæ privationem, ita præter omnium opinionem evenisse crederet. Hæc Cornelius Nepos, & Valerius Maximus narrant. Livius, & Augustus Cæsar perlatam ad filium Marcelli urnam, & honorifice sepultas ejus reliquias perhibent. Præter ea, quæ Romæ dedicarat, Marcelli monumenta erant, LIV Gymnasium Catanę in Sicilia, statuæ & tabulæ de Syracusanis in Samothrace apud Deos, quos Cabeiros nuncupant, & in Minervæ templo apud Lindum: ibi hoc epigramma statuæ ejus fuisse adscriptum, Posidonius refert:

*Monumenta Marcelli.*

*Ille, hostes, patriæ fidus memorabile Romæ*
*Marcellus claris Claudius à proavis,*
*Tergę quaterq; tulit bella in Mavortia fasces*
*Consulis, hostili cæde madefaciens.*

Hujus enim carminis auctor, duos proconsulatus quinque annumeravit consulatibus. Genus ejus splendidum, usq; ad Marcellum Caii Marcelli, & Cæsaris Augusti sororis Octaviæ filium prorogatum est. Hic ædilis Romæ obiit, cùm non diu in Matrimonio Cæsaris filiam habuisset. Honori ejus & memoriæ ejus Octavia mater Bibliothecam dedicavit; Cæsar ipse Theatrum, Marcello inscriptum.

*Marcellus Octavię filius.*

## *PELOPIDAE GVM MARCELLO comparatio.*

Quæ de Marcello atque Pelopida memoriæ prodita, commemo LV ratu digna judicavissemus, hæc fere erant. Cùm vero & natura & moribus sanè quam æquales fuerint, uterque nimirum fortis, impiger, acer, magnoque præditus animo: in eo solum discrimen interfuisse videri potest, quod Marcellus multis in urbibus à se captis cædes exercuit. Epaminondas & Pelopidas nullum unquam victores interfecerunt: neq; in servitutem urbes redegerunt: imò ne cum Orchomeniis quidem ita acturos fuisse Thebanos istis præsentibus, creditum est. De rebus gestis Marcelli, magnum est & mirabile, quod Gallorum tantas equitum peditumque copias paucis ipse equitibus profligavit (quod ab alio duce factum haud temerè leges) quodque hostium ipse ducem occidit. Certè Pelopidas idem conatus interiit, à tyranno præventus. Veruntamen his opponere licet Leuctricum & Tegyrense, præclarissima certamina. Iam Marcelli nullum possumus adducere facinus, occultis insidiis adjutum: at ejus generis fuerunt, cùm Pelopidas reditum ab exsulio confecit, & Thebanorum tyrannos, (quod omnium per tenebras & fallaciam gestarum rerum præstantissimum est) sustulit. Romanis terrori e- LVI rat Annibal, & graviter urgebat: sicut & Lacedæmonii Thebanos. Cæterum Spartanos à Pelopida victos ad Leuctra & Tegyras, constans est fama: Annibalem Polybius scribit nunquam à Marcello superatum, sed usque ad Scipionem invictum permansisse. Nos Livio, Cæsari, Nepoti, ac de Græcis scriptoribus regi lubæ credimus, Annibalem

*In victos quales fuerint.*

*Bellicares.*

*Apertè gestæ res.*

balem aliquoties à Marcello victum fusumque, quæ tamen victoriæ ad summam rerum non magnum pondus attulerint. ut in illis conflictibus illusisse Pœnus videri possit. Fuerunt tamen hæc Marcelli facinora haud injuria in admiratione: quo auctore Romani fusis tot ipsorum exercitibus, cæsis ducibus, totoque conturbato Romanorum imperio, congredi cum hoste ausi sunt. Qui enim post diuturnum terrorem atque metum, apud exercitum ardorem & studium cum hostibus contendendi excitavit, ut jam haud in proclivi positam victoriam appeterent, ac de ea magna contentione cum hostibus dimicarent: is Marcellus fuit. Nempe cladibus jam adsuefactos, ut bene secum actum crederent, si fuga Annibalem evitassent. pudore ille affici, si amissa victoria saluti consuluissent, negare si vel paLVII rumper cessissent, dolere nisi vicissent, docuit. Quod autem Pelopidas nullo unquam prælio dux ipse superatus est, Marcellus plures quàm ullus ea tempestate alius Romanus victorias retulit, videri potest difficultas in hoste vincendo, tot rebus tamen feliciter gestis, invictæ virtutis laudi ex æquo respondere. Quid, quod Syracusas Marcellus cepit, Lacedæmone potiundi conatus Pelopidæ irritus fuit? Equidem majus fuit, Siciliam recipere, quàm ad Spartam a cedere, primumq; hominum belli causa Eurotam transire. Quan *Societas laudu.* quam profectò hoc, ut & Leuctricam victoriam, rectius Epaminondæ, quàm Pelopidæ adscribi, non absurdè forsitan aliquis dixerit: at Marcellus gloriam rebus gestis partam cum nemine habuit communem. Nam & solus Syracusis potitus est, & sine collega Gallos *Obitus.* fudit, & Annibali non modò à nemine adjutus, sed & omnibus dehortantibus se objiciens, mutata belli gerendi forma primus eruden-LVIII di dux fuit. Exitum quidem vitæ utriusque nequaquam laudo: & quidem ægrè fero, indignorque tam absurdos casus reputans. Miror autem Annibalem tot in pugnis, quot vel enumerando defatigeris, ne vulneratum quidem: miror & Chrysantam, quem Xenophon in libris de disciplina Cyri scribit cùm jam elata bipenni esset hostem icturus, ut tubam receptui canere audierit, omisso hoste placidè & compositè recessisse. Veruntamen Pelopidam venia dignum facit ira, quæ eum fervidum alioquin prælii tempore ad vindictam (haud inconvenienter id generoso animo) inflammavit. *Nam ducis summa laus est, ut vel salvus vincat, vel virtute vitam finiens, occumbat*, quod est apud Euripidem: sic enim non passus aliquid, sed egisse moriendo existimatur. Ad iram accessit etiam, quod in morte tyranni finem victoriæ positum cernens, haud absurdè omnino impetui animi est obsecutus: haud facilè enim erat aliam, aliquam rem præclaram aggredi, cujus tam honestus esset & gloriosus scopus.

LIX At verò Marcellus, neque magna incumbente necessitate, neque eo animi fervore correptus, qui in rebus gravibus sæpenumerò de potestate mentis dejicere solet, inconsideratè in periculū sese præcipitans, nō ducis, sed præcursoris aut exploratoris modo interiit: quinque consulatus, tres triūphos, spoliaq; & trophea de regibus erecta,

Hispa-

Hispanis & Numidis qui suam pro Carthaginensibus vitam deponerent, in manus dans. Itaque & ipsi re tam feliciter gesta, succensuerunt sibi quodammodo atque inviderunt, cùm virum inter Romanos virtute, potentia, gloriaque præstantissimum, inter Fregellanos speculatores interemtum viderent. Neque hæc sunt accipienda pro quadam adversus istos viros obtrectatione, sed ut indignatio quædam, & libera de ipsis apud ipsos querela, & fortitudinem ipsorum, in quam reliquas etiam virtutes impenderint, vitæ suæ non parcentes: quasi verò sibiipsis, non patriæ magis, amicis & sociis perirent. Secundum mortem, Pelopidas à sociis, pro quibus mortem oppetierat, Marcellus ab iis, à quibus erat necatus, hostibus est sepultus. Quorum ut alterũ expetendum est, & beati putatur: ita præstantius quiddam & majus est admirationem sui in animis hostium virtutis ejus, quæ eis sæpe incommodaverit, quàm apud amicos gratiarum actionem excitare. quippe in illo honestati tantum honor delatus apparet: in hoc utilitas & commodum magis, quàm virtus amatur. LX

## IN MARCELLUM
### Annotata.

*Marcellus bello Annibalico floruit, quo nihil est notius, & cujus tempus accuratè à Polyb. lib. 3. ostenditur. Obijt consul insidiis Annibalis anno ab V. C.* IƆXLVI. *Ignorationem porro Latinæ linguæ tantam neque Plutarcho neque Posidonio etiam attribuerim, ut eos à Marte Marcellum deduxisse credam. Etsi me minimè fugit apud ipsum Varronem (ne alios dicam) non paulò etiam ineptiores inveniri, quas vocant, etymologias. Marcelli verò cognomen gentis Claudiæ ab Annibalico nostro hoc demum incœpisse, credat qui volet. ego ante hujus obitum annis* LXXVI. *consulem invenio M Claudium Marcellum, qui idem cum nostro neque fuit, neque esse potuit, nisi hunc centenarium oppetiisse fingamus. Quo pacto Quintum consul fuisse dicatur, in quinto consulatu ejus etiam à Livio ostenditur. Quæ apud Virgilium in 6 Aeneidos, adversum (*Adspice ut insignis spoliis Marcellus opimis*) annotantur: me parum movent. sciunt enim eruditi quomodo & isti & alij commentarij sint interpolati.*

Cap. . Quod est apud Homerum.) *Lib Iliad. 14. 86. Verba sunt Vlyssis de se & Græcis, adversus Agamemnonem, qui fugam suadebat.*

Cap. 2. Mensam nummulariam) *ἀργυραμοιβίαν est in Græco. quod quid hoc loco sit, non planè intelligo. Id facilè apparet, aliquid argentei ex multa Capitolini confectum, idq; dedicatum. Verbum videtur mensam nummulariam seu abacum significare. sed improprie (ni fallor) hic pro quavis mensa accipiendum. Nisi fortassis mutilus est locus, & scripsit Plutarchus Marcellum pecuniam multæ loco exactam in argentum convertisse (nam id non incommodè Græcis verbis de-*

*bis dici puto, ἀργυραμοιβίαν ποιεῖσθαι) & donarium, cujus hic interciderit nomen, ex eo fecisse. Iudicij hujus meminit Valerius lib. 6. c. 1. & reum C. Scantinium Capitolinum tribunum plebis nominat: unde facile apparet, varie hanc rem narratam fuisse. quid de multâ statutum fuerit, nusquam reperio. Mox:*

Cap. 3. Insubres gens Gallica. ) *In Græco est ἴβηρες, idq; retinuit etiam Guarinus, cùm tamen neque gens ulla Gallica Iberi sint. & quomodo scripserit Plutarchus, ipsa historia doceat. Insubres enim Galli fuerunt, de quibus hic dicitur, quod ex Polybij libro secundo. (ibi enim hæc historia copiose describitur, & ἴσομφροι appellantur: à Plutarcho mox ἰνσομφροι) patet. & Floro 2. 4. Zonara, aliis. Statim:*

Ibid. Et Gæsatæ vocantur: ) *In Græco hîc γερᾶται falsò, infra γεσσάται nominantur. Polybium secuti,* Gesatas *scribimus. Quod autem à* militiæ mercede *sic nominatos idem perhibet, vix ei adsentior. non enim grammatici modò Græci annotarunt, γαῖσα esse ἀκοντάρια, pili genus: sed & Propert. lib. 4. hoc ipso de bello ita usurpavit.* Gæsatæ.

Virdomari genus hic Rheno jactabat ab ipso,
Nobilis erectis fundere Gæsa rotis.

*Et apud Festum est,* Gæsum grave jactum. *ubi ordo literarum repudiat a diphthongum: sed telum esse, locus, etsi mutilus, tamen docet. Maro* Gæsorum *lib.* IIX. *ubi de Gallis Capitolium occupaturis loquitur, etiam meminit:*

——— Duo quisque Alpina coruscant
Gæsa manu ———

*Et meminit Nonius etiam, apud Eustathium in Iliad. β 774. (ubi tamen σ littera fœde extrita est) spiculum totum ferreum exponitur, quod ille ex Pausania adfert. idem verò est etiam apud Pollucem & alios. Apud Suidam quoque* Γεσὸς *legitur. &* pro armatura aut conto *exponitur. Sed Latinorum, eorumque Græce doctissimorum auctoritas evincit, vel γεσσὸν vel γαισὸν dicendum Habet nostra Germanica lingua permulta Ebraica & Aramæa vocabula suis permixta: quod opportuniore loco demonstravimus. &* Gęsatæ *an sint usi Germanorum veterum lingua, disquiri potest. certe multi sic sentiunt. Apud Aramæos ergo* Gaias *exercitum, & latronem derivata vox* Gaisa *notat: quod tadij leniendi causa annotavimus. Itaq; verisimile est à genere armorum dici* gæsatas: *ut funditores, ut lancearios, ut cetratos, ut alios. Sed hæc nihil admodum huc pertinent. Servius (opinor, alicubi tradit, fortes viros à Gallis* Gæsos *dici. Porro autem de belli istius apparatu & Romanorum & sociorum: lege Polybium eodem libro, epitomam Livianam 20. & Plin. 3. 20. In multis diversorum libris auctorum leges etiam* Gessatas *pro* Gesatis.

Cap. 5. Commentarios militares. ) στρατευματικοῖς ὑπομνήμασιν. *Intelligo* ephemeridas, *hoc est librum, in quem, quid quoque tempore gessisset, scriptum referret, Apud* Ciceronem *lib. 2. de natura deorum*

*historia*

*historia hæc copiose narratur. ibi simpliciter scriptum est*, Libros. *Valerius libro primo, idem referens*, ex libris ad sacra populi pertinentibus animadversum errorem suum à Sempronio *inquit. Ciceronis locum adscribam, ut aliquid lucis adferat, aliquid accipiat* E provincia, *inquit (loquitur autem de Ti. Sempronio hoc, qui Ti. & C Gracchorum pater fuit)* litteras ad collegium misit, se, cùm legeret libros recordatum esse, vitio sibi tabernaculum captum fuisse in horto Scipionis: quod pomœrium postea intrasset, senatus habendi causa, in redeundo cùm idem pomœrium transiret, auspicari esset oblitus. *Hunc morem capiendi tabernaculi Plutarchus diserté exponit hoc loco; qui sanè videtur ostendere Ciceronis locum recté legi, uti adduximus, & hæc verba*, In horto Scipionis, *non esse in* Aruspectionis *commutanda. Nullam enim video necessitatem quæ hoc nobis imponat: neque Manutius istius correctionis auctor (vir de Ciceronis & multorum optimorum scriptorum monumentis præclarissime meritus) causam ostendit, cur a conductione tabernaculi extra pomœrium horti Scipionis magis, quam alius locus quispiam, fuerint alienum, neq; fortassis, si Cicero* Aruspectionis *scripsisset, sciolus id non intellectum statim in* In horto Scipionis, *ac non potius in aliud quidvis mutasset. Meminit & Livius libro 4. ad annum V. C* CCCX *de trib. militum:* Non tamen pro firmato jam stetit magistratus ejus jus, quia tertio mense quàm inierant, augurum decreto, perinde ac vitio creati honore abiere: quod C. Curiatius, qui comiciis eorum præfuerat, parum rectè tabernaculum cepisset. *Cæterum Ti. Gracchi consulatus posterior, quo acta sunt illa, incidit in annum ab V. C.* IƆXCI. *secundum receptam numerationem (Sigonius habet* IƆXXCVII.) *quo tẽpore Heautontimorumenos Terentiana tertium acta scribitur.*

*Ciceronis locus expenditur.*

Cap. 9. Minutius dictator. ) μινυκίου. *Valerius loco jam indicato non* Minucium, *sed* Fabium *dictatorem nominat, estque id vero propius: siquidem bis dictator Fabius fuit, ut Livius disertè, & antiqua inscriptio quam Sigonius descripsit, docet. Idem hanc dictaturam rectissimé si quid video in annum collocat. qui Gallicum Marcelli triumphum est insecutus.*

Cap. 7. Ab ea urbe Virdumarus. ) βριόματος. *Sic & Guarinus. sed vitiosa est lectio. in vita Romuli* βριτόμαρτος. *&* Britomartis *aliàs etiam apud Latinos; ut barbaricum nomen legitur... Hic Livium, Florum, Eutropium, Propertium, alios hujus belli scriptores sequi malui.*

Ibid. Ad Clastidium ) καπίδιον. *& hoc mendum retinuit uterq; interpres (sæpe videtur antiqua translatio Amiotum in errorem abduxisse) cùm quidem neque sit ullum usquam nominatum* Capidium: *&* Clastidium κλαστίδιον, *disertè nominet Polybius, eadem tractans, cui adstipulatur antiqua inscriptio quam Sigonius in Epit. Livij 20. refert. Meminit sanè hujus* Clastidii *Livius lib. 21. & lib. 32. ubi Ligurum ditionis fuisse perhibet.*

Cap. 10. Quercus enim votivæ. ) εὐκάνου, *omissum hoc est Guarino verbum.*

*verbum. Ipse εὐκαίου legi: non profectò quod mihi satisfacerem planè, sed quia votivam quercum existimo dici intelligique posse, quæ ad eam rem destinata esset. Quid legerit Amiotus, ignoro*: quercum montanam excelsam & rectam *vertit*.

Ibid. Ad nostram usque ætatem.) τοῦ καθ' ἡμᾶς ἀγῶνος. *imposuit interpreti mendum, tametsi nullo sententiæ detrimento. Legendum est* αἰῶνος.

Cap. 11. Primæ asses CCC. secunda CC. tertia C. asses.) τὸν δὲ δεύτερον π. *idq; secutus est Guarinus.* Secundo octoginta. *Sed contra rationem videtur esse, ut qui tertia spolia opima retulerit, plus eo accipiat qui secunda. Itaq; in locum* τοῦ π. *(quæ est nota numeri* LXXX.) *literam* σ *reposui, qua* CC. *indicantur: eo quidem liberius, quod inter* π *&* σ *summa est figuræ similitudo: & nobiscum sensit Amiotus.*

Cap. 15. Livius non quidem affirmat.) *Aut hic, aut apud Livium, aliquantum verborum intercidisse videtur: nisi μνημονικὸν Plutarchi ἁμάρτημα esse credamus. Neque enim Livianum noster numerum refert, neque nostri fit ulla apud Livium mentio: & vero longe amplior atque admirabilior victoria fuisset, si id, quod Livius ita narrat, ut fidem non habeat, verum putaretur: Verba Livij sunt.* Vix equidem ausim affirmare, quod quidam auctores sunt, duo millia & CCC. hostium cæsos, non plus uno Romanos amisisse. Sive tanta, sive minor victoria fuit, ingens eo die res, an nescio an maxima illo bello gesta sit: non vinci enim ab Annibale vincere solito, difficilius fuit, quam postea vincere. Lib. 23.

Cap. 17. Cæsa sunt hostium millia quinque.) *Livius hic quoque aliter: ut, nisi si alios auctores noster secutus sit, in alterutrius librum menda invecta videatur, præsertim in numeris.* Hostium, *inquit*, plus mille cæsi eo die, capti CIƆIƆC: & signa militaria XIX. & duo elephanti, quatuor in acie occisi. Romanorum minus mille interfecti. *Mox*: Tertio post die mille CCLXXII. equites misti Numidæ, Hispanique ad Marcellum transfugerunt. *Neque repugno Sigonio, priorem numerum ex Plutarcho, posteriorem ex Livio emendanti, ut hic legatur,* ὑπὲρ τοὺς χιλίους τριακοσίους.

Cap. 19. Occiderat ** apud Leontinos.) *Intercidisse hoc loco non unum atque alterum modò verbum, sed haud paucos versus, facilè intelliget, qui historiam lib. 24. Livij legerit. Vel Græca verba consideraverit. Quæ autem de receptis Leontinis dicuntur, ad Marcellum pertinere, ex Livio intelligitur.*

Cap. 20. Et ea problemata.) *Si commentarios scriberem, non annotationes, profectò adferre lucem huic loco & vellem & fortassis possem. Nunc libet Platonicum illud præscribere,* Geometriæ inscius nemo huc accedat. *Quid enim intelligeret hic* τῶν μαθηματικῶν ἀμαθής? *Certè Guarinus nihil minus videtur quàm sensum eruisse horum verborũ, haud scio rei ne ignoratione, an oscitantia.* Problemata *Græcam vocem reliqui, quando ejus ne Ciceronem quidem pœnituit; & dari Latinũ, quod idẽ exprimat, vocabulũ vix potest.* Problemata *in* Problemata.

Geome-

*Geometria sunt ea propositiones, quæ efficere aliquid docent, & quasi usum theorematum (hoc est earum, quæ tantum in cognitione hærent propositionum, ostendunt. Verbi gratia. Circuli naturam & proprietates, quas ratione centri sui & ductarum in ipso linearum habet, cognoscimus ex tertij libri apud Euclidem multis theorematis: dati circuli invenire centrum, segmento dato totam circumferentiam complere, & quæ alia id genus effectione aliqua constant, Problemata sunt. Quod autem dixi,* Absolventes, *in Græco legitur* ὑπερίδοντες, *nullo plane sensu. legi ipse* ὑπερείδοντες suffulcientes. *Iam exemplum quod affert Plutarchus de duobus mediis Geometrica proportione inter datos duos terminos interserendis, sive id fiat in numeris, sive in lineis, sive in superficiebus, sive in corporibus, non in duplicatione modò cubi (de qua historia nota est, & passim jactata,) sed & in aliis Arithmeticis Geometricisq; rebus immensum obtinet usum: uti possem demonstrare, nisi commodius aliò reservari scirem. Res est non obvia. Videant studiosi, quæ docte annotavit Philander ad Vitruvium lib. 9. cap. 3. nam & μεσόλαβον instrumentum, & lineas semicylindorum (quorum hic oblique meminit Plutarchus) diligenter explicavit. Ipsum problema nemo, quod sciam, Stifelio ingeniosius, certius, & facilius dissolvit: quem lege lib 2. Perfectæ Arithmet. c. 7. Porro autem Platonis indignatio eam causam habuit, quod in contemplatione positas scientias, quæ ab omni materia abstractas species quantitatis per seipsam considerent, nolebat materia & sensilium rerum quasi contagio affici & contaminari (de qua re etiam legendum est caput secundum lib.* IIX. *Symposiacorum nostri auctoris) Hinc illa apud eum in Philebo mathematum divisio, in pura & impura: quam ne Aristoteles quidem dissimulavit.* Sed *hæc non sunt hujus loci.*

Cap. 23. Avellerunt * * itaque) *Deest aliquid in Græco, tametsi Guarinus lacunam dissimularit. Quid enim redditur ad* ὧν οἱ μὲν? *ut ne dicam, mutilatam narrationem statim apparere,*

Cap. 27. Ad Acrillas.) *Apud Livium* Accillas *est, hîc* ἀκέλας. *Stephanus* ἀκρίλλας *scripsit, quod series literarum recte legi satis demonstrat. Id secutus sum hîc, sicut & apud Livium Sigonius.* De *Archimedis sepulchro vide quæ sunt apud* Cicer. *libr.* 5. Tusc. *quæstionum.*

Ibid. Animadvertit negligentius custoditam.) *Sane apud Livium contrarium invenies, qui ob idipsum intentius custoditam scribit turrim eam, lib. 25.*

Cap. 28. Prima luce ab Hexapylo.) ἅμα φαιδεία *quod vocabulum ob insolentiam mihi est suspectum? & miror plane hanc Syracusarum* ἅλωσιν *ita concise à Plutarcho describi. Livius lib. 25.* Sub lucem, *inquit,* Hexaphylo effracto, Marcellus cum omnibus copiis urbem ingressus, &c.

Cap. 29. Sciotheras, sphæras, & quadrantes.) σκιόθηρα *dicta à* σκιὰ umbra, & θήρα venatio, *apparet: ut horologia intelligi possint,*

*eave*

*eave instrumenta, quibus ex ratione umbrarum horas, aut alia etiam vestigare solemus.* σκιοθήρας *fortè legendum, ut sit accusativus pluralis, ab* ὁ σκιοθήρας *quos dixi quadrantes, id in Græco est* γωνίας αἷς ἐναρμόττει τὸ τοῦ ἡλίου μέγεθος πρὸς τὴν ὄψιν, *ad verbum:* Angulos quibus magnitudo solis ad oculos accommodatur: *quod quid sit, perobscurum est. Ego* quadrantes *verti, quo non est aliud usitatius apud mathematicos instrumentum, cùm per dioptras sole inspecto, aliquid istarum rerum per angulorum præsertim doctrinam indagatur. Quod si de gnomonibus malis intelligere, per me licebit.*

Cap. 30. Si quid durius Ennensibus.) *In Græco est,* περὶ αἴτναν, *hoc est,* Ætnæis, *aut* Ætnæ accolis, *vel* urbi Ætnæ. *Non sum nescius, oppidum Aetnam etiam à Strabone nominari, ad montis Aetnæ radices: sed de qua dixerim apud Stephanum, & quæ huc nihil faciat. Quomodo Ennam urbem Sicilia L. Pinarius præsidij præfectus, perfidia oppidanorum coactus necessario facinore retinuerit, cæsis Ennensibus, historia est apud Livium, libro 24. qui id facinus non improbatum à Marcello, imò eum prædam militi concessisse scribit. Quo mihi videtur hic respicerè Plutarchus: neque* αἴτναν, *sed* ἔνναν *scripsisse, quod tamen sciolus aut oscitans librarius corruperit. Etenim Strabo lib. 6. Stephanus, & alij,* ἔννα *scribunt; cùm in Livij plerisque codicibus hactenus* Ænna *dicto loco lectum sit. Plutarchum quidem itidem* αἴτναν *scripsisse, non facilè dixerim. De Megarensibus Plutarchus ante, & Livius ibidem:* Marcellus Megaram vi captam diruit ac diripuit, ad reliquorum, & maximè Syracusanorum terrorem.

Cap. 32. Enguinos.) *Guarinus* Engiates, *Græcus liber* ἐγγύους, *male utrunque. Nam & ex Stephano liquet hic* ἐγγυΐους *legendum: & Latinè* Enguinos *dici, ex Plinij 3. 9.*

Cap. 33. Iuxta Pindarum.) *Locus est initio secundæ Pythiorum odæ, de Syracusis.*

Cap. 35. Invidiæ obnoxius erat secundus triumphus.) ὁ τρίτος *est in Græco, id est,* tertius: *quo modo & Guarinus & (ut aliàs sæpe) post eum Amiotus vertit. Sed de Gallis triumphaverat tantùm, neque (nisi admodum fallor) quisquam alium porrò ejus triumphum agnoscit scriptor. Itaque ergo audacter* secundum *dixi.*

Cap. 40. Vndecim tribunis militum.) *Historia est apud Livium lib. 27. initio, sed ibi* duodecim *legitur. Sigonius* undecim *reposuit.*

Cap. 42. Q. Fulvium.) φάβιον *est in Græco pro* φούλβιον, *uti Guarinus etiam ex Livio deprehendit.*

Cap. 44. Vnam de legionibus.) ἐκέλευσε τῶν ταγμάτων. *deest* ἔν *quod Guarino errandi causam præbuit, cum verteret,* Ordines in primam succedere aciem jussisset. *Verba Livij adscripsi:* Cedere inde à Romanis dextra ala, ut extraordinarii cœperunt. Quod ubi Marcellus vidit, duodevigesimam legionem in primam aciem inducit, &c, *Pleraque autem ex Livio vertisse hic Plutarchum, satis constat.*

Cap. 48. Infans eum capite elephanti.) ἐκ κεφαλῆς ἐλέφαντος *forte* μέτα, *aut*, ἐλέφαντα, *sed & quæ subsequuntur mendosa videntur.*

Cap. 51. Iamque curiosè rationes inibant.) καὶ διεστρατήγουν, *id est*: quod imperatoris erat reputare, quàm commodus locus foret, ipsi curiosè inquirebant, *sic supra in Paulo*, λόγῳ πολλὰ διαστρατηγοῦντα τῶν ἀπράκτων, *de exercitu. Sic multis alijs locis.*

Cap. 54. Quos Caberos.) *De his qui cognoscere cupiunt, legant interpretem Appollonij in α.* Αργοναυτ. *paragraph.* 34. *Plutarchum Osiride, Diodorum & alios. Nam mihi quidem Pausaniæ exemplo (Bœoticis) de ijs hic tacere cum bona venia liceat. Paulo ante Valerij Maximi mentio fit. Ego primus ac solus, an sentiam quod sentio, vix satis scio. Sentio autem istius Valerij Maximi libros aut planè ad nos non pervenisse, aut mirifice interpolatos. Cur ita credam, alibi (spero) locus explicandi dabitur. Profectò autem cum eo, quem nos habemus, Valerio quæ de funeratione Marcelli adferuntur ex Valerij Maximi Veri libris, perparum consonant. Legatur finis capitis primi, lib. 5. res apparebit. Fieri potuit, ut aliquis Ti. Cæsaris adulator nescio quali facundia præditus ac fretus, Valerij Maximi historiarum eptiomen cuderet, ac suis pigmentis scilicet exornaret: cui eptiomæ deinde laudatissimum nomen præscriberetur. Sed hoc loco istam disputationem non persequor, etsi prorsus tacere piguit:*

*De Valerio Maximo.*

## IN COMPARATIONEM Annotata.

Cap. 56. Romanis terrori.) *Locus est in Græco turpiter fœdatus, quem emendare possem, si quis emendatum esset agniturus: si sententiam (quam historia claram redigit) meis verbis Græcè extulissem; aut Plutarchiana meo judicatu mutassem.*

Ibid. Illusisse Pœnus.) ψεύδωμα, *est vocabulum non nisi mendosum, uti opinor.* Impositum Pœno, *Guarinus: ego amplius censeo deliberandum. Nam tota hæc comparatio malè est tractata à librarijs.*

Cap. 57. Lacedæmone potiundi conatus irritus fuit.) Λακεδαιμονίων ἀπέτυχεν. *Quid sit* ἀποτυγχάνειν, *notius est quam ut Guarini error sit refellendus.*

Cap. 58. Miror & Chrysantam, quem Xenophon.) ἄγωμαι τὸν ἐν τῇ παιδείᾳ χρυσάντων. *Guarinus*, Atque in hac disciplina Chrysantam probo: *imperitè. Non enim intellexit*, παιδείαν *hic citari Xenophontis opus de vita & disciplina (uti Cicero in Bruto exposuit) Cyri: in cujus operis libro 4. ad initium hæc historia refertur.*

PLV-

# PLVTARCHI ARISTIDES, GVILIELMO XYlandro, Augustano, interprete.

ARISTIDES Lysimachi filius, de tribu Antiochide, curia Alopecensis fuit. De facultatibus ejus diversa traduntur. Quidam summa in paupertate vitam exegisse, duasque morientem filias reliquisse scribunt, quæ diu ob inopiam maritos non invenerint. Huic multorum narrationi Demetrius Phalereus in Socrate repugnans, cognitum sibi in Phalero prædiũ ait Aristidis, in quo is sepultus sit. Non defuisse autem rem ei familiarẽ, primùm eo indicio deprehendi, quod is sorte fabarum lectus magistratũ, qui Eponymus appellatur, gesserit, qui iis modò committeretur, quorũ familiæ maximum censum explerent, videlicet quingentorum medimnorũ: unde Pentacosiomedimni, Athenienſibus dicebantur. Deinde, quo ostracismo in exsulium sit pulsus: id verò non pauperibus, sed illustri genere natis, ac invidiæ ob potentiam obnoxiis, decerni solitum. Postremò, quod victoriæ donaria tripodes spectaculis sacros reliquerit in fano Bacchi: qui nostro quoq; ostendebantur tempore, hac inscriptione: ANTIOCHIS VICIT, ARISTIDES SUMTUM FECIT, ARCHESTRATUS DOCUIT. Postremum hoc argumentum, cum maximum videatur, omnium minime valet. Nam & Epaminondas, quem extrema in paupertate & educatum fuisse & vixisse notum est omnibus, & Plato philosophus, haud illiberales uterque sumtus, in tibicines alter, alter in cyclicos pueros fecit: suppeditãte huic quidem Dione Syracusano, illi autẽ Pelopida. Neq; enim viris bonis tale adversus omnia amicorũ munera bellũ suscipitur, quod componi nulla pace aut conditione possit; sed ea quæ ad reponendũ & divitias parandas spectant, illiberalia judicantes. non tamẽ ea repudiant, quæ liberalitati nullũ lucrum admittenti, & splendori serviunt. Panætius quidẽ Demetriũ in tripode illo nominis communitate deceptũ asserit, nam a Persico ad finẽ usq; Peloponnesiaci belli, duos tantũ recenseri Aristidas, qui choro sumtibus suppeditatis vicerint, neutrũ verò cum Lysimachi filio eundẽ fuisse; unum Xenophili filium, alterũ multo post tempore natum: quod & literæ ipsæ ostendant, eo modo scriptæ, qui post Euclidem cœpit: & Archestratus adscriptus, quẽ fabulas Medico bello docuisse nemo, multi Peloponnesiaco scribunt. De hoc Panætii sermone qualis sit amplius cogitare expedit. Ostraciſmo quidem quicunque gloria, genere, aut eloquentia multitudinem excellere existimarentur, erant obnoxii: quando Damon etiam Periclis magister, quod nimium sapere putaretur, eo modo solum jussus est vertere. Sanè Idomeneus non sortẽ fabarum ductum, sed electum ab Athenienſibus Aristidẽ ad gerendum eum magistratũ scribit: quod si accidit, (ut ipse tradidit Demẽtrius) post Platæenſem pugnam, equidem probabile admodũ est, virum tanta rerum gestarum gloria insignem iis dignum judicatũ honoribus, quos alii divitiarum nomine adipiscerentur. Verùm

*Pauperne fuerit Aristides.*

Demetrius non Aristidem modò, sed & Socratem à paupertate tanquam magno malo vindicare studet: huic enim non patrimonium tantum fuisse ait, sed etiam minas septuaginta apud Critonem in fœnore positas. Aristides cum se Clistheni (ei qui post ejectos tyrannos rempublicam constituit) socium adjunxisset, maximeque de iis, qui in republica fuissent versati, Lycurgi Lacedæmonii æmulus esset, atque admirator, ut rempublicam attigit, & optimatum partibus se dedit, populo studentem Themistoclem Neoclis filium adversarium habuit. Sunt qui hos pueros etiam- IV
num, unaque educatos, statim in omnibus, quæ sive serio, sive joco agerentur, dicerenturque, inter se discrepasse mutuo, naturamque utriusque jam tum ea contentione detectam fuisse tradant, alterum quidem agilem, audacem, versutum celeriterque ad quascunque res incitatum natura apparuisse: Aristidem constantem & gravem, solique justitiæ intentum, ac qui ne per jocum quidē mendacio, scurrilitati, fraudive locum daret. Aristo autem Chius ab amatoria causa incœpisse, & eò usque progressam eorum inimicitiam autor est. Stasilaum siquidem Ceum, specie formaque corporis omnium adolescentulorum pulcherrimum, ab utroque amatum non mediocriter: ita quidem, ut non simul cum pulcritudine pueri ejus æmulationē deposuerint, sed quasi exercitari circa eam rem, fervidis contentione animis ad rempublicam se contulerint. Themistocles, sodalitio sibi adscito, præsidium amicorum operâ & V
potentiam haud contemnendam obtinuit, quare etiam cuidam dicenti, rectè eum Athenienſibus imperaturum, si omnibus eundem se præberet: Ego verò, respondit, nunquam hoc mihi solio sedendum censuerim, si non plus inde ad amicos, quàm alienos sit reditūrum. Aristides contra peculiarem quandam & suam tenuit rationem in republica versandi, & ab amicitiis sibi cavit: cùm quod aut peccandum unà cum amicis esset, aut ii gratia hac deneganda offendendi: tum quod amicorum ope potentia parta multos ad delinquendum provehi cerneret. Proinde boni civis esse judicabat, tantum bonis actionibus ac sermonibus suis gaudere. Enimverò VI
Themistocle multa audacter movente, omniaque ejus consilia impediente & evertente, coactus est aliquandò ipse quoque partim sui defendendi causa, partim ut potentiam adversarii gratia populi crescentem carperet, Themistoclis nonnullis actionibus resistere, præstare ratus, etiam quædam, quæ ex usu populi essent futura, negligere, quàm admittere, ut ille hæc si obtinuisset, in omnibus inde rebus prævaleret. Tandem cùm Themistoclem utilis aliquid rei agentem repugnans ipse supereſſet, non se continuit, quin è concione discedens diceret; Res Athenienſium salvas non fore, nisi ipsum unà cum Themistocle in barathrum præcipitassent. Rursus quadam de re, cujus nomine inter ipsos erat certamen, ad populum ferens obtinuit: cùm verò præses jam missurus esset populum in suffragia, ex hominum sermonibus inutilem rem fore sentiens, rogationem

*Aristides adversarius Themistoclis.*

*Aristidis institutum versandi in repub.*

tionem perferri noluit. Quin & sæpe per alios, quæ statuisset, retulit: ne studio contentionis Themistocles utile negocium impediret. Miraculo autem fuit ejus viri in reipublicæ mutationibus constantia, cùm neque honoribus superbiret, & adversitates placidè ac æquo animo ferret: existimans, boni civis eas esse partes, ut gratis atque nullo precio inductus non bona tantum, sed & existimationem patriæ tuendam præberet. Inde (opinor) profectum est, ut, cùm in theatro versus Æschyle de Amphiarao facti recitarentur,

VII *Constantia Aristidæ & gravitas.*

*Neque enim videri vult, sed esse is optimus:*
*Sulcum profundum habens in pectore consitum*
*Suo, veneranda consilia unde pullulant.*

omnes in Aristidem oculos converterint, nimirum quod ei præcipuè hujus virtutis laus conveniret. Neque benevolentiam tantum & gratiam, sed iram etiam inimicitiasque defendendæ justitiæ causa firmissimè contemnebat. Ferunt, ab eo aliquando inimicum in jus pertractum, & accusatione audita judices reum audire noluisse, sed continuò sententias quærere intendisse: tum exsiluisse Aristidem, reoque in legitima pro se dicendi facultate exoranda adfuisse. Rursum duobus privatis judex factus, cùm alterum alter multis injuriis Aristidem læsisse diceret: Quin tu, inquit, potius, qua te affecerit injuria, refer: non enim mihi, sed tibi judex sum. Publicorum redituum procurator constitutus, non alios tantùm sui temporis, sed & qui ante ipsum fuissent magistratus, multa peculatos ostendit: maximè autem Themistoclem, qui

III *Continentia ejus.*

V

*Incontinentes vir sapiens habuit manus.*

Itaque is, coitione multorum contra Aristidem facta, rationes administrati officii reddentem peculatus crimine condemnavit, ut refert Idomeneus: sed primis & optimis civium indignè hoc ferentibus, non modò multatus ille non est, sed & rursus eidem negotio præfectus. Tum Aristides pœnituisse prioris se instituti simulans, seque leniorem præbens, peculatoribus placuit, cùm non inquireret in eorum furta, neque ea detegeret: itaque hi publica onusti pecunia, summis laudibus Aristidem tollere, pœnasque ejus nomine populum, ut rursus munus hoc ei demandarent. Sed Aristides Athenienses jam id facturos objurgavit. Cùm munus, inquit, meum rectè & fideliter obirem, circumscriptus à vobis sum: postquàm magnam bonorum partem furibus perdo, egregius videor civis. Ipse quidem majori ob præsentem honorem, quam damnationē istam, pudore afficior. vestram verò doleo vicem, apud quos malis gratificari publicam pecuniam, quàm servare, laudabilius est. Hæc locutus, peculatibusque demonstratis, ora quidem eorum qui clamitabant, & virtuti ejus testimonium ferentes, iterum procurationi pecuniæ publicæ præfici cupiebant, obturavit: veram autem & justam apud optimum quemque laudem invenit. Iam Datis à Dario missus, verbo ut ab Athenienſibus propter Sardes incensas pœnam exigeret, re, ut Græcos pessundaret, tota classe ad Marathonem appulerat,

IX *Aristidis in bello contra Persas virtus.*

lerat, regionemque populabatur. Erant eo tempore inter belli duces ab Atheniensibus constitutos, autoritate quidem princeps Miltiades, existimatione verò & potentia proximus Aristides: hic suam de pugna cum Miltiadis sententia conjungens, haud exiguum rebus patriæ monumentum addidit. Cùmque per intervalla dierum inter duces esset divisum imperium; Aristides, cum ordo ipsi summam rei deferret, Miltiadi potestatem suam tradidit: docens collegas suos non turpe, sed honestum atq; salutare esse, parere & obtemperare prudentibus. Hunc ad modũ ambitione sedata, cùm eò perduxisset, ut satis haberent: si unum, idq; nimirum optimũ sequerentur consilium, Miltiadẽ imperio perpetuo ei parato corroboravit: cùm cæteri porrò diurnis istis omissis imperiis, huic uno animum adverterent. Cæterùm in pugna Marathonia, maximè acie Atheniensium X
media laborante, ubi tribus Leontis & Antiochis constiterant, ibiq; diu sanè barbaris resistentibus, Aristidis & Themistoclis (quorum hic de Leontide, ille de Antiochide tribuerat) in propinquo illustris fuit pugna. Postquam fusis & ad naves compulsis barbaris, eos viderunt non insulas versum navigare, sed introrsum venti violentia marisque versus Atticam cogi: veriti Athenienses, ne urbẽ ii defensoribus vacuam occuparent, cum novem tribubus eadem die accelerato itinere domũ redierunt. Aristides verò cum sua tribu apud Marathonem relictus captivorum & spoliorum custos, opinionem de se non fefellit: cùm enim auri & argenti adessent acervi, atque omnis generis vestes & innumerabiles aliæ res in tentoriis & captis navibus propositæ, neque ipse quicquam tangere voluit, & nulli quicquam permisit: nisi si qui clam ipso prædam abstulerunt. Horum in numero fuit Callias facifer, quod sacerdotum genus ii *daduchos* vocant. Hunc barbarus quidam conspicatus, cæsariei & teniæ aspectu regem esse (ut videtur) judicans, adoravit. dextraq; apprehenso multum auri in fossa quadam abditũ ostendit. Callias crudelissimum simul & injustissimum se hominem gessit: auro enim sublato, indicẽ, ne idem aliis renunciaret, occidit. Hinc ajunt esse, quod ejus familiam *laccoplutos*, id est *fossi divites* Comici dicunt, in locum jocantes, ubi Callias aurum invenit. Statim deinde Aristides XI
magistratum eponymum gessit: quanquam Demetrius Phalereus paulò ante mortem ac post Platæense prœlium hoc factũ dicat. Atqui in commentariis, à Xanthippida, sub quo ad Platæas victus est Mardonius, ne alium quidem ullum qui Aristidis nomen tulerit invenire inter tam multos licet: post Phanippum, sub quo Marathonia victoria parta est, statim Aristidem magistratum gessisse annotatur. Ex omnibus virtutibus ejus maximè justiciam populus animadvertit, quod ejus usus & perpetuus, & omnium maximè communis esset. Itaq; pauper & de plebe homo, *Iusti* cognomentũ maximè regium & divinissimum nactus est. Quod reges imitati, tyrannique non sunt, qui magis (ut apparet) vi & potentia, quàm virtute partæ gloriæ cupidi. *Poliorcetæ* ab urbibus expugnatis, *Cerauni* à fulmi-

*Aristides Eponimus sit.*

*Iusti cognomen ei impositum.*

fulmine, *Nicatores* à vincendo, nonnulli etiam *Aquilæ* & *Accipitres* dici maluerunt. Atqui divina natura (cujus se illi similes efficere cupiunt) tribus his excellere videtur, perpetuitate, vi, & virtute: inter quæ summa certè majestas est, & divinitas virtutis. Perpetuis enim, hoc est, interitus expertibus esse, etiam Inani & elementis cõtigit: terræ motus, fulmina, ventorum turbines, fluviorum inundationes, vim habent magnã: justiciæ autem & æquitatis, quæ in Deo sunt, nihil nisi quod sapiat & res divinas intelligãt, fit particeps. *Quid in Deo præcipuum.*

XII Quamobrem cùm tribus modis pleriq; erga Deos afficiantur, admirando, timendo, honorando: mirari eos solent, & beatos prædicari, ob æternitatem, interitusque immunitatem; reformidare autem & metuere propter eorum dominationem & potentiam; amare autem honorare & colere justiciæ causa. Et tamen hoc modo affecti homines, immortalitatem natura nostra superiorem, potentiamq; in fortuna majori sui parte positam appetunt: virtute, quod solum de divinis bonis in nos cadit, post hæc posita: tantò quidem ii stultius, quod vitam potentia, fortuna, & principatu præditam justitia qui-

XIII dem divinam, belluinam verò injusticia reddit. Cognomentum Justi, primum amorem Aristidis, post invidiam adversus eum excitavit. præsertim Themistocle sermonem hunc in vulgus spargente, Aristidem, dum omnia ipse judicat, sublatis tribunalibus regnũ sibi multo stipatum satellitio paravisse. Et jam victoriæ causa superbiens populus, maximq; sibi quæq; arrogans, intensus erat qui nomine vel gloria supra multitudinem eminerent. Itaque in urbem undiquaq; confluentes, ostracismo Aristidem in exsulium pellunt, gloriæ invidiam metus tyrannidis nomine prætexentes. Non enim improbitatis pœna erat ostracismus: sed honestum nomen impositum rei erat, nimiæ potentiæ imminutio: eratq; invidiæ lenimen tolerabile, quæ odium suum non extremo aliquo malo, sed decennali hominis invisi absentia exsaturaret. Postea verò quàm nonnulli homines ignobiles & pravos hujic pœnæ cœperunt subjicere, finis ostracismo pellendi in Hyperbolo factus est: cujus hanc tradunt causam. Alcibiades & Nicias, quorum tunc Athenis summa erat potentia, factionibus civitatem agitabant. Hi, cùm jam populus ostracismum esset facturus, & haud dubiè alterum eorum accusaturus: collocuti inter se, ac factionibus in unum conductis, ut ostracismo Hyperbolus ejiceretur, effecerunt. Populus indignè ferens judicium illud, derisum atq; circumscriptũ, omninò id sustulit & in po-

XIV sterum omisit. Res ita agebatur: ut rudi Minerva eam describamus. Vnusquilibet testæ nomẽ inscribebat ejus quem urbe pelli volebat civis: eæ testæ in quendã in foro locũ, septum undiq; tabulis, comportabantur. Magistratus primùm testarũ numerum inibat: nam nisi essent sex millia testarum, ostracismus (est autem *ostracus* testa Græcis, atq; inde hoc rei nomẽ) non erat perfectus: deinde nominibus singulorũ seorsim positis, ei, qui plurimis testarũ suffragiis damnaretur, decennio urbe interdicebatur, sic tamẽ ut frui suis liceret *Aristides ostracismo urbe pellitur.* *Hyperbolus.* *ostracismi descriptio.*

reditibus. Tunc quoque eodem modò testis conscriptis, ferunt quendam planè rusticum, & literarum nescium Aristidi, ut homini de vulgaribus uni, fortè testam obtulisse, jussisseque ut Aristidis nomen inscriberet, miranti & ecquam ab Aristide passus esset injuriam scisciranti: & hoc, & notum sibi eum virum negasse. tantùm molestia se affici dixisse, cùm Justi nomen ubique audiretur. Aristidem eo audito nihil respondisse, sed testam suo nomine inscripto ei reddidisse. Vrbe discedens, manibus ad cœlum sublatis, precatus est (contra videlicet quàm Achilles) ne Atheniensium rebus ea occasio ingrueret unquam, quæ meminisse populum Aristidis cogeret. Tertio post anno, cùm Xerxes per Thessaliam & Bœotiam in Atticam duceret, Athenienses abrogata lege omnibus exulibus reditum decreverunt: maximè Aristidis metu, ne is se cum hoste conjungeret, multisque civium ad barbarum deficiendi autor exsisteret. Non rectè autem de eo viro conjecturam fecerunt. Nam & priusquàm id fieret decretum, Græcos ad libertatem tuendam adhortari & instigare non destiterat: & secundum id decretum Themistocli rebus Athenienſium plena cum potestate præfecto, in omnibus actionibus & consiliis adfuit, sibique inimicissimum hominem salutis publicæ causa summa gloria auxit. Etenim cum Eurybiades, Salaminam deserere statuisset, triremesque barbaricæ noctu advectæ insciis Athenienſibus fretum circumvenissent, insulasque classe obtinerent; Aristides per hostium classem haud dubio periculo ab Ægina advectus, noctu ad tabernaculum Themistoclis venit, solumque ut evocavit: Si sapimus, inquit, omissa tandem juvenili & inani certatione, contentionem de servanda Græcia salubrem honestamque suscipiamus, tu imperando, ego consulendo & administri vices obeundo. Nunc te, solum audio id quod optimum est, instituisse: qui quàm celerrimè pugna angustiis navali decertari jubeas. Tuum verò, sociis reluctantibus, hostes ipsi videntur consilium adjuvare: nam quod post nos, & quod circumcirca est mare, navibus est hostilibus oppletum: ut fuga intercluſa, pugnare fortiter etiam nolentibus sit necesse. Ad hæc Themistocles: Nolim profectò, inquit, te hac in re mihi præstare: conabor igitur adversus tam præclarum principium à te factum suscepta contentione, re ipsa te superare. Simul ei & quam intendisset barbaris fallaciam exposuit, utque conferendum navale prælium Eurybiadi persuaderet, ostenso ei, salvos esse, nisi id fieret, non licere, hortatus est. major enim Aristidi quàm Themistocli fides habebatur. itaque in concilio ducum, Cleocrito Corinthio ad Themistoclem dicenti, ne Aristidi quidem sententiam ipsius probari, quod is præsens taceret: Imò, inquit, Aristides, ego nisi optimè dicente Themistocle non tacuissem: nunc non benevolentia erga eum motus taceo, sed quod ejus laudo sententiam. Hæc inter præfectos classis Athenienſis agebantur. At Aristides Psyttaliam insulam exiguam quæ ante Salaminam in trajectu sita est, hostibus plenam esse intelligens,

*Aristides ab exsilio reductus.*

*Cum Themistocles gratiam redit.*

*Pugna ad Psyttaliam.*

civium

civium alacerrimum & pugnacissimum quenque in actuarias naves imponens ad insulam accessit: consertoque cum barbaris prœlio, omnes occidit, exceptis iis, qui de illustrioribus capti sunt: inter eos erant Sandaucæ (soror erat hæc regis) tres filii, quos statim ad Themistoclem misit: iique ex oraculo quodam jubente aruspice Euphrantida, Baccho Omestæ sunt immolati. Insulam porro undique armatis sapiens Aristides, eos, qui eo adveherentur, observabat: ita factum, ut neque amicorum periret quisquam, neque hostium effugeret: circa eum enim locum videtur prœlium acerrimũ, naviumque conflictus plurimus fuisse. Itaque & trophæum in Psyttalia erexit. XIX Secundum pugnam Themistocles ut animum Aristidis exploraret, rem quidem præclaram perfectam ait: præclariorem tamen supereſſe, ut advecti quàm celerrimè in Hellespontum, ponte disjecto, Asiam in Europa caperent. Aristides magna voce abjicere eum hoc jussit consilium, idque potius considerare, quo pacto, quàm ocyssimè Græcia Medum expellerent: ne cum tantis inclusus copiis, fugæ adempta occasione, ipsa necessitate ad vindictam exstimularetur. Proinde Themistocles Arnacem eunuchum unum de captivis mittit, qui occultè regi indicaret, Græcos, cùm ad pontem rescindendum navigare intendissent, à Themistocle salutis regiæ curam gerente prohibitos. Ergo Xerxes perterritus, statim ad Hellespontum festinavit, Mardonio cum robore exercitus, quæ erant hominum circiter trecenta millia, relicto. XX Isque fretus tantis pedestribus copiis, Græcis terrorem inferebat, talia minitando atque scribendo: Homines terræ adsuetos, & remigandi imperitos, lignis maritimis victis: at nobis restat lata Thessaliæ regio, campique Bœotii ad pugnam bonis equitibus peditibusque apti. Seorsim ad Athenienses literas scripsit, regisque nomine urbem seorum instauraturum, magnam pecuniæ vim, & dominium in Græcos daturum pollicitus, si à bello destitissent. Quod ubi Lacedæmoniis est renunciatum, veriti ne conditionem ii amplecterentur, ab Athenienſibus per legatos petierunt, ut liberos suos atque mulieres Spartã mitterent, ac senioribus ab ipsis alimenta acciperent. Erat apud populum Athenienſem, agro simul & urbe amissa, ingens penuria, nihilominus legatis auditis, decretum est ab Aristide factum & mirabile illis responsum datum. Condonare se eum hostibus errorem ferebant, qui cùm auro & divitiis nihil nossent præstantius omnia iis rebus venalia censuissent. Lacedæmoniis autem succensere, qui penuriam tantum & egestatem Athenienſium præsentem cernentes, virtutis & gloriæ cupiditatis obliti, eos frumenti præmio proposito, ad propugnandum pro Græcia hortarentur. XXI Facto hoc decreto Aristides, introductis in concionem legatis, Lacedæmoniis referre jussit. Neque supra terram, neque infra tantum esse auri, quod ad libertatem Græciæ prodendam permovere possit Athenienses. Mardonii autem legatis, Solem ostendens: Donec, inquit, suum hic consuetum cursum tenebit, Athenienses agro-

*Vt Xerxes Græcia ejectus.*

*Magnanimitas Athenienſium.*

ruin vastatorum & violatorum crematorumque templorum vindictam bello à Persis exigent. Decrevit etiam ut sacerdotes in capita eorum exsecrarentur: qui cum Medis pacis conditiones tentassent, aut societatem Græcorum in bello gerendo deseruissent. Mardonio XXII iterum in Atticam irrumpente, rursus in Salaminam trajecerunt: Aristides autem Spartam missus, tarditatem & negligentiam eis exprobravit, qui rursus Athenas barbaro prodidissent, simulque petiit, ut salvis Græciæ partibus oppitulatum irent. Hæc ut audiverunt ephori, interdiu festum diem agendo ludum & socordiam præ se ferebant (agebantur enim Hyacinthia) noctu clam Athenienſibus quinque millia delectorum Spartanorum, quorum quivis septem secum helotas trahebat, emiserunt. Cùm denuo incusaret eos Aristides, atque ipsi ridentes hominem delirare & dormire dicerent: jam enim ad Oresteum exercitum esse contra peregrino (eo nomine Persas significabant) proficiscentem: alieno tempore eos ludere, ac pro hostibus amicos decipere Aristides respondit. Hæc narratio est Idomenei: quippe in Aristidis edicto non ipse legatus, sed Cimon, Xanthippus, & Myronides feruntur. Cæterùm ad eam pu- XXIII

*Bella apud Plataeas gesta.*

gnam Imperator electus Aristides, & cum octo armatis Athenienſium millibus ad Plateas profectus, ibi se Pausaniæ, qui dux universarum Græciæ copiarum erat, conjunxit: eodemq; reliquorum Græcorum consluebat multitudo. Erat barbarorũ exercitus ad Asopum fluvium in longitudinem porrectus, multitudinis hominum causa prope infinitam: impedimenta, & res quasque optimas muro quadrato munierant, cujus unumquodque latus in longum decem stadia habebat. Pausaniæ omnibusque in commune Græcis victoriam Tisamenus Eleus vaticinatus fuit, si vim repellerent, non ipsi priores hostem adorientur. Aristidi autem, cùm misisset Delphos, oraculum responderat, victoriam Athenienſium futuram, si Iovi, & Iunoni Citharoniæ & Pani & Nymphis Sphragitidibus vota, remque sacram Heroibus, Androcrati, Leuconi, Pisandro, Damocrati, Hypsioni, Actæoni, Polyidoque fecissent: sique pugnam in sua terra fecissent, in campo Cereris Eleusiniæ & Proserpinæ. Hoc oraculum A XXV

*Oraculum Aristidæ datum.*

ristidem animi dubium incertumq; reddidit. Heroes enim isti, Platæenſium erant autores: & antrum Sphragitidum Nympharum in uno Citharonis vertice est solis occasui æstivo obversum: quo in antro fuisse aliquando oraculum, multosque ibi habitantium furore vaticino correptos fuisse, qui inde *Nympholepti* dicerentur, traditum est. Contra Cereris Eleusiniæ campus, quodque ita victoria Athenienſibus promittebatur, si in suo territorio depugnassent, rursus in Atticam revocari bellum videbatur. Eo tempore Platæenſium dux Arimnestus, in somnis visus sibi est à Iove Servatore interrogari, quidnam Græci agere statuissent, eique se respondere: Domine, cras exercitum Eleusinem abducemus, ibique, ut præcipit oraculum Pythiæ, cum barbaris pugnabimus. Tum Iovem, in summo eos errore versari: etenim in agro Plataico esse ea, quorum mentionem

*Insomnium Arimnesti.*

Pythia

XXV Pythia feciſſet & inventuros ibi ſi quæſiviſſent. Quæ cùm evidenter apparuiſſent Arimneſto, expergefactus, veſtigio peritiſſimos atque ætate provectiſſimos civium ad ſe vocavit, & re cum iis communicata, invenit prope Nyſia ſub Citharonem fanum eſſe oppido vetuſtum, Cereri Eleuſiniæ & Proſerpinæ ſacrum. Statim igitur Ariſtidem ad locum eum adduxit; qui erat ad pedeſtrem aciem inſtruendam aptiſſimus, & equitatui (quo prævalebat hoſtis iniquus) contra quem campi extrema & ad fanum accedentia radicibus montis Citharonis muniebantur. Erat & ibidem in propinquo loco ſacellum Andocratis, denſa arborum umbra ſeptum. Ac ne quid ex oracuło ad ſpem victoriæ videretur deeſſe, Platæenſes autore Arimneſto ſtatuerunt, ut limitibus, qui Plataicum ab Artico dirimebant agrum, ſublatis ſuam regionem Athenienſibus tribuerent: ut hi, quod oraculo jubebantur, pro ſalute Græciæ in propria terra poſſent dimicare. Tanta hujus Platæenſium liberalitatis fama exſtitit, ut Alexander quoque multis poſt annis jam Aſiæ regno potitus, cùm Platæas inſtauraſſet, Olympico conventu per præconem edixerit, urbem ſe Platæenſibus propter eorum virtutẽ & magnanimitatem reddere, quod ii bello Medico Græcis agrum ſuum tradi-

XXVI diſſent, iiſq; operam ſuam ſumma alacritate navaſſent. Tegeatis autem de loco in acie cum Athenienſibus contendentibus, ac (quod ſemper conſuevilſent, ſi Lacedæmonii dextrum cornu tenerent) ſibi lævum cornu vindicantibus, cùm id Athenienſes indignè ferrent, Ariſtides progreſſus: Præſentis quidem, inquit, temporis ratio non fert, ut de nobilitate & virtute cum Tegeatis diſputemus. Vobis hoc dicimus, ô Spartani, vosque reliqui Græci: locus in acie neque dat, neque adimit virtutem. Proinde quemcunq; nobis locum aſſignaveritis, eum ornare & tueri conabimur, ut ne quid prioribus noſtris indignum certaminibus committamus. Non enim ut cum ſociis litigaremus, ſed pugnatum in hoſtes huc venimus: neque ut majores noſtros laudaremus, ſed ut nos ipſos viros ſtrenuos Græciæ exhiberemus. Hoc enim præſens certamen oſtendet, quantum Græcia unicuilibet urbi, duci, privatoque debeat. Hoc cùm audiſſent conſiliarii & duces belli, Athenienſes probaverunt, alterumque iis cornu

XXVII tribuerunt. Erat tum incertus atq; periculoſus Græciæ ſtatus, maximeque Athenienſium res ſummo in diſcrimine verſabantur. Quæ cauſa fuit nonnullis, qui magnis familiis nati, ac prædivites cùm fuiſſent, ad paupertatem bello redacti, ſimul cum opibus omnem ſuam in urbe potentiam & gloriam concidiſſe videbant, honoribus & magiſtratibus ad alios delatis, ut facta coitione in domo quadam Platæis, de evertenda populi poteſtate conſpirationem inirent: quòd ſi is conatus fruſtra fuiſſet, de corrumpendis rebus, hoſtique prodendis cogitarent. Cùm hæc in exercitu moverentur, jamque eſſent complures corrupti; Ariſtides, re intellecta, temporis præſentis rationibus territus, ſtatuit neque rem tantam omninò negligere, neque totam aperire: incertus, quanta multitudo homi-

*Ariſtidis moderatio.*

*Conſpiratio in rempubl. ab eo oppreſſa.*

num

num ejus flagitii conscia deprehenderetur, si inquirendi finis non ex utilitate, sed justitia statueretur. De magno numero octo quosdam arripuit: quorum duo, quibus primis dicta erat scripta & qui fontes præ reliquis erant, ab exercitu aufugerunt, Æschines Lampsacenus, & Agesias Acharnensis. Reliquos dimisit, in bonam spem adductos; addiditque reliquis se, qui latere adhuc suum crimen putarent, resipiscendi locum dare. id enim bellum tribunalis ac judicii loco ipsis futurum, in quo bonam patriæ operam navando crimina diluerent. Post hæc Mardonius equitatu, quo maximè pollebat, omni immisso Græcorũ vires perclitari statuit. At illi locis munitis & saxosis in pede Citharonis procurrente confederant. Soli Megarenses, tria hominum millia, planioribus locis castra habebant. Itaque equitatu in eos irruente, & undique locum oppugnandi nacto, cùm ægrè vim sustinerent, celeriter nuncium ad Pausaniam miserunt, ut auxilio sibi sustinendæ barbarorum multitudini tantæ imparibus veniret orantes. Quæ non audiens modò Pausanias, sed & videns jam castra Megarensium jaculorum & sagittarum nube occultari, ipsosq; in arctum ordines contraxisse: quod ipse equitatum hostilem gravis armaturæ phalange Spartanorum quomodo profligaret, non habebat, reliquis, quos secum habebat, Græcorum ducibus & centurionibus certamen id de virtute proposuit, si qui eorum ultrò dimicare contra barbaros, & Megarensibus opitulari vellent. Cunctantibus ibi cæteris, Aristides Atheniensium nomine negocio in se recepto, Olympiodorum tribunorum suorum maximè impigrum misit, cum trecentis delectis militibus, quibus admixti erant sagittarii. Quos, cùm celeriter se armassent, citatoque gressu accurrerent, conspicatus Masistius, qui equitatum barbaricum ducebat vir & robore mirabili, & mole pulcritudineq; corporis eximius, obversos in eos equo impetum fecit. Resistentibus his, & manum conserentibus, certamen ea vi commissum est, ut de universo belli exitu periculum utrinque facere viderentur. Masistium equus sagitta ictus effudit: neque is sub tanto pondere armorum resurgere, neque tamen ab instantibus & ferientibus Atheniensibus confici potuit, non pectus modò & caput, sed artus etiam auro, ære, ferroq; munitus: tandem, qua oculum galea conspiciendũ dabat, inferiori hastæ cuspide ictum quidam interfecit: reliqui Persæ relicto cadavere fugerunt. Ejus victoriæ magnitudo nõ multitudine cæsorum (fuit enim non magnus numerus) sed luctu barbarorum à Græcis æstimata est: nam & se, & equos, & mulos Masistii causa totonderunt, ejulatuque & flętu campum implerunt: quod eum virum, unico excepto Mardonio, virtute potentiaq; facilè principem amisissent. Secundum hoc equestre prœlium, utrique aliquam diu à pugna sibi temperarunt: utriusque enim aruspices, si alteris pugnam cientibus sese defendissent, victoriam, sin ipsi hostem aggrederentur, cladem prædixerant. Tandem Mardonius, cùm & in paucos dies commeatus supereset, & Græcorum subinde aliis se adjungen-

*Atheniensium victoria.*

XXV

XXVI

XXIX

XXX

jungentibus copiæ augerentur, moræ pertæsus, statuit summa luce Asopum transire, & hostes eximproviso adoriri: eaque de re ducibus sub vesperam mandaverat. Media circiter nocte eques placidè ad Græcorum castra accessit: cùmque ad excubias pervenisset, Aristidem Athenienſem ad se venire jussit: isque nihil moratus, adfuit. Tum ille: Alexander, inquit, sum, Macedonum rex: maxima benevolentia erga vos impulsus mea, periculum adivi huc veniens, ut monerem vos, ne subita re territi deterius pugnaretis. Cras enim Mardonius pugnare vobiscum statuit, non bona spe aut fiducia, sed inopia rerum compulsus: quippe & ob sacrificia adversa, & oraculorum monitus aruspices eum pugnare vetant, & exercitus mœrore multo terroreque tenetur. Sed necesse est ei aut fortunam prœlii experiri, aut desidendo in castris extremam perpeti penuriam. Simul orabat Aristidem, ut solus hoc scire ac meminisse vellet, neque cum alio ullo communicaret. Aristides nullo se jure hæc clam Pausania habere posse dicebat, quod penes eum summa imperii esset: reliquorum ante pugnam neminem cogniturum: Græcis verò victoriam adeptis, curaturum, ne cui Alexandri studium & virtus esset obscura. Hæc collocuti, Alexander reXXXII tro abiit. Aristides ad Pausaniæ tentorium ivit, eique rem exposuit: vocati inde reliqui duces, mandatumque uti militem in armis instructum haberent, futuram enim pugnam. Interim Pausanias (ut Herodotus narrat) Aristidem rogavit, ut Athenienses dextrũ aciei cornu occuparent, ac contra Medos starent: ita facilius pugnaturos, cùm & ejus generis pugnæ periti jam essent, & priori victoria fiderent. sibi lævam partem relinquerent, qua parte Græci Medum secuti prœlium inituri erant. At verò cæteri duces Athenienſium ingratum Pausaniam, & importunũ dicere, qui reliquis suo cuiq; relicto loco, ipsos modo helotum instar transferret, & difficillimam prœlii partem traderet. Tum Aristides; iterũ eos toto cœlo errare, qui nuper de siniſtro cornu cum Tegeatis litigassent, prælatosq; se esse honori sibi duxissent: nunc Lacedæmoniis ultrò dextrum cornu concedentibus, ac quodammodo principatũ deferentibus, neq; gloriam eam gratam haberent, neq; in lucro ponerent, non cum cognatis & XXX ejusdẽ nationis, sed barbaro & nato hoste sibi decertandũ. Moti hac III oratione Athenienses, libenter admodum locum cum Spartanis mutaverũt. Multa inde inter ipsos verba fieri, mutuo se cohortantium: neq; armis neq; animis instructos, quàm in Marathone fuissent melioribus hostes vehire: sed iisdẽ cum arcubus, & picturatis vestibus auroq; tectis mollibus corporibus & effeminatis animis adesse. Sibi eadem arma esse, eadem corpora: auctam tamen victoriis audaciam: neque tantũ pro agro & urbe; ut Spartanis, sed etiam pro Marathoniis & Salaminiis trophæis pugnandum, ne Miltiades illa potius aut fortuna, quam virtus Athenienſium erexisse videri possit. Dum ad hunc modũ de ordinum permutatione apud Græcos agitur, Thebani rem intellectam Mardonio perfugæ officio indicant. Itaq; statim

*Alexander rex Macedonum Aristidi consilium Mardonii exponit.*

*Thebanorum proditio.*

illic,

ille, sive Atheniensium metu, sive cum Lacedæmoniis congrediendi studio, in dextro cornu Persas constituit, Græcis, quos habebat secum, adversus Athenienses collocatis. Ea mutatio quia palam fiebat, Pausanias quoq; regressus, dextrum cornu occupavit: tum Mardonius, ut initio ordinaverat, in lævum se cornu adversum Spartanis contulit: ad hũc modũ ea dies sine prœlio extracta est. Communi deinde consilio Græci statuerunt castra ab hoste in locũ aquosum removere; barbari enim equitatu, quo prævalebant, vicinas aquas conturbarant & corruperant. Nocte oborta, cùm duces ad locũ castris destinatum ducerent, gravatè sequuta est multitudo, neq; uno agmine ire sustinuit, sed ut à prioribus castris decessum fuit, pleriq; ad urbem Platæas tendebant, ibique dissipati, & nullo ordine tabernacula facientes tumultuabantur. Lacedæmoniis etiam invitis contigit, ut soli à reliquis disjungerentur. Amompharetus enim, homo animosus, & in adeundis periculis audax, jampridem pugnæ cupiditate æstuans, dilationesque crebras & cunctationem indignè ferens, castrorum istam mutationem fugam utiq; esse affirmans, se statione sua cessurum negabat, sed ibi cum sua cohorte permansurum, Mardoniumque excepturum. Vt accessit Pausanias, hæcque se communi Græcorum calculo decreta agere dixit, magnum saxum Amompharetus sublatum ante pedes Pausaniæ projiciens: Hunc, inquit, ipse de pugna calculum fero, cæterorum timidis consiliis atque decretis valedicto. Pausanias, quid de præsenti re statueret, dubius, ad Athenienses jam abeuntes misit, expectarent orans, dum unà iret: ipse reliquum exercitum ad Platæas duxit, sperans Amompharetum quoque cum cæteris secuturum. Interim illuxit, & Mardonius quem Græci è castris discedentes non fefellerant, composito agmine in Lacedæmonios irrupit multo cum clamore & strepitu barbarorum: qui non ad prœlium, sed ad fugam facientes Græcos delendos se ire putarent. Quod quidem ne fieret, parvo stetit momento. Vt enim hostem irruere vidit Pausanias, itinere inhibito, unumquemque eo loco, quo in acie ordo eum vocabat, jussit consistere. Cæterum sive ira in Amompharetum, sive celeritate hostium perturbatus, signum dare pugnæ Græcis oblitus est: itaq; non confertim ii neque recta, sed sparsim & pauci simul ad auxilia accurrerunt. Cùm sacrificio facto non litaret, Lacedæmoniis mandavit, ut clypeis ante pedes depositis, quieti considerent, ipsumq; observarent, neque hostes repellerent. Cùm altera feriretur hostia jam equites irrumpebant, jamque & sagittæ emittebantur, & aliqui de Spartanis vulnerabantur. Callicrates quoque tum, quem in toto exercitu forma & magnitudine præstantissimum fuisse ferunt, ictus sagitta & moriens: Non mortem se suam dolere dixit (etenim domo in hoc venisse, ut pro Græcia moreretur) sed quod non usus manibus periret. Res erat misera, virorumque mirabilis continentia: neque enim ab hostibus irruentibus se defendebant, sed in ordinibus suis icti & strati, tamen sustinebant, à Deo & duce pugnæ signum

*Amompharetus pertinacia.*

XXX IV

XXXV

XXX VI

signum exspectantes. Traditum est à quibusdam, in Pausaniam paulùm extra aciem sacrificantem, ac vota facientem Lydos aliquot impetum fecisse, & sacrificio destinatas res rapuisse atq; disjecisse: Pausaniam, & qui erant cum eo, quod essent inermes, baculis eos & flagellis impediisse: ideoque hodie ad incursionis illius memoriam, pueros Spartæ apud arma verberari, & Lydorum pompam duci. Pausanias præsenti rerum statu anxius, alias super alias aruspice mactante hostias; lacrymis perfuso vultu ad Junonis fanũ obversus, Junonem Citharoniam, cæterosq; qui Plataicam terram obtinerent, Deos precatus est, ut si victoriam Græcis fata non darent, at non inulti perirent, sed re ipsa barbaris ostenso, contra bonos viros & pugnæ peritos sibi susceptam fuisse expeditionem. Hæc illo divos flagitante simul & sacra addixerunt, & victoriam vates portendi indicarunt, statimq; omnibus edictum est, ut in hostem se verterent. *Pugna Plataica.*

xxx Subitò tota phalanx unius animalis speciem præ se tulit vim paran-
vii tis, iraque horrentis: & barbaris cogitare subiit, cum viris usque ad mortem pugnaturis rem sibi fore: itaque multas objicientes cetras, sagittas in Lacedæmonios emiserunt. at illi stipato agmine clypeis objectis in hostem invadere, cetras repellere, hastisq; in facies & pectora Persarum intentatis, multos dejicere. Neque illis ad pugnam animi aut conatus deerat: nam & nudis manibus hastas arripientes hostium, pleraſq; frangebant: & cùm stingerentur gladii, impigrè copidibus & acinacibus utebantur: ita diu Spartanorum vim sustinebant. Athenienses autem, cùm hactenus quieti Pausaniam præstolarentur, ut & magnum pugnantium clamorem exaudiverunt, & nuncius (ut fertur) à Pausania missus rem exposuit, celeriter ad fe-
xxx rendum auxilium contenderunt. His per campum ad pugnã vaden-
viii tibus Græci, qui à parte Medorum erant occurrunt. Quos ut vidit Aristides, longè progressus, testatus Græcorũ deos, alta voce monuit, abstinerent pugna, neque obstarent sibi pro Græciæ salute propugnantibus auxilium laturo. Sed cùm frustra id esse, equos ad pugnam instructos sensit, ita demum auxilii Spartanis ferendi consilio abjecto, hos aggressus est. Erant hominum ad quinquaginta millia: quorum pleriq; statim pedẽ retulerunt, cùm barbaros quoq; cessisse animadverterent: cum Thebanis præcipua & acrior pugna fuit, quorum principes ac potentissimi cum Medis faciebant, multitudinemq; non volentẽ quidem sed paucorum imperio subjectã trahebant. Commisso ad hunc modum duplici prœlio, priores Lacedæmonii Persas pulerunt, & Mardoniũ Spartanus Arimnestus saxo caput ictum occidit: quod ei ab oraculo Amphiarai erat prædictum. Nam eo Lydum, ad Trophonii Carem miserat: & hunc Trophonius Carico sermone allocutus fuerat. Lydus autem cùm in delubro Amphiarai obdormivisset, visus est sibi à famulo Dei quodam adsistente juberi abire: & cùm nollet, lapidem sibi ab eo magnum in caput
xxx injectum, eoq; se ictu exanimatum. Persas fugientes Spartani intra
ix muros ligneos compulerunt. Paulò post Athenienses, Thebanorum *Mardonij interitus.*

rum trecentis, qui facilè primi & illustrissimi erant, in ipso prœlio concisis, reliquos fundunt. Inde, cùm renu catum esset barbarum intra muros conclusum haberi & oppugnari, Græcis salutem fuga quærendi permisso, ad muros properant: Lacedæmoniisque oppugnationem segniter admodum imperitèq; facientibus supervenientes, multa cum hostium cæde castris potiuntur. De trecentis barbarorum millibus quadraginta modò millia cum Artabazo fugerunt. Ex iis qui pro Græcia dimicaverunt, mille trecenti & sexaginta ceciderunt. Horum LII. Athenienses fuerunt, omnes de Æantide tribu (ut ait Cleodemus) cujus præ omnibus præclara fuit pugna. Itaque Sphragitidibus Nymphis sacram rem victoriæ causa oraculo Pythiæ jussam fecerunt Æantidæ tribules, sumptu ex ærario publico suppeditato. Lacedæmonii occubuerunt XCI. Tegeatæ XVI. Quare miror ab Herodoto scriptum, harum trium urbium XL cives tantùm cum barbaris congressos, de reliquis Græcis neminem: cùm & numerus eorum qui oppetierunt & monumenta communem fuisse eam Græcorum victoriam testentur. Neque verò si tres modo istæ urbes cæteris omnibus quiescentibus pugnassent, aram hoc, ut habetur, modo inscripsissent:

*Herodotus reprehenditur.*

*Hinc quondam Græci bellatis fortiter aram,*
*Libertas patriæ cùm sua tuta fuit,*
*Et profligatis servata est Græcia Persis,*
*Munus Eleutherio constituere Iovi.*

Pugnatum quarta Bœodromionis die, secundum Athenienses: secundum Bœotos, XXVII. Panemi: quam ad diem etiamnum Græcorum est Platæis concilium, Iovique sacrificant ob eam victoriam Platæenses, cui à libertate nomen est *Eleutherio*. Neque mirari eam in diebus annotandis inæqualitatem debes: quando nunc rebus astronomicis accuratius constitutis, alia tamen aliis mensium initia, alii sunt exitus. Porrò cùm neque victoriæ gloriam Athenienses LXI Lacedæmoniis concederent, neque trophæum eos erigere paterentur; parum abfuit quin res Græciæ intestinis armis perderentur: idq; accidisset, nisi Aristides collegas suos mulcendo instituendoq; Leocratem maximè & Myronidē, inhibuisset, utq; Græcis dijudicandam rem relinquerent, obtinuisset. Consultantibus Græcis, Theogito Megarensis neutri harū urbium, sed alii rei gestæ decus ac præmiū tribuendū censuit, nisi vellent bellum intestinum turbare. post hunc consurgens Cleocritus Corinthius, cùm id decus videretur suis vindicaturus (erat autem Corinthi secundum Spartam & Athenas summa dignitas) omnibus gratum & mirabilem de Platæensibus habuit sermonem: censuit enim contentionis tollendæ causa his præmium tribui debere, quos honorari neutri essent iniquè laturi. Id primus Aristides nomine Athenienſium concessit: mox & pro Lacedæmoniis Pausanias. Ita inita concordia Platæensibus de præda sunt LXII exempta talenta XXC de his templum ii Minervæ ædificaverunt, et simulacrum dedicarunt, picturisque ædem exornarunt, quæ in

*Contentio de victoriæ gloria inter Græcos.*

*Platæensibus victoriæ præmia data.*

hunc

hunc usque diem vigent. Seorsim & Spartani, & Athenienses trophæum erexerunt. Cæterùm de sacrificio scisciantibus respondit Pythius, ut Iovi Eleutherio aram statuerent: non prius autem sacris operarentur, quàm igni ea in regione exstincto (quod is esset à barbaris contaminatus) purum Delphis à communi foco accendissent. ergo principes Græcorum statim circumiverunt, omnesque quibus ignis esset, eum exstinguere jusserunt. At Euchidas Platæensis, cùm quàm fieri posset citissimè se ignem allaturum promisisset, Delphos accurrit: ibi lustrato aqua corpore, lauroque coronatus, ignem ab ara sumpsit, cursuque Platæas repetiit, eoque, confectis una die mille stadiis, ante obitum solis redit: salutatis verò civibus, & igni tradito, statim concidit, paulóq; post expiravit. Hunc Platæenses sublatum in Eucliæ Dianæ templo sepelierunt, inscripto hoc trochaico tetrametro. *Euchidas ignem Delphis affert.*

*Euchidas Delphos iit, reversus est q; una die.*

Hanc Eucliam plerique & censent & nominant Dianam: alii Herculis & Myrtûs filiam, Myrto Menœtii filiam sororem Patrocli fuisse, virginem decessisse, eique & à Bœotis & à Locris honorem haberi: omnibus enim foris ara ejus est simulacrum, & ante nuptias ei XLIII cùm sponsæ tum sponsi sacrificassent. Post hæc omnibus in concionem Græcis convocatis, decretum Aristides fecit: ut quotannis Græcorum delecti ad spectaculum Platæas convenirent: ut Eleutheria quinquennale certamen haberetur: ut decem millia scutatorum, mille equitum, naves centum ad bellum contra barbaros Græcis perpetuò in promtu essent: ut Platæenses sacrosancti haberentur, quod ii pro Græcia sacrificarent. Hoc decreto confirmato, Platæenses receperunt, se Græcis, qui ibi occubuissent, singulis annis immolaturos: idque in hunc usque diem faciunt, eo modo. Decimasexta Mæmacterionis mensis (qui Alalcomenius est Bœotis) summo mane pompam ducunt, cui præit tubicen classicum canens, sequentibus myrti & coronarum plenis plaustris, ac nigro tauro, & liberis adolescentibus (neque enim cuiquam servo fas est, quicquam in eo ministerio attingere: quod illi pro libertate oppetiissent) qui vini & lactis libationes in amphoris, oleique & unguenti urnas gestarent. Postremò Platæensium prætor, cui cætero tempore neque ferrum tangere, neque nisi albam vestem induere licet, punicea amictus tunica, sumtaque de archivo hydria, per mediam urbem tenens gladium ad sepulchra proficiscitur: tum hausta de fonte aqua, ipse columnas abluit, unguentoque linit: inde tauro in rogum ingulato, votisque ad Iovem & Mercurium terrestrem factis, bonos viros pro Græci mortuos ad cœnam & sanguinem fusum vocat. porrò crateram vino impletam effundens, propinare se ait vitis pro libertate Græciæ XLIV mortem passis. Hunc morem adhuc servant Platæenses. Reversos in urbem Athenienses cùm videret Aristides cupidos popularis in republica status restituendi: simul & dignum ob virtutem populum existimans, cujus ratio haberetur, & animadvertens armis jam valenti-

*Euclia.*

*Eleutheria.*

*Sacrificium Platæense.*

*Democratiam sanciit Aristides.*

lentibus, & ob victorias partas altos ducentibus spiritus vi resisti non posse: decretum fecit, quo administrationem reipublicæ omnibus communem: magistratusque ex omnibus creari Athenensibus scivit. Themistocles apud populum dixerat, consilium se arcanum, civitati utile atque salutare animo agitare. jussus est id soli Aristidæ detegere, ejusque judicium adhibere. Ostendit Aristidi, cogitare se de navalibus Græcorum incendendis: ita summam in omnes potentiam Athenienſibus fore. Aristides ad populum progressus, neque utilius quicquam, neque injustius Themistoclis consilio esse pronunciavit: ergo jussus est id deponere Themistocles. Tantum eo tempore justitiæ studium populo, tanta tamque constans Aristidi in populum fides erat. Deinde ad bellum una cum Cimone missus, cùm Pausaniam & reliquos Spartanorum duces molestos sociis & difficiles esse animadverteret: ipse humaniter & placidè conversando, Cimonemque in obeundis imperii facilem eis, & popularem reddendo, occultè Lacedæmoniis principatum non armis, non navibus, non equis, sed æquitate & prudentia civili abstulit. Athenienses enim jam ante propter Aristidis justitiam, & Cimonis æquitatem caros Græcis, desiderabiliores etiam Pausaniæ avaritia & importunitas fecit: qui cum principibus sociorum iracundè semper & asperè loquebatur, multitudinem verberibus multabat, aut ferrea imposita aliquem anchorâ stare per totum diem cogebat: neq; verò stramen, herbam, aut à fonte aquam petere ante Lacedæmonios cuiquam licebat, sed famuli flagellis arcebant, si quis accessisset. De his cùm aliquando incusare, & monere eum Aristides vellet: contracto vultu sibi non vacare respondit, neque audivit. Exinde classium præfecti & duces Græcorum, Chii maximè & Samii, & Lesbii, Aristidi persuaserunt, ut in se principatum reciperet, confœderatosque Græcos sibi adsumeret, qui jamdudum à Spartanis ad Athenienses transire cuperent. Respondit, necessarium esse quod petant, & justum, idq; facilè apparere: fidem tamen fieri aliquo facinore oportere, quod à mutatione animorum in posterum multitudinem retraheret. Ea propter Vliades Samius, & Artagoras Chius facta conspiratione in triremem Pausaniæ apud Byzantium ante alias provectam impetum ab utraque parte fecerunt. Is ut surrexit, eosq; vidit, iracundè minatus est ostensurum se eis, non in navim Pausaniæ, sed ipsorum patrias hunc impetum versurum. Illi abire hominem jusserunt, ac fortunæ, quæ ei Plataico adfuisse certamine, gratiam habere: hujus enim verecundia Græcos teneri, ne dignam ipsi factis pœnam irrogarent. Denique ab eo ad Athenienses defecerunt. Admiratione meretur Lacedæmoniorum magnanimitas, quæ tunc apparuit. Vt enim magnitudine potentiæ corruptos suos magistratus senserunt, ultrò principatu cesserunt, ducesq; ad bellum mittere desierunt: quod temperantes, & morum patriorum obversantes habere cives, quàm principes esse totius Græciæ mallent. At Græci, qui sub imperio etiam Lacedæmoniorum tributum ad sumptus belli

*Themistoclis consilium repudiatur.*

*Spartanis principatus ademptus.* XLV

*Pausaniæ flagitia.*

XLVI

*Defectio sociorum ab eo.*

*Lacedæmoniorum magnanimitas.*

pepen-

pependerant, tum cupientes singulis urbibus quantum par esset imponi, Aristidem ab Athenienſibus petierunt, qui agros & reditus inſpiceret, ac proinde unicuique urbi pro ejus facultatibus penſio-
XL nem indiceret. Aristides tantum nactus potentiæ, ac quodammo-
VII do universa Græcia omnes ſuas ei res committente, pauper cùm abiſſet domo, pauperior rediit: non candidè modò & juſtè, ſed & amice omnibus convenienter pecuniæ collatione ſtatuta. Nam ut priſ[illegible]rnium ſæculum ſic Athenienſium ſocii tributum ab Aristide impoſitum, fœlicitatem quandam Græciæ nominando celebrabant: maximè cum id multo poſt tempore duplum atque inde triplum exigeretur. Aristidis ſumma erat talentorũ circiter CCCCLX. Hinc fere trientem Pericles addidit; ſiquidem Thucydides ait, Athenienſibus initio belli à ſociis talenta rediiſſe ſexcenta. Mortuo Pericle, ſumma ab iis, qui populum concionibus regebant, ad mille & trecenta talenta eſt adducta: non tam bello ob durationem & varios ejus tantos ſumtus poſtulante, quàm populo ab iis ad diviſiones pecuniarum, theorica, & ſimulacrorum ac templorum fabricationes exigendas illecto. Fertur Themiſtocles Ariſtidem, cujus magnum nomen & mirabilis in tributo conſtituendo fama erat, ſubſannaſſe: Non viri eam laudem dicens, ſed ſacci eſſe aurum cuſtodientis: nequicquam liberam Aristidis notationem rependens. Etenim hic dicenti aliquando Themiſtocli, ſummam ſe ducis eam virtutem cenſere. ut is cognita atque præviſa hoſtium habeat conſilia: neceſſarium quidem hoc eſſe reſponderat, verè autem pulchrum & duce
XL dignum, ut continentes habeat manus. Græcos Ariſtides ut in res
VIII Athenienſiũ jurarent, adegit, & ipſe viciſſim jurejurando ſe obſtrinxit: projectos inter jurãdum in mare ferreis maſſis. Poſt cùm Athenienſiũ res id poſtulare viderentur, ut majori in eos uterentur imperio, juſſit illos in ſeipſum veſo perjurii piaculo, rebus ita ut expediret uti. Omninò autem Theophraſtus eum ait juſtitiam in ſuis reb. & adverſus cives ſtrictè obſervaſſe, in rebus autem publicis multa egiſſe, ut patriæ commodis inſerviret, quæ videbat multis injuſtè factis opus habere. Nam & præter fœdus pecuniam cùm ſtatuiſſet Athenas Delphis deportare, Samiis ea de re referẽtibus, injuſtũ quidem eſſe hoc, veruntamen utile dixit. Deniq; cùm effeciſſet, ut Athenæ tantum hominum multitudini imperarent, ipſe pauper perman-
XL ſit: ita quidem, ut perpetuò non minoris paupertatis, quã trophæo-
IX rum gloriam faceret: quod vel hinc manifeſtum eſt. Callias ſacifer, generis propinquitate Ariſtidem attingebat. Hunc cùm rei capitalis poſtulaſſent, & moderatè de iis, quorum eum reum fecerant, criminibus accuſaſſent inimici, alienũ à cauſa ſermonẽ hujuſmodi ad judices habuerũt: Ariſtidem Lyſimachi filium noſtis, qui apud Græcos eſt in admiratione. Quomodo rẽ ejus familiarẽ exiſtimatis habere, cũ tali amictũ lacerna in publicũ prodire videatis? nonne ſimile veri eſt, qui in propatulo alget, eum domi quoq; eſurire, aliiſque rebus neceſſariis egere? Atqui hunc Callias Athenienſiũ ditiſſimus, conſo-

*Aristides penſionem Græcis conſtituit.*

*Aristidis & Themiſtoclis inter ſe dicteria.*

*Paupertas Aristidis.*

*Callias accuſatus.*

brinum suum cum uxore & liberis inopem negligit, sæpe ejus usus opera, ac sæpe potentiæ ejus apud vos fructum expertus. Ibi Callias, cùm videret id maximè conturbasse judices, & indignationem contra se movisse, Aristidem vocavit, petiitque ut apud judices profiteretur, sæpe à Callia sibi multa oblata, oratum etiam ut acciperet, se repudiasse, addito sibi potius ob paupertatem, quàm Calliæ ob divitias animum tollendum. nam multos esse, qui divitiis male aut bene uterentur: qui paupertatem fortiter ferant, non temere inveniri: eam verò ab iis dedecus putari, qui inviti pauperes sint. De his cùm secundum Calliam testimonium dixisset Aristides, nemo auditorum non ita discessit, ut Aristidis paupertatem, quam Calliæ divitias, sibi obtingere mallet. Hæc ita ab Æschine Socratico sunt literis mandata. Plato quidem inter tam multos, qui magni viri & memorabiles Athenis habebantur, solum Aristidem dignum mentione pronunciat, quippe Themistoclem, Cimonem, ac Periclem portubus, pecunia, & multis frivolis rebus Athenas implevisse: rectum in Republica tractanda unam virtutem sibi propositam habuisse existimans. Magna vero bonitatis signa Aristides erga Themistoclem exhibuit. Quem enim in Republica perpetuum habuerat inimicum, cujusque opera ostracismum passus erat; ejus eadem in causa apud populum laborantis, ansamque subministrandi præbentis, omnium injuriarum oblitus est: cùmque Alcmæo, Cimon, & multi alii Themistoclem urgerent & accusarent: solus ipse neque egit quicquam contra eum, neque dixit: neque calamitate inimici fruendum magis sibi censuit, quàm ante rebus utenti prosperis invidisset. Mortuum Aristidem alii in Ponto perhibent, cùm eo negociorum publicorum causa navigasset: Alii Athenis, magno natu, & in honore admirationeque civium habitum. Craterus Macedo de obitu ejus hæc tradidit Post multatum exsulio Themistoclem, libidine elatum populum, calumniatorum excitasse turbam, qui potentissimos & optimos viros reos facerent, eosque multitudinis rebus secundis & potentia superbientis invidiæ vexandos objicerent. Inter hos Aristidem quoque Diphanto Amphitropensi accusante, quasi in pensione exigenda ab Ionibus pecunia se esset passus corrumpi, damnatum fuisse minis quinquaginta: quibus cùm non esset solvendo abnavigasse, & circa Ioniam saro concidisse. De his Craterus neque scriptum aliquod documentum, neque judicium, neque decretum affert: solitus alioquin haud indiligenter ea apponere, citatis etiam auctoribus. At reliqui ferè omnes, quotquot populi in duces peccata literis mandarunt, ii exsulium Themistoclis, Miltiadis vincula, multam Periclis, Pachetis, (qui in Curia ut damnatus est, ante tribunal manus sibi attulit) mortem, multaque id generis alia colligunt & celebrant: sed Aristidis ex ostracismo relato, nullius præterea hujusmodi condemnationis meminerunt. Quin & sepulchrum ejus in Phalero ostenditur, quod ei à civitate fertur factum, cùm ne fumus quidem ad sepulturam moriens reliquisset.

*Platonis de Aristida iudicium.*

*Æquanimitas Aristidis.*

*Mors.*

L

LI

LII

Hoc

Hoc quoque narrant, filias ejus è Prytaneo sponsis traditas, publice nuptias civitate paciscente, dotisque nomine utrique tria drachmarum millia decernente. Lysimacho etiam filio ejus minas argenti centum, totidemque telluris consitæ jugera populus dedit, & quaternas in singulos dies drachmas: lata in hanc rem ab Alcibiade rogatione, Polycritæ etiam, à Lysimacho relictæ filiæ Callisthenes refert alimenta perinde ut iis qui Olympia vicissent, populum decre-
LIII visse. Demetrius Phalereus, Hieronymus Rhodius, Aristoxenus Musicus, & Aristoteles (si quidem liber de ingenuitate inter ejus genuinos libros haberi debet) narrant, Myrtonem filia Aristidis natam, Socratis sapientis uxorem fuisse: qui cùm aliam haberet in matrimonio, viduam eam & egenam susceperit. Contra hos satis est à Panætio dictum in iis, quæ de Socrate scripsit. Demetrius idem in Socrate meminisse se ait Lysimachi, filia Aristidis nati admodum pauperis, qui tabella quadam insomniorum significatione continente fretus, ad Iaccheum sedens sese aluerit. Ipse Demetrius rogationem tulit, ut matri ejus & materteræ doni nomine populus in singulos dies tres obolos daret, idemque leges ferens decrevit, ut utrique drachma quotidie penderetur. Neque mirum est, eam horum qui in urbe essent curam fuisse populo: quando filiam filiæ Aristogitonis in Lemno abjectè vivere carentem marito ob pauperiem audientes, Athenas traduxerunt, honestoque natum loco ei maritum dantes, dotis nomine agrum, qui est in Potamo, addiderunt. Cujus benignitatis humanitatisque cùm nostro etiam tempore civitas ea multa proferat exempla, meritò in admiratione est atque suspicitur.

*Atheniensium gratitudo in defunctum.*

*Liberalitas Atheniensium.*

## IN ARISTIDAM, INTERPRETIS Annotationes.

*ARistides æqualis fuit Themistoclis, Plataica præsertim pugna, & translato secundum eam à Spartanis ad Athenienses imperio nobilis. Quadriennio propè post ejectum Athenis Themistoclem decessit. auctor Aemilius Probus.*

Cap. 1. Magistratum, qui Eponimus appellatur.) τὴν ἐπώνυμον ἀρχήν. *Interpres*, Magistratum illum insignem. *Quem? Apud Athenienses novem fuerunt antiquitus in magistratu collegæ, prætores fortasse dixeris Latinè, quorum unus sorte ad id lectus, publicis literis & actis inscribebatur, quemadmodum apud Romanos Consules, Latios signabant nomine fastos. Id quod sic habere paulò infra in hoc libro Plutarchus ostendit, ubi disputatur, quando Eponymus fuerit Aristides. Horum ἐννέα ἀρχόντων fit etiam supra mentio in vita Pelopidæ, & in lege, quam recitat Aeschines κατὰ τιμάρχου. ἐὰν τι Ἀθηναίων ἑταιρήσῃ, μὴ ἐξέστω αὐτῷ τῶν ἐννέα ἀρχόντων γενέσθαι. Cætera ferè Pausanias, cui plus, quàm ulli grammaticorum tribuo fidei, qui volet, legat quæ Suidas & Harpocration habent.*

*Eponymus.*

Cap.2. Cyclicos pueros. ) *Ita apparet dictos fuisse chorum, qui dithyrambos caneret, Vide Suidam.*

Cap.3. In fœnore positas. ) τοκιζομένας. *alibi hanc vocem (quod sciam) non legi. Si quis fœnore partas apud Critonem sorte, quæ tantum fœnus exhiberet, deposita autumet, nihil pugnabo. Sed verius esse arbitror, ac Socratis opibus convenientius, quod posui: alias de ὑπὸ præpositione, cujus vim alibi docui variam esse, ita ut pro ἀπὸ etiam sumatur, nulla erat lis futura.*

Cap.5. Themistocles sodalitio. ) εἰς ἑταιρείαν ἐμβαλὼν ἑαυτόν. *Sic vocat* amicorum & sociorum ejus quasi factionem, facilitatem. *Barbarus valdè ineptè, sed & pleraq; incommodè verterat. Quid esset* ἑταιρεία, *etiam apud Lysandrum indicavimus.*

Ibid. In barathrum. ) βάραθρον, *quasi foveam si diceres. malui tamen Græcam vocem relinquere. Carcer fuit, aut fovea verius, in Attica, in quam solebant sontes conjici, tanquam in puteum aliquem, & ibi perdi. Vide Suidam, Harpocrationem & Comment. Aristoph. Pluto, ad versum,*

οὐκοῦν ὑπολοιπόν σοι τὸ βάραθρον γίνεται. *Infra in Marcio. de Iugurtha in carcerem conjecto, noster eodem est usus vocabulo. Et quidem extat fragmentum Diodori Siculi lib.31. in quo ea est carceris descriptio, quæ optimè his congruit quæ de barathro Græci habent. Cæterùm versus Aeschyli de Amphiarao exstant in tragœdia quæ inscribitur* Ἑπτὰ ἐπὶ θήβας: *habent autem absolutam boni viri descriptionem.*

Cap.9. Facifer quod sacerdotum genus. ) δαδοῦχος *is est, qui sacris solennibus facem gereret, qui erat honor magnus, & sacerdotium nimirum. Nam & Pausanias pro magna fœlicitate refert, quod in progenie Leontis ad quartum usq; gradum ea dignitas permansisset: in Atticis. Interpres* antistitem *vertit, minus rectè,* στρόφιον *autem* tæniam *converti potius quàm* Zonam, *quia capitis, non pectoris ornatum notari, satis apparet. & ex Suida potest intelligi, me rectè sentire. ex eodem etiam confirmari possunt, quæ de* daducho *sunt dicta. Calliæ porrò facinus apud eundem haud paulò aliter in* Λακκόπλουτος *refertur: ex alio quodam auctore.*

Cap.11. Poliorcetæ. ) *ut Demetrius Antigoni F. reliqua* Ptolemæorum *& Seleucorum cognomina. Aquila Pyrrhus à suis est cognominatus. Plutarchus in Vita ejus.*

Cap.14. Contra quam Achilles. ) *Qui injuria contumeliosè ab Agamemnone affectus, nihil aliud in votis habuit, quàm ut prælis se abstinentis sui desiderium Græcos gravibus circumventos calamitatibus incesseret. Iliad. α.*

Cap.22. Ad Oresteum. ) *Arbitror oppidum Arcadiæ intelligi: de quo Pausanias Arcadicis, & Euripides extremo Oresta. Porrò autem hostes suos Spartani* ξένους, hospites *seu* peregrinos, *ita* ὑποκοριζόμενοι *vocabant, lenitate verbi tristiciam rei mitigante: quomodo Tullius ait, apud Latinos* hostem *dici eum qui esset* perduellis: *antiquitus enim* hostem *eundem fuisse atq;* peregrinum. 1. *Offic. Eadem sunt apud Herodotum lib. ult. Post:*

Cap.

Cap. 23. Sphragitidibus.) σφραγιτίδιον. *Sic & Pausanias Bœoticis 226. Nam in fine Symposii nostri male legitur* Επαγιτ.

Cap. 33. Pro agro & urbe, ut Spartanis) ἀντὶ ἐκείνου, *est in Græco libro. Barbarus, ut majores nostri, vertit quod minimè probo: cùm inter hanc & Marathoniam pugnam non plures tredecim anni intercesserint, ut ex historiæ ratione apparet. itaq; illud* ἐκείνοις *malus ad Lacedæmonios referre, qui in partem gloriæ Salaminiæ & Marathoniæ non veniebant. nam ad Persas referre non video quàm commodè possem. Locus, qui ex Herodoto paulò ante citatur, est in Calliopa.*

Cap. 37. Itaque multas objicientes cetras.) πολλὰ τῶν ἱμάντων γέρρα ἐπιβαλόντες, cratem vimineam *significat, seu (ut Cæsar vocat)* vineam, *ut apud Polybium lib 8. Arrianum lib. 1. id huc non pertinet, ut neq; tegminis significatio, de qua Harpocratio & Suidas.* Τὸ γέρρον *autem, vox est multa significans, præcipuè autem* parmam corio inductam: *quomodo cùm alij, tum Arrianus lib. 4. ἀσπίδα ἀλίξοον. utuntur: εἰς ἣν δὴ ἀσπίδα ἐγγέρρα καὶ ἐπ' ἀμφοτέρα πλαγιάζει Plut. in Æmilio de Perseo triumphò, invecta ait inter cætera arma, etiam θυρεοὺς γέρρα. Lucianus Anacharside, καὶ γέρρον ἐν τῇ ἀριστερᾷ. Eustathius in Dionysium ait* quadrangulum esse scutum, non rectangulum, sed rhombi figuræ contentum. Pilum *autem seu* missile telum *etiam significare constat: & in Antonio sic auctor noster utitur, in Astiacæ pugnæ descriptione. Hîc priorem notionem, ut loco huic congruam, posuit interpres dissimulavit. De* copidibus *dixi in Camillo.* τοὺς ἀκινάκους *non puto rectè legi, sed* τοῖς, *ut alias: sicut & Latini. Horat. alijque.*

Cap. 40. Hanc quondam Græci.) *In meo codice hoc epigramma mutilatum est. Nam & primus versus depravatus, & pendameter ei subjectus deest. Sed restituendum est ex libro nostri de malignitate Herodoti extremo. Paulo post* μυρηνίδων *legi, &* Ἠιονεύτων, *cur ita, non est obscurum.*

Cap. 42. Mille stadiis.) χιλίοις σταδίοις. *Milliaria Germanica minimum triginta. At Platæis Delphos usq; milliaria Germanica minimum* XXV. *sunt. una ergo die* L. *milliaria talia iste Euchidas confecit, quod credet, cui libebit. Cicer. pro Sex. Roscio:* Decem horis nocturnis sex & quinquaginta millia passuum cisiis pervolavit. Hæc sunt Germanica XIV. *Incredibilis celeritas, & pernicior Ladæ pedibus uterq;, alter pedes, alter vector. Ego quod statuam non habeo, nisi ut Euchidam volasse scilicet aquilinis alis dicam: & Ciceronem hyperbola usum, sed neutrum possim tueri. de tam minutis stadiis atq; passibus, quibus probabilitatem his narrationibus aliquam concilium, nihil dum habeo certi.*

Cap. 43. Sanguinem fusum vocat.) *Interpres* γιγνῶς inferias. *dixit. in Græco autem non* αἱμοκυγείας, *sed* αἱμακυγείας, *legendum. quomodo Pindarus* εἰσὶν ὀλυμπ. *& ipsius Scholiastes & Varinus habent. Vox est & Dorica & Bœotica. nam Bœoti Doricam ferè habebant dialectον: quod ostendere exemplis possemus, si locus ferret.*

*Est autem αἱμακουρία quasi αἱματοκουρία, ut αἱμοβαφὴς quasi αἱματοβαφὴς, & alia id genus, ut Eustathius in Odyss. v. 348 annotavit.*

Cap. 46. Plato quidem.) *Videtur mihi ad ea potissimum respicere, quæ in fine propè Gorgiæ, & in Menone de Aristida Plato pronunciat.*

## PLVTARCHI CATO MAIOR, GVILIELMO Xylandro, Augustano, interprete.

*Patria & maiores.*

MArcum Tusculi natum, & antequam militiam aut rempublicam attingeret, vixisse in prædiis paternis apud Sabinos, tradunt. Etsi verò majores ejus planè obscuri viderentur, ipse tamen Marcum patrem suum, ut bonum & re militari clarum virum, laudat: proavumque suum Catonem sæpe virtutis præmia meruisse, ac pro quinque equis bellatoribus, quos in prœliis amisisset, precium à populo accepisse dicit. Et quia Romani eos, qui obscuris orti majoribus per seipsos innotescere cœpissent, *novos homines* vocare solebant: se novum esse quod ad magistratus & gloriam consequendam attineret, præclaris autem avorum factis & virtutibus antiquissimum asserebat. Cognomen ei ab initio non *Cato*, sed *Priscus* fuit: Cato postea temporis ob peritiam rerum est appellatus. Facie fuit subrufa, & cæsia: quod epigrammate quidam acerbè de eo notavit: I

*Novus homo.*

*Rufus, mordaces solitusq; illidere dentes*
*Omnibus, & glaucus Porcius ut periit:*
*Ipsa timens sæva rabiem Proserpina linguæ,*
*Vllum ei apud manes noluit esse locum.*

Habitum corporis & ad robur, & ad sanitatem probe constitutum opere faciendo, victu frugali, laboribusque militaribus in quibus erat enutritus, effecerat. Vim dicendi (nam orationem tanquam alterum corpus esse judicabat, & facundiam in numero esse rerum honestarum, non modò instrumentum utile, ac cujus usus necessarius esset ei, qui nō obscuro loco aut per ocium vitam exigere statuisset) assiduò reos in pagis & oppidis vicinis defendendo sibi paravit: qua in re primum certamina alacriter subire, deinde causas bene orare judicatus est: postremò suam operam requirentibus, eam morum gravitatem, animique magnitudinem ostendit, quæ ad magna negocia, principisque in republica munus obeundum apta esset. Nam non modò ad dicendas causas integer, nullisque acceptis præmiis accedebat: sed ne gloriam quidem ea re sibi potissimum quærere videbatur. Cæterùm gloriæ militia partæ ita fuit cupidus ab ineunte ætate, ut adversis vulneribus plenum corpus habuerit. Prima stipendia (ut ipse scribit) annos natus septendecim meruit: quo tempore Annibal, successu rerum secundo usus, Italiam incendiis vastabat. In pugna manu promtus, fixo gradu, vultu ferociam indicante minis & asperitate adversum hostes uti solebat: rectè & cogitans hoc, & docens, ista non minorem sæpe quàm gladios terrorem hosti incu- II III

*Catonis facundia qualis.*

*Militia eius.*

incutere. In itineribus ipse arma sua ferebat, lixa uno comitante, qui cibaria portaret: neque unquam huic prandium cœnamve apponenti succensuisse fertur sed sæpenumero ipse cùm esset militiæ laboribus defunctus, eum in adornandis iis adjuvisse. Aquam militiæ bibebat, nisi si forte ardentissima siti correptus acetum posceret, aut
IV viribus deficientibus, paululum vini sumeret. Haud procul prædius ejus Manii Curii, ejus qui ter triumphavit, tugurium erat. Ad hoc continenter accedebat, locique ipsius angustiam & habitationis vilitatem contemplatus, de viro isto cogitare solebat, quod is Romanorum maximus, subactis gentibus bellicosissimis, ejectoque Italia Pyrrho, ipse post tres triumphos eum agrum fodisset, idque tugurium inhabitasset: ibique eidem Curio ad focum sedenti & rapa elixanti Samnitum legati cùm advenissent, aurumque multum obtulissent, eos hoc cum responso dimisisset, quod aurо nihil opus esse ei diceret, qui hac cœna esset contentus: sè quidem aurum habentes vincere, quàm possidere aurum malle. His ita secum consideratis Cato abjbat, ac proinde in suam domum, prædia, famulos, & victus rationem inspiciens: laborem sibi intendebat, luxumque o-
V mnem amputabat. Quo tempore Fabius Maximus Tarentum recepit, Cato juvenis admodum sub eo stipendia faciebat. Ibi hospitio cujusdam Nearchi Pythagorici usus, ad philosophiam eam animum applicuit. A quo cùm eadem, quæ Plato etiam docuit, percepisset: voluptatem maximam esse malorum escam: id primum animo hominis incommodi accidisse, quod esset corpori inclusus, purgari tamen animum, solvique earum cogitationum auxilio, quæ maximè eum à corporis affectionibus abducerent atque separarent: frugalitatis atque continentiæ amorem inde auxit. Alioquin serò Græcas attigisse disciplinas perhibetur, sumtisque, cùm esset jam magno admodum natu, in manus libris Græcorum, ad dicendi artem nonnihil Thucydidis, plus Demosthenis scriptis adjutus fuisse. Sanè opera ipsius & doctrina Græca & historiis mediocriter sunt exornata: multa etiam scitè dicta sententiasque de Græcis ad verbum
VI traductas inseruit. Erat inter Romanos Valerius Flaccus ea tempestate, nobilitate generis & potentia præcipuus, vir & cognoscere virtutem enascentem callidus, & ad enutriendum eam, adque honorem provehendum propensus. Is prædia villæ Catonis contigua cùm haberet, ac de laboribus ejus atque vita ex famulis percepisset (mane hominem ad forum ire illi referebant, reisque patrocinari, inde ad rus reversum, hyeme injecta humeris exomide, æstate nudum opus facere, deinde cum servis sedentem eodem pane, eodemque vino frui; commemorabant & reliquis in rebus magnam ejus frugalitatem atque mediocritatem, nec non & dicta quædam ejus scita, hæc omnia non sine admiratione cùm audivisset Flaccus, vocari ad cœnam eum jussit: atque exinde usus ipso familiariter, moresque placidos & urbanos conspicatus, qui, veluti planta, cultu & loco idoneo opus haberent, auctor Catoni fuit, persuasitque ut rempublicam

*M. Curij admirator Cato.*

*Nearchum philosophum Cato audit.*

*Græcas litteras sero attingit.*

*Valerius Flaccus Catonem Romam pertrahit.*

*Magistratus quos Cato gessit.*

Romanam attingeret. Postquàm Cato in urbem venit, statim & VII ipse defendendis reis multos sui admiratores amicosque invenit: Valerioque multum illi honoris & potentiæ adjiciente, primùm tribunus militum, post quæstor factus est. Ab eo illustris jam factus, ipsi Valerio in summis magistratibus, consulatu & censura, collega datus est. De senioribus civibus Fabio Maximo se conjunxit, non tam respectu summæ ejus viri gloriæ atque potentiæ, quàm quod mores ejus vitamque pulcherrimum sibi ad imitandum exemplum proposuisset. Itaque Scipioni magno illi, qui tum juvenis Fabii potentiæ invidia (ut putabatur) adductus, se opponebat, adversari non est veritus. Etenim quæstor cum eo ad bellum Africanum missus, ut cum, consueto luxu uti vidit, pecuniamque in milites effusè elargiri, liberè reprehendit: non sumtibus factis potissimum se moveri dicens, sed quod abundantia rerum milites ad voluptatem & luxuriam converterentur: itaque frugalitas antiqua perderetur. Cui cùm respondisset Scipio, se, qui plenis ad bellum iret velis, nihil tam accurato quæstore indigere (neque enim pecuniarum, sed rerum gestarum rationem populo sibi reddendam fore) è Sicilia discessit Cato, atque in senatu cum Fabio de Scipione questus, eum prodigere immensam pecuniam, & quasi non ad bellum, sed ad ludos missus fuisset, adolescentum more in palæstris & theatris versari clamando, id consecutus est, ut tribb. plebis mitterentur, qui Scipionem, si quidem vera ista crimina invenirentur, Romam adducerent. Ve- VIII runtamen Scipio cùm in ipso belli apparatu victoriam præmonstrasset, appareretq; eum in ocio amicis jucundum, nihil tamen ob eam humanitatem & liberalitatem seriarum & magnarum rerum negligere: ad gerendum in Africa bellum solvit. Interim Cato, etsi vim in dicendo eam acquirebat, ut Demosthenes Romanus à multis diceretur: tamen vita sua majorem sibi paravit existimationem atque gloriam. Certatim enim jam tunc eloquentiæ studium à juvenibus colebatur, qui verò majorum exemplo laborare suis manibus, cœna simplici, & prandio citra ignem parato, vili veste, & vulgari habitatione contentus esse sustineret, & qui majoris esse virtutis putaret, res supervacaneas non requirere, quam easdem possidere: is verò inventu rarus erat. Quippe jam tum respub. ob molem suam, pristinam integritatem servabat: sed ut multa bona, multos homines suam sub ditionem acceperat, ita varios mores miscebat, omnisque generis rationes vivendi mirabatur, ut meritò in admiratione habitus sit Cato. Cùm enim alii laboribus frangi se, & voluptatibus IX emolliri paterentur, solus ille ab utroque invictus, non eo tempore tantum, quo juvenis & gloriæ appetens erat, sed senex etiam jam atque canus consulatu gesto, actoque triumpho permansit: atq; instar athletæ præmium victoriæ consecuti exercitationi constanter insistens, eandem usque ad finem vitæ æqualitatem pertulit. Ipse de se testatur, nunquam se vestem centum denariis preciosiorem tulisse, in prætura & consulatu eodem cum operariis vino usum, obsonatum ad cœ-

*Cato Fabij sectator Scipioni adversatur.*

*Eius existimatio & temperantia.*

ad cœnam de foro triginta assibus, idque se civitatis causa fecisse, ut corpori vires ad bellica officia sufficerent: vestem stragulam Babyloniam picturatam cùm ex hereditate accepisset, statim vendidisse, domiciliorum ejus nullum fuisse incrustatum, nullum servum carius mille quingentis denariis emisse. quod non delicatis, aut formosis, sed qui multi essent laboris & validi, ut equisones & bubulci, indigeret: atque hos ipsos ætate eorum ingravescente dividendos duxisse: neque alendos qui usui non essent. Omnino autem nihil eorum, quæ supervacanea essent, ne minimi quidem emisse: nam id generis res etiamsi asse venderetur; caras sensuisse: ea quæ conseri & depasci possent, bonis quæ verrendo & rigando opus haberent prætulisse.

X Hæc quidam illiberalitatem interpretati sunt: alii quo alios corrigeret & ad temperantiam reduceret, intra modum sese continuisse putant. nisi quod abusum mancipiis ita ut si jumenta essent, ea deinde ætate confecta expellere & vendere, summæ ego duriciei motum esse judicio, & ejus, qui nisi utilitatis causa nihil homini cum homine putaret esse commune. Atqui cernimus, ampliorem esse bonitatis, quàm justitiæ locum: siquidem legibus & justitia tantùm erga homines utimur, beneficia & gratiæ nonnũquam etiam brutis dantur: etenim de mansuetudine, tanquam ubere fonte, profluunt. Humanitatis itaque est, equos confectos laboribus alere, itemque canum non catulos modò, sed & ipsos ingenio graves. Athenien- VIII
sium populus cum templum Minervæ, cui Hecatompedon est nomen, ædificaret; multas, quæ laborem plurimum tolerassent, liberas ad pascendum dimisit: tum unam harum ajunt ultrò ad opus accessisse, & jumentis, quæ farraca ad arcem traherent, comitem se dedisse, præeundoque veluti adhortatam ad laborandum: decretumque
XI est, ut ea ad mortem usque publicè aleretur. Equarum porrò Cimonis, quibus ter Olympia is vicit, propè ipsius monumenta sunt sepulchra. Canes secum educatos & consuetos cùm multi alii, tum Xantippus ille antiquus eum, qui Athenienſibus urbem deserentibus juxta triremem in Salaminam enaverat, in promontorio humavit, quod adhuc *Cynos sema*, id est, canis monumentum, nominatur. Non enim ut calceis aut vasis utendum est rebus animatis, quæ rupta vel attrita usu abjiciuntur: sed in his, si nullam aliam ob causam, at ut ad humanitatem nos adsuefaciamus tamen, exercere mansuetudinem convenit. Ipse quidem ne bovem quidem operarium senii causa vendiderim, nedum hominem ætate provectum ex loco in quo fuit educatus, & consueto victu tanquam è patria exigui lucelli causa pellam; cùm jam inutilis ementi sit perinde, atq; vendenti factus. At Cato veluti ostentans se in his rebus, equũ etiam, quo consul in obeundis ducis muneribus usus fuerat, in Hispania à se relictum ait, ne
XII portorii ejus civitati imputaretur. Hæc magninè sint, an parvi animi, licet ita credere, ut cuiq; ratio ejus persualerit. Certè alioqui maximæ continẽtiæ causa summa fuit admiratione dignus. Exercitũ enim ducens, pro se & suo comitatu in mensem tritici non plus tribus medimnis

*Notatur inhumanitatis.*

*Continentia Catonis eximia.*

dimnis Atticis sumsit: in diem jumentis hordei infra médimnum unam cum dimidio. Provinciam nactus Sardiniam, cùm qui ante ipsum fuerant prætores tabernaculis publicis, lectis, stragulisque, ac magna servorum & amicorum familia usi essent, gravesque cœnarum sumptus & apparatus fecissent: incredibile ipse frugalitatis diserimen exhibuit. Neque enim ullas requisivit publicas impensas, sed circum urbes ipse sine bigis ambulavit, uno comitante apparitore, vestem ei & vas ad sacrificia peragenda portante. Tantum in his rebus facilitatis atque simplicitatis subditis ostendens: justitiæ rigore & mandatis pro imperio rectis atque firmis eam majestatem gravitatemque præ se tulit, ut nunquam illis Romanum imperium neque terribilius fuerit, neque charius. Eandem fuisse ejus oratio- XIII nis formam tradunt, simul & gratæ & gravis, jucundæ & terribilis, facetæ & severæ argutæque & juxtà in contentione vim habentis: quemadmodum Socratem Plato ait, cùm foris rudis, dicax, & contumeliosus in colloquetes videretur, intus seriis & lacrymas excutientibus rebus, corpi auditoris convertentibus abundasse. Quare nescio quid in mentem venerit iis, qui Lysiæ potissimum orationi similem Catonis fuisse pronunciarunt. Verùm hæc dijudicent ii, quibus magis convenit, genera Romanarum orationum & formas percipere: nos, qui longè magis in oratione, quàm (ut quidam putant) facie hominum ingenia conspici putamus, pauca quædam eorum, quæ ejus dicta feruntur, commemoremus. Aliquando Ro- XIV manorum plebem frumenti largitionem intempestivè experentem dehortatus, hoc initium dicendi fecit: Difficile quidem est, Quirites, ad ventrem verba facere, cum is auribus careat. Mores civitatis accusans, difficulter, inquit, posse salvam esse urbem, in qua majoris piscis quàm bos væneat. Præterea, ovium similes esse Romanos: Ut enim singulæ illæ non obtemperant, universæ agentem sequuntur: ita illos quoque, quorum privatim consilia aspernentur, ab iis in concionem venientes duci. De mulierum dominatione differens: Omnes homines mulieribus imperant, nos omnibus hominibus, nobis mulieres. Est hoc de Themistocleis traductum apophthegmatis. Is enim multa per matrem ei filio injungente: O mulier, inquit, Athenienses Græcis imperant, ego Athenienses ibus, tu mihi, tibi filius: modum itaque potentiæ suæ ponat, qua fit, ut imprudens ipse plurimum omnium Græcorum possit. Idem Cato populum Romanum honores non purpura modò, sed studiis etiam insignire dicebat. Etenim ut tinctores eo maximè colore lanam inficerent, quò plurimos delectari viderent: sic juvenes ista discere & imitari, quæ apud populum laudem invenirent. Hortabatur Roma- XV nos, ut, si fortitudine & temperantia essent magni facti, ne ad deteriora se conferrent: sin ignavia & luxuria, at nunc ad meliora converterentur, satis multum per deteriora ista adepti. Eos qui crebrò magistratum gerere cuperent, tanquam ignaros viarum, ajebat cupere semper cum lictoribus ambulare, ne errarent. Reprehendebat

*Gravitas.*

*Oratio eius qualis.*

*Aliquot Catonis apophthegmata.*

cives,

cives, quod eosdem sæpius magistratus reficerent: fore enim, ut aut magistratum gerere non magni rem precii putare crederentur, aut non multos esse dignos, quibus magistratus committeretur. De inimico quodam turpis & ignominiosæ vitæ suspecto: Mater, inquit, ejus cùm sibi eum superstitem optat, non precari eam faustam, sed execrari vult. Quendam, qui paternos agros maritimos vendidisset ostendens aliis, simulavit in se innari quod is plus quàm mare potuisset: etenim quod mare ægrè illuvione absumsisset, id istum nullo labore deglutisse. Cùm rex Eumenes Romam advenisset, eumque senatus maximo studio accepisset, primique certatim eum amplecterentur; non obscurè tulit Cato, se eum suspectum habere & cavere. Et cuidam dicenti: At bonus est rex, & Romanorum studiosus: sit sanè, inquit: at rex animal est natura carnivorum. Neque verò eorum quenquam regum, quorum fortunæ prædicarentur, dignum esse qui Epaminondæ, Pericli, Themistocli, Manio Curio, Amilcarive Barcæ conferretur. Invidere ipsi inimicos, quod noctu surgeret, rebusque suis posthabitis publica curaret: Malle se beneficii gratia, quàm delicti pœna privari. Omnibus se peccantibus ignoscere, sibi verò ipsi nequaquam. Romanis legatos tres in Bythyniam deligentibus, unum podagricum, alterum cui foraminibus & incisionibus caput erat excavatum, tertium pro stolido habitum, irridens Cato: legationem à Romanis missam dicebat, quæ neque pedes, neque caput, neque cor haberet. De Achaicis exsulibus à Scipione rogatu Polybii compellatus, cùm multis res in senatu verbis ageretur, aliis reditum dantibus, aliis obstantibus: surrexit Cato, &: Quasi vero, ait, quod agamus, desit; sedemus hic de senibus Græcis disputãtes totum diem, à nostrisne, an verò Achaicis efferri debeant sandapilariis. Cùm reditus in patriam iis esset decretus, paucis interjectis diebus Polybius iterum in senatum venire aggressus est, petiturus ut ii honoribus, quos prius gessissent in Achaia, restituerentur, & Catonis quæ sententia esset, expiscatus est. Tum Cato subridens, Polybium dixit Vlyssis instar redire in speluncam Cyclopis velle, pilei & cinguli, quorum oblitus ibi esset, petendi causa. Idem Cato magis prodesse prudentibus stultos, quam prudentes stultis affirmabat: illos enim ab horum vitiis sibi cavere, hos illorum recta facta non imitari. In adolescentibus se magis ruborem quam pallorem probare. Militem nolle sibi esse, qui in itinere faciendo manus, in pugna pedes moveat, magisque stertens, quàm vociferationem militarem tollens exaudiatur. Præpinguem vituperans: Vbi verò, inquit, hoc corpus civitati possit prodesse, in quo omnia, quæ sunt inter gulam & inguen, venter occupat? Quendam voluptuariæ vitæ sectatorem secum volentem consuetudinem inire respuit, negans se posse vivere cum eo homine, qui palatum quam cor plus saperet. Amantis animum in alieno vivere corpore ajebat. Tria se in vita sua admisisse, quorum pœniteret, primum si mulieri arcanum commisisset: alterum si eò navigasset, quò pedestri licuisset itinere venire:

venire: tertium, si qua die nihil seriæ rei egisset. Senem nequiter agentem monuit, ne multis senectutis criminibus, maliciæ dedecus adderet. Tribuno plebis veneficii nomine malè audienti, cùm is malam legem magna contentione ferret: Haud scio, inquit, juvenis, idne quod misces, bibere, an quod scribis, ratum jubere sit pejus. Convicio petitus ab homine qui male & impudice vixerat: Impar, ait, mihi tecum est certamen: tu enim male & audis & dicis facilè: mihi neque male loqui suave est, neque male audire consuevi. Ac scitè quidem dictorum Catonis talis est natura. Consul cum Lu XIX cio Valerio Flacco amico & familiari suo creatus, Hispaniam citeriorem sorte provinciam obtinuit, ibi eum populos partim subigentem, partim oratione sibi conciliantem, ingens barbarorum exercitus invasit, ut periculum esset, ne cum ignominia regione pelleretur: itaque Celtiberorum, qui erant in vicinia, auxilium accersivit. Hi cùm auxilii mercedem ducenta poscerent talenta, reliquique omnes intolerabile hoc putarent, si Romani barbaris suppetias ferentibus stipendium sponderent: nihil esse mali Cato affirmavit, victoria enim parta, non de suo, sed de hostilibus bonis mercedem iis soluturum: sin secus evenisset, neque qui poscerent superfuturos, neque unde exigerent. Sed & hic prælio facto vicit, & cætera egregiè successerunt. Polybius quidem scribit, Catonis jussu una die XX omnium urbium, quæ intra Bætin flumen essent, muros dejectos: fuisse autè permultas, & pugnacibus viris plenas. Ipse Cato numerum captarum à se urbium majorem fuisse asserit numero dierum quas in Hispania egerit: quod non est inflatius dictum, siquidem urbes istæ erant cccc Itaque militibus qui eo bello jam ante multum prædæ paraverant, viritim argenti libras divisit, rectius esse addito, multos Romanos argentum, quàm paucos aurum domum referre. Ad se verò nihil de præda redisse affirmat, nisi quæ ederit & biberit. Neq; vero, inquit, culpo eos, qui bello rem facere student: ipse cum optimis de virtute, quàm de pecunia cùm ditissimis, aut avaritia cum avarissimis contendere malo. Neque se tantum, sed & suos omnes ab omni captura Cato continuit. De quinq; famulis quos secum duxerat, unus Paccus tres de captivis emit puerulos: cúmq; id Cato sensisset, iste ante quàm in conspectum veniret ejus, suspendio mortem sibi conscivit: Cato mancipia ista vendidit, pecuniamque in publicum retulit Cæterùm Scipio Africanus Catonis inimicus, XXI præclare eum res gerentem impedire, Hispanicasq; actiones intercipere cupiens, Catone adhuc in Hispania commorante id egit, ut ei ipse eam in provinciam successor mitteretur, ac quàm potuit celerrimè effecit, ut Catoni imperium abrogaretur. Itaque Cato quinque peditum gravis armaturæ cohortibus & equitibus quingentis, qui ipsum deducerent, acceptis, Lacetanos gentem subegit, ac transfugis sexcentos receptos necavit. Qua de re cùm Scipio graviter quereretur, naso eum suspendens Cato: Ita demum maximam fore Romam dixit, si illustres viri & magni virtutis primas partes obscuris

*Consulatus Catonis, & res in Hispania gestæ.*

*Contemtus opum.*

*Scipionis prioris cum Catone contentio.*

non permitterent, contraque plebei (talem autem se esse) de virtute certamen cum eis, qui genere & gloria essent clari, susciperent. At verò quia senatus decreverat, ne eorum quę constituisset Cato quicquam immutaret aut moveret Scipio, id imperium hujus magis quàm Catonis gloriæ detraxit, per ocium exactum, nullaque re gesta insigne. Proinde Cato postquàm triumphavit, quod solent plerunque ii, qui non ad virtutem, sed ad gloriam contenderunt, summis honoribus consulatibusq; & triumphis potiti, deinde à Repub. ad voluptatem & ocium transire: id nequaquam secutus est. quin eorum more, qui primum attingunt Rempublicam honoremque & gloriam sitiunt, novo initio facto utendum se amicis & civibus exposuit, neq; patrocinia, neq; militiam subterfugiens. Itaq; & Tiberio Sempronio consuli legatus in Thracia & regionibus ad Istrum ad peragendas res adjumento fuit, & tribunus militum cum Marco Arcilio in Græciam adversus Antiochum ivit. Post Annibalem haud quisquam alius tantum Romanis, quantum Antiochus terroris intulerat. Quippe is, recepta omni propè Asia, quam Seleucus Nicanor habuerat, multisque & bellicosis barbarorum gentibus sibi subditis, ita animo creverat, ut cum Romanis congredi cuperet, quos jam solos dignos se adversarios putabat. Honestum ergo belli prætextum commentus, liberandæ Græciæ studium, (cum Græci eo nequaquam indigerent, nuper Romanorum beneficio à Philippo & Macedonibus liberati, suisque legibus restituti) copias in Europam trajecit. Exstitere statim in Græcia motus, hominumque animi, oratorum concionibus magnas à rege spes ostentantibus moti, exspectatione erigebantur. Itaque Manius legatos circum urbes misit: quorum unus Titus Flaminius pleroſque novas res molientes citra tumultum inhibuit & sedavit: quod in ejus vita ostendimus. Cato autem Corinthios, Patrenses, Ægienseſque Romanis conciliavit: Athenis diutius quàm alibi egit. Sanè ferunt, ejus videri quandam orationem, quàm ad populum ibi Græcè habuerit, expositaq; ea se admiratione virtutis priscorum Athenienſium ductum, urbem quoque eorum pulcritudinis & amplitudinis causa libenter spectasse. Atqui verum hoc non est, sed per interpretem locutus est Athenienſibus: non quod ipse Græcè nesciret, sed ut morem patriæ tueretur: alioquin etiam irridens eos, qui Græca magni faciebant. Ita Postumium Albinum, cùm his historiam Græcè composuisset, peteretq; ut ea æquo animo legeretur, per iocum notavit: ignoscendũ ei fuisse dicens, si decreto Amphictyonum coactus, necessariò id opus subiisset. Ipse Athenienses ait suam in dicendo celeritatem, & vim verborũ admiratos: quod quæ brevibus dixisset ea interpres multis explicaret: omnino autem ita judicare, orationem Græcis ab ore, Romanis à corde proficisci. Posteaquàm Antiochus angustias Thermopylarum cum exercitu suo insedit, locosq; natura tutos munitionibus ita obstruxit, ut bellum declinasse videretur: à fronte eũ aggredi ne sperarunt quidẽ Romani. Tum Cato Persicæ istius circuitionis recor-

XXII

XXIII

XXIV

*Acta post consulatum.*

*Bellum cum rege Antiocho.*

*Cato Athenas invisit.*

*Oratio Romanorum quid à Græca distet.*

recordatus, noctu cum parte exercitus rei ejus causa abiit, duce itineris uno ex captivis accepto. Verùm ut is in adscendendo via excidit, errandoque per invia & præcipitia magnum metum apud milites excitavit: Cato periculum cernens, reliquis omnibus quiescere & operiri jussis, ipse cum Lucio quodam Manlio viro scandendorum montium perito, magno cum labore & periculo noctu luna latente, cum insuper ob arbores & rupes in altum eminentes visus distorqueretur, neque certi quicquam deprehenderet, eò tamen evasit, ut in callem in castra (sic enim putabant) hostium descendentem perveniret: ergo cùm signa sibi posuissent ad conspicua quædam cacumina supra Callidromum eminentia: retrò descendere, exercitumque signa observantes adduxerunt, callemque istum attigerunt. Parum inde progressus, callis deliit, convalle eum excipiente: rursusque hæsitabant, & formido incessebat, neque scientes, neque cernentes se propè hostes esse. Simul illuxit, cùm & vocem sibi exaudire, & confestim castra Græca, excubiasque sub præcipitiis videre visus est. Itaque Cato itinere inhibito, Firmanos (quibus maximè fidis & alacribus usus fuerat semper) ad se vocavit: cúmque ii accurrissent & conferti circumstetissent; Vnum de hostibus vivum capi oportet, inquit, ex quo cognoscam qui sint excubitores isti, quot numero, quis omninò totius exercitus ordo, quæ constitutio, qui apparatus quo nos sint excepturi. opus erit celeritatis hoc & audaciæ, qua freti & inermes leones audent in timidas belluas invadere. Vix hæc dixerat Cato, cùm illicò Firmani per montes deorsum se ad excubias dejecerunt, impressioneque improviso facta, omnes perturbarunt & dissiparunt, unum, ut erat armatus, arreptum ad Catonem attulerunt. Ex hoc cognitum Catoni, reliquas copias cum rege in faucibus desidere: in excubiis verò ad jugum positos sexcentos esse Ætolorum delectos. Is simul & paucitatem & negligentiam despectui habens, confestim classicum cani & clamorem à militibus tolli jussit, primusque ipse stricto gladio suos in hostes duxit. At illi Romanos ab sublimi ruere videntes, fuga se in majora castra dederunt, omniaque trepidatione impleverunt. Iam & Manius sursum vi per munitiones enitebatur, & omni cum exercitu fauces oppugnabat. Antiochus os saxo ictus, excussis etiam dentibus, præ magno dolore equum retrò converterat: nulla exercitus pars Romanos sustinebat, sed quamvis fugæ nihil esset pervium, omnia difficilia, quod profundæ paludes & præcipitia lapsos excipiebant, eò tamen per angustias effusè & magna cum trepidatione ruentes metu vulnerum & hostilis ferri seipsos perdebant. Et Cato, nunquam aliàs suarum ipse laudum parcus (ut qui apertam jactantiam, magnanimitatis comitem ratus minimè se indignam arbitraretur) magnificè eam actionem prædicavit: ait enim eos, qui tunc cum hostes insequentem & ferientem viderint, intellexisse non populo tantùm Catonem, quantùm Catoni populum debere: sed & Manium consulem à victoria calentem adhuc calido ipsi circumfusum,

XXV

XXVI

*Antiochus vincitur.*

XXVII

*Catonis laudator.*

sum, diu multumque consalutasse, ac præ gaudio exclamasse, neque à se, neque ab universo populo dignis gratiis Catonis merita posse adæquari: A pugna statim ipse Cato rei gestæ nuncius Romam missus est: prospereq; Brundusium advectus, inde uno die Tarentum venit: hinc quatriduum terra profectus, quinto Romam venit: ibi primus victoriæ nuncium attulit, urbem lætitia & sacrificiis implevit, populique animos excitavit, qui se jam omni terra marique potiri posse crederent. Hæ ferè sunt Catonis res militiæ gestæ præ cæteris illustres. Domi autem gerendæ Reipublicæ apparet eum partem haud postremam duxisse positam in accusandis, & convincendis pravis hominibus: quando & ipse multos in judicio persecutus est, & aliis id agentibus auxilio fuit, & qui facerent subornavit, ut Scipioni Petilium. Sed hunc missum fecit, quod splendore generis veraq; magnanimitate calumnia superior evasisset: frater autem ejus Lucius ut gravi multa ærario pendenda damnaretur, facta cum aliis accusatoribus coitione effecit: cui is cùm non esset solvendo, periculumq; esset ne vinciretur, ægrè tribunorum plebis appellatione evasit. Fertur etiam cuidam juveni, qui patris defuncti inimicum ignominia ultus à judicio per forum ambularet, obviam factus dextram injecisse, dixisseq; parentibus non agnis aut hœdis, sed inimicorum lacrymis & damnationibus parentandum esse. Neque verò ipse securus accusationum in republica versabatur: sed quoties ansam aliquam inimicis præbuisset, nunquam non in judicium est vocatus. Et quidem perhibent, eum non multò minus quinquagies causam suam dixisse, postremò quidem, natum jam annos 80. quo tempore notum illud protulit: Difficile esse cum, qui apud alios vixerit homines, apud alios de causa sua respondere. Neque tamen hunc certaminũ finem fecit: quadriennio enim post Servii Galbam nonagenarius accusavit. Videtur enim omninò vita & actionibus suis tertiam ætatem Nestoris exemplo attigisse. cùm enim (ut demonstravimus) gravia de Republica certamina adversus Scipionem majorem habuit, usq; ad Scipionem minorem (qui adoptionis ratione illius fuit nepos filius Pauli ejus, qui Perseum & Macedones debellavit) vitã produxit. Decem annis post consulatum, censuram petiit. Est is magistratus quasi fastigium cæterum honorum, & reliquarum Reipub. administrationum velut perfectio, præter alia potestatem in vitas moresque civium inquisitionem habet. Nam Romani neq; nuptias cujusquam, neque liberorum procreationem, neque victus rationem, neque convivium examinis & judicii immune singulorumve hominum voluntati aut cupiditati liberum relinquebant, verùm rati in domesticis hisce rebus certius, quàm in publicis & omnium conspectui expositis actionibus uniuscujusque mores conspici: constituerunt duos viros, unum patricium, plebejum alterum, qui in observando, castigando, plectendoque curarent, ne quis à Romana & consueta vita per voluptates diverteret. Hi censores dicebantur: quibus licebat aut equum adimere, aut se-

*Cato accusandi studiosus.*

*Cato sæpe accusatus.*

*Censura.*

naru ejicere, si quis intemperanter vixisset: sacrificiorum quoque sumptus judicabant, censuque familias & ordines civium distinguebant: multa alia magna erant ipsis permissa. Ergo Catoni censuram petenti nobilissimus ferè quisque & primus senatorum resistere, cùm & patricii indignissimè ferrent nobilitatem circumscribi, hominibus obscuro loco natis ad summum honorem & potentiam enitentibus: & qui se majorum moribus posthabitis vitam non optimis studiis impendisse conscii sibi erant, rigidam virâ severitatem metuerent, gravem ipsis eo in magistratu futuram. Ea propter facta conspiratione, septem competitores Catoni suborna- verunt, qui multitudini (nimirum ejusmodi censores requirenti) b. nam lenitatis & indulgentiæ spem ostentarent. Contra Cato nihil obsequi præ se ferens, sed palam de tribunali malis minitans, vociferansque civitatem vehementi expurgatione indigere, hortabatur multitudinem, ut si saperent, non lenissimum, sed asperrimum deligerent, medicum hunc se esse, & unum patriciorum Valerium Flaccum, hoc uno collega spurare se hydræ instar secando undeque luxu & mollicie civium operæ pretium facturum, animadvertere se, reliquos omnes ideo malis artibus censuram ambire, quod futuros bonos censores metuerent. Ita tum magnus profecto, dignusque eximiis oratoribus fuit populus Romanus, ut minas viri ejus, jactantiamque nihil revcritus, blandis istis & indulgentiam maximam pollicentibus repudiatis, Flaccum cum Catone censores elegerit: Catonemque tum non ut qui peteret, sed jam gereret magistratum istum atque mandaret pro imperio, audiverit. Cato collegam suum & amicum Lucium Valerium Flaccum principem senatus legit: senatu movit cùm alios plures, tum Lucium Quinctium, qui septem ante annis consul fuerat, frater (id quod gloriam ei, quàm consulatus, majorem afferebat) Titi Quinctii Flamminini ejus, qui Philippum debellavit. Causa, cur eum senatu ejiceret, hæc fuit. Puerum elegantem L. Quinctius pro scorto secum habebat semper, circumducebatq; eum, tanto, quanto nullus ne præcipuorum quidem ejus familiarium amicorumq; esset habitus honore & potentia. Fortè tum consul provinciam obibat. In convivio puer is juxta eum pro more accumbens, & hominem qui inter pocula facilè quo quis vellet duci se pateretur adulans, inter alia tanto se ejus amore teneri dixit, ut cum domi ludi essent gladiatorii, & ipse nunquam simile spectaculum vidisset, cupere tamen hominem ingulari cernere: nihilominus iis postpositis ad ipsum profectus statim sit. Ad hæc Lucius, ut amasium deleniret: nihil est, inquit, cur propterea doleas. ipse enim huic damno medebor. simul unum de iis, qui damnati capitis erant, in convivium introduci, lictoremq; cum securi adstare jussit: percontatus inde scortum, an ferire hunc vellet videre? ut is annuit, collum illius securi præcidi imperavit. Hoc modo cùm plerique alii rem actam tradunt, tum in dialogo de senectute Cicero ipsum Catonem ita nar-

*L. Quinctius consularu senatu ejicitur.*

XXXI

XXXII

XXX

III

rantem

rantem introducit. Livius eum, qui occisus sit, perfugam Gallum fuisse, & sua non lictoris manu Quinctium ei necem intulisse refert, itaque esse in oratione scriptum ipsius Catonis. Hanc fratris ignominiam graviter ferens Titus Flamininus, ad populum confugit, causamque ejecti fratris dicere Catonem jussit. Cato convivium illud objecit atque exposuit, & L. Quinctio inficias eunti jusjurandum detulit: quod cùm is recusasset, jure notatus fuisse creditus est. Sed cùm post in theatro spectacula exhiberentur, & Lucius præterito loco consulari longissimè inde consedisset, motus misericordia populus, sublato clamore, ad locum eum suum redire coegit, utcunque ignominia eum accepta liberans. Manilium porrò consulatu (ut creabatur) propinquum senatu movit, quod is interdiu, vidente filia, uxorem esset osculatus: sibi nunquam à muliere amplexum latum addens, nisi cùm vehemens tonitru extitisset, seque joco solitum dicere, Iove tonante se felicem esse. Invidiæ etiam id Catoni fuit, quod Lucio Scipioni, Africani fratri, triumphali viro equum ademit: videbatur enim hoc in contumeliam P. Scipionis facere. Plerosque autem maxime luxu amputato offendit. Palam quidem eum tollere, cùm is plerosque jam invasisset & corrupisset, non potuit. Sed circumiens coegit, vestis, vehiculi, mundi muliebris instrumenti domus, quorum singulorum precium mille & quingentis denariis esset majus, precium decuplo censeri, impositis etiam in millia æris præterea ternis assibus. Voluit enim ut majori iis rebus precio æstimatis, amplius etiam esset pendendum: ut pensionem eam Romani graviter ferentes, cùm viderent à frugalibus & moderatis ejusdem summæ nomine minus in publicum conferri, ipsi quoque luxum abdicarent. Succensebant ergo ei & qui pensionem luxus causa majorem sustinebant: & qui à luxu ob pensionem desistebant. Plerique enim ostentatione divitiarum prohibita, ipsas etiam divitias tolli: ostentari autem eas non rebus ad usum necessariis, sed supervacaneis putant. Idque ferunt Aristonem philosophum maximè admiratum, quod ii potius beati putarentur, qui supervacanea possiderent, quàm quibus rerum necessariarum & utilium esset copia. Scopas etiam Thessalus, cuidam amico ab ipso petenti tale aliquid, quo ipse non magnopere uteretur, ac dicenti: Nihil se rerum ad usum ejus necessariarum poscere: Ego quidem, inquit, maximè ob rerum inutilium & non necessariarum abundantiam felix & dives sum. Omninò autem à vana, & quam turba hominum consectatur, gloria, quasi appendix in vitam communem adscita est admiratio earum divitiarum, & appetitio, quæ nulli naturali desiderio inserviunt. Enimverò nihil moratus reprehensiones Cato, majori etiam usus porrò severitate, aquæ ductus omnes, quibus præterfluens publica aqua intercipiebatur, inque privatas domos & hortos derivabatur, præcidit, ædificia quæ in publicū prominerent, destruxit: publica mancipibus minimis precis locavit, vectigalia summis. Unde plurima in

*In Manilium se vere statuisse.*

*In luxu reprimendo consilium.*

*De divitiis.*

eum odia. Itaque in Senatu Titus Quinctius cum suæ factionis hominibus locationes sacrorum & publicorum operum ab eo factas, tanquam inutiles, rescidit: & iidem tribunorum plebis ferocissimos instigarunt, ut Catonem ad populum vocarent, duobusque talentis multarent. Multa etiam ad Basilicam (quam Cato de publica pecunia infra Curiam ad forum ædificabat, & Portiam Basilicam nominabat) impediendam conati sunt. At populus mirificè approbasse ejus censuram videtur. Nam in æde Salutis statuam Catoni ponens, non præturam, neque consulatum ejus inscripsit, sed quod Romanorum remp. inclinatam, & in pejus vergentem, censor ille disciplina honesta, & exercitationibus temperantiæ in integrum restituisset. Ipse quidem ante solitus erat ridere eos, qui isthæc gesta habuissent: ignorare enim illos, quod fusorum & pistorum operibus exsultarent: imagines Catonis pulcherrimas à civibus in animis eorum circumferri. Mirantibus etiam, cur cùm multis ignobilibus statuæ essent positæ, ipsi nulla? Quia, inquit, malo quæri cur nulla mihi sit posita, quàm quare posita. Et omninò ne laudari quidem se bonum civem pati debere putabat, nisi id bono publico fieret. At ipse plurimus in seipso laudando fuit. Et ait, eos, qui ob aliquod vitæ delictum culparentur, ita se excusare solitos: *Non enim eramus Catones*: quosdam etiam, qui ipsius facta mirari parum accuratè conati essent, *siniſtros* seu *ineptos Catones* dictos fuisse. In ipsum verò periculosissimis temporibus senatum haud aliter, quàm eos, qui in navi sunt ad gubernatorem, respexisse: & sæpe ipso absente, gravissima negotia distulisse. Horum etiam alios habet testes: magnæ enim in urbe fuit propter vitam, orationem, & senium autoritatis. Fuit præterea, bonus etiam pater, bonus maritus & in re familiari augenda non negligens, neque eam curam exiguam aut supervacaneam duxit. Itaq; de his etiam puto, quantum expedit, disserendum. Uxorem duxit nobiliorem quàm locupletiorem, ita censens, cùm uteraque nonnihil habeat gravitatis atq; spirituum, tamen nobiles turpitudinis verecundia maritis ad honestas res libentius obsequi. Qui uxorem aut liberos feriret, eum sanctissimis sacris manum afferre dicebat. Majoris sibi laudis videri, bonum esse maritum, quàm magnum senatorem: neque se alio nomine magis admirari Socratem illum, quàm quod mulierem morosam, & liberos stupidos nactus, ad extremum æquanimitatem & mansuetudinem pertulerit. Natò sibi filio, nihil privatæ rei magis necessarium duxit, quàm ut uxori eum lavanti & fasciis involventi adstaret. Ipsa enim suo eum lacte enutriit: & sæpe servorum quoque infantes uberibus admovit, ut commune nutrimentum eos filio benevolos redderet. Ut institutioni aptus esse cœpit puer, ipse eum Cato acceptum ad se literas docuit. Habebat quidem domi suæ servum Chilonem, grammaticum non insceitum, & qui multos pueros instituisset, sed indignum (inquit) putavi, filium meum à servo objurgari aut si tardius didicisset, auricula trahi, ac metantæ institutionis gra-

*Statua Catonis.*

XXX VII

*Catonis rei familiaris administratio.*

XXX VIII

*Filii educatio.*

*Chilo grammaticus.*

XXX IX

tiam

tiam mancipio debere. Itaque ipse filium literas, ipse leges docuit, ipse exercuit, non modò in jaculo mittendo, depugnandove in armis, & equitando, sed & pugno comminus inferendo, tolerando æstu & frigore, verticesque fluminis & gurgites natatu superando. Ac propterea, inquit, se historias suapte manu, & majusculis literis conscripsisse, ut domi natum suæ filius haberet, unde patriæ & majorum res suo cum fructu perdisceret. Præsente filio non minus verecundè, quàm si adessent Vestales, ab obscœnis dictis sibi temperasse. neque unquam unà cum eo lavisse. Hic sane mos omnibus videtur fuisse Romanis communis: nam generi, pudorem nudandi corporis servantes, communia cum soceris lavacra vitarunt. Post ubi de Græcis corporum nudationem didicerunt, illos vicissim cum
XL uxoribus unà lavari docuêre. Cato filium suum tam egregiè ad virtutem fingens atque efformans, cùm eum & obsequi fideliter, & animi indole culturæ patienti, corpore tantum ad laborem molliori animadverteret: nimis duram ei & tenuem victus rationem remisit. Verùm is nihilominus strenuus in prælio evasit, & Paulo duce nobilis ejus fuit contra Perseum pugna. Cùm quidem dolore commotus, quod gladius ei ictu excussus, deque manibus (ut erat sanguine madida) elapsus fuisset, sociorum aliquot suorum adscitis, denuo in hostes impetum fecit, ac post magnum certamen & laborem loco eo perlustrato, gladium vix tandem inter acervos armorum corporumque hostilium & civilium invenit. Ejus facinoris causa Paulus juvenem admiratus est: & fertur ipsius Catonis ad filium epistola, mirificè id ejus in gladio recipiendo studium & co-
LXI natum laudantis. Post Tertiam Pauli filiam Cato junior duxit, Scipionis sororem: non minus jam sui ipsius, quàm patris causa, in tantam familiam adsumptus. Ita Catonis in filio educando studium dignus est fructus consecutus. Servos multos de captivis possedit, parvos maximè emens, ac qui catulorum equuleorumq; instar adhuc educationem & disciplinam possent pati. Horum nemo in alienam domum, nisi à Catone, aut ejus uxore missus, intrabat: interrogatusque quid ageret Cato, hoc unum, Nescire se respondebat. Servum domi aut opus aliquod necessarium facere oportebat, aut dormire; & maximè iis, qui dormitabant, delectabatur Cato, placidiores eos pervigilibus existimans, & ad omne negotium aptiorem qui somno esset defunctus, quàm qui eo indigeret. Iudicans porrò, ob rem Veneream maximas à servis fraudes exerceri; constituit ut certo pretio cum ancillis rem haberent, neque cum ulla alia mulie-
XLII re. Initio cùm pauper adhuc esset, & stipendia mereret, nunquam apparandi cibi causa iratus fuit, sed turpissimum putavit ventris causa cum servo litigare. Post re aucta, si cubi collegas & amicos invitasset, punivit statim à cœna flagro eum, qui negligentius quicquam subministrasset, aut apparasset. Semper inter servos occultè discordias aluit, consensum eorum suspectum habens. Qui morte dignum aliquid commisissent, eos ita demum necavit, si ab

*Liberum verecundia.*

*Virtus Catonis filij in bello Persico.*

*Disciplina servorum.*

*Rei faciendæ institutum Catonis.*

omnibus servis suis damnati fuissent. Postquàm ad rem faciendam animum studiosius intendit, agriculturam delectationi magis, quàm quæstui inservire ratus, in certis & firmis rebus lucri occasionem posuit. Lacus itaque, thermas, locos fullonibus patentes, & prædia paravit, in quibus præter agros ultrò pascua & sylvæ crescerent: ex his bonis quibus (ut ipse ajebat) ne ab ipso quidem Iove noceri poterat, multas pecunias recepit. Vsus XLIII est etiam fœnore, quod maximè omnium culpatur, nautico, idque in hunc modum. eos quibus pecuniam mutuo dabat, multos ad societatem jubebat vocare; cùm navicularii quinquaginta, totidemque navigia convenissent, ipse Quinctionis liberi operâ (is enim debitoribus in navigatione & negociatione socium se præbebat) unam partem habebat: ita non de tota negociatione in discrimen veniebat, sed de exigua ejus parte magnum lucrum expectabat. Etiam servis suis, qui voluissent, pecuniam dabat: hac illi pueros coëmebant, inde per annum sumptibus Catonis à se doctos & exercitatos vendebant: multos ipse Cato retinuit, de rationibus tantum pro quolibet subtrahens, quantum is, si plurimi venditus fuisset, precii tulisset. Filium ad eadem adhortatus: Non viri, inquit, sed viduæ est, minuere bona. Id quidem vehementius, quod admirandum eum virum & divinæ gloriæ dicere est ausus, qui in rationibus plus lucri quàm sortis reliquisset. Cùm jam ad XLIV senectam ætatem pervenisset Cato, legati Atheniensium Romam venerunt, Carneades Academicus, & Diogenes Stoicus, deprecatum multam, quæ Atheniensium populo, quingentorum talentorum erat dicta à Sicyoniis, cùm ii postulati ab Oropiis in judicio non comparuissent. Itaque statim adolescentum studiosissimi quique literarum, viros illos accesserunt, audientesque eos in admiratione habuerunt. Maximè autem Carneadis gratia in dicendo, qua valebat plurimum, & autoritas eloquentiâ non minor, magnos nacta & humanos auditores venti instar urbem personabat: & fama tenebat, Græcum virum ad stuporem usque ad percellendos hominum demulcendosque animos aptum, vehementem apud juvenes amorem excitare, quo correpti, omissis voluptatibus reliquisque oblectationibus, quasi furore quodam ad philosophiam ferrentur. Hæc reliquis Romanis accepta erant, filiosque suos disciplinis Græcis operam dare, & cum viris summæ existimationis versari gaudebant. Cato autem ab initio statim ægrè ferebat, sermonem ea de re cum admiratione hominum per civitatem spargi: veritus, ne studio suo ad philosophiam adjuncto adolescentes, inde potius, quàm agendis rebus & militia, decus sibi quærere intenderent. Vbi per urbem gloria philosophorum in- XLV crebuit, primosque eorum sermones Cajus Acilius vir illustris in senatu, à quo id ut sibi liceret, magno studio impetraverat, est interpretatus: statuit Cato honestè philosophos ab urbe amandare. Quam ob rem in senatum ivit, & magistratus incusavit, quod legationem

*Carneades & Diogenes Romam veniunt.*

*Cato Philosophis iniquus.*

tionem eorum virorum, qui facilè persuadere de quacunque re possent, tamdiu in urbe, re infecta, desidere passi essent: cognoscendum quàm primùm, & decernendum de legatione, ut legati ad scholas reversi apud Græcos pueros differant, Romani verò adolescentes magistratus (ut ante) & leges audiant. Errant qui eum Carneadis odio id dixisse putant: universam enim philosophiam invisam habuit, & ambitione quadam omnes Græcas artes atque disciplinas contempsit. Nam & Socratem ait loquacitatis viribus fretum, quâ licuerit, ad tyrannidem contendisse, evertendis patriæ moribus, civibusque in opiniones legibus contrarias pertrahendis. Isocratis idem Scholam subsannabat, consenescere in ea discipulos dicens, quasi apud inferos àrte usuri causasque oraturi essent. Et ad filium, Græcas literas calumnians, voce quàm pro senio usus est duriore, quasi vaticinans Romanos Græcis studiis repletos rem suam perdituros. XLVI Verùm id ejus augurium tempus vanitatis convicit: cùm simul & ad summum Romani rempub. evexerunt, & studia disciplinasque Græcas coluerunt. Sed Cato non philosophos modò Græcos odit, sed & medicinam Romæ facientes Græcos suspectos habuit: cùmque audivisset, Hippocratem à Persarum rege multorum talentorum mercede vocatum, nunquam se barbaris Græcorum hostibus operam navaturum affirmasse: omnium medicorum commune esse juramentum dixit, filiumque, ut ab universis sibi caveret, monuit scriptum à se librum de ratione, quam in curandis domesticorum morbis tenerét: nemini se ægroto jejunium indixisse, sed oleribus, carnibus anatum, palumbi, aut leporis nutrire: hanc victus rationem facilem esse, & commodam laborantibus, nisi quod multa edentibus in somnis apparerent: his se remediis & victus ratione usum, valetudinem suam suorumque conservasse. Hac in re non videtur justa reprehensione caruisse, XLV uxore & filio amissis. Ipse quidem firmo corporis habitu & robo- II re fultus, diu perduravit, ut & senex admodum cum muliere consuetudinem habuerit, & præter ætatem nuptias contraxerit. Causa hæc ei fuit. Vxore amissa, filio suo Pauli filiam Scipionis sororem matrimonio junxit: ipse viduus muliercula occultè ad se commeante usus est. In domo parva, in qua etiam nurus esset, non latuit ea res: & cùm meretrix aliquando licentius per domum sese intulisset, Cato filius non quidem verbo, se vultu torviore suffuso notavit; neque fefellit patrem. Ergo ut intellexit Cato suis commercium id cum muliere molestum esse, nihil illis incusatis, neque reprehensis, in forum de more cum amicis descendens, Salonium (quo aliquando scriba usus fuerat) qui unà eum comitans aderat, magna voce interrogavit, an is filiam suam sponso pactus esset. Negante id, & ne facturum quidem nisi re cum ipso communicata dicente: At ego, inquit, idoneum tibi generum reperi, nisi forte ætatem ejus filia aspernetur: est enim admodum grandævus, cætera commodus. Cum Salonius oraret, ut ipse rem curaret, filiam-

*Secunda Catonu nuptiæ.*

*Salonius.*

que suam clientem ejus, nuptum cui vellet daret: nihil moratus Cato sibique eam puellam in matrimonium postulare se fassus est. Ea oratio primum (ut par erat) Salonium obstupefecit, qui & Catonis ad ducendum præteriisse ætatem, & se consularis triumphalisque domus affinitate multò inferiorem intelligeret: serio tamen eum agere videns, libenter assensus est, statimque in forum profecti nuptias pacti sunt. Cæterùm hæ nuptiæ dum parantur, XLV
Cato filius assumptis necessariis patrem interrogavit, quonam suo III
delicto aut injuria novercam ipsi induceret? Alta ei voce pater respondit: Bona verba, fili: omnia in te præclara agnosco, neque culpo quicquam: cupio autem plures mihi filios, reipublicæ cives tui similes relinquere. Ita prius pronunciasse ferunt Pisistratum Atheniensium tyrannum, cùm adultis jam filiis Timonassam Argivam duceret, quæ Iophontem ei & Thessalum peperit. Cato ex Salonii filia filium sustulit, cui à matre cognomen indidit, Salonium. Prior autem filius ejus in prætura mortuus est: cujus, ut egregii viri, multam pater in libris suis mentionem reliquit. Æquo animo, & ut philosophum decebat, hanc calamitatem fertur tulisse Cato, neque quicquam propterea de studio reipublicæ remisisse. Non enim, ut postea temporis Lucius Lucullus, & Metellus Pius, senectute fessus rempublicam omisit: neque ut Scipio Africanus prior, ob invidiam gloriæ ejus subsistentem aversatus populum, ocio reliquum vitæ tribuit: sed quemadmodum Dionysio quendam persuasisse ferunt, ut pulcerrimum putaret tyrannidem usque ad sepulcrum proferre: ita honestissimum ratus ipse in republica consenescere, pangendis libris & agriculturæ quietis & animi relaxandi causa vacabat. Libros quidem omnis generis, & historias conscripsit. Agriculturæ juvenis primùm operam dedit XLIX
necessitatis causa: duobus enim modis solùm se vitam toleraße ait, agriculturæ & parsimoniæ. Tum verò oblectationem ei & contemplationem ruris res præbebant. Composuit quidem librum de agricultura, in quo de placentis faciendis, & de pomorum adservatione scripsit, peculiare aliquid ubique magno studio sectatus. Cœnam quoque in agro liberalius instruebat, familiares suos, qui prædia vicina habebant, subinde invitans: vivebatque cum iis suaviter, non senibus modò gratus & jucundus, sed & juvenibus, nimirum qui multarum rerum peritus, etiam multa cognitu digna auditu accepisset. Mensam verò cùm primis amicis parandis utilem putabat. Ibi multa de laudibus bonorum civium mentio, nulla plane malorum erat: de his enim neutram in partem dicendi occasionem in convivio dabat. Postremum eorum quæ in repub. egit, Carthaginis excidium est: eam rem Scipio posterior confecit, Catonis autem potissimum consilio & sententia bellum hanc ob causam susceptum est. Missus Cato ad Carthaginienses & Masinissam armis dissidentes, ut de causa discordiæ cognosceret (nam & ab initio amicus populi Romani fuerat Masinissa; & cum Carthaginiensibus à

*Catonis in repub. perseverantia.*

*Libri & agriculturæ ejus.*

*Carthago autore Catone exscissa.*

Scipione

Scipione majore victis, principatu eis adempto & gravi tributo imposito fœdus factum) Carthaginienſes non ita ut Romani putabant afflictos & collapſos invenit, ſed copioſa juventute, ingentibus divitiis, armorum & bellici inſtrumenti omni genere abundantes, atque ideò nihil humile cogitantes. Exiſtimavit ergo non jam Numidarum & Maſiniſſæ res Romanis componendi curam debere eſſe: ſed niſi civitatem eam antiquitus reip. inſenſam, graviter nunc iratam, & ultra quàm credi poſſet refectam deleviſſent, idem
LI ab ea, quod ante, periculum imminere. His motus, celeriter Romam reverſus, ſenatum docuit, Carthaginienſes ſuperioribus cladibus & damnis non tantùm de potentia amiſiſſe, quantum de vecordia abjeciſſe: ut non tam vires eorum immiputæ, quàm bellum gerendi peritia aucta inde videri poſſit. Iam & certaminibus eos adverſus Numidas iſtis bellum Romanum machinari, idque pacis & fœderum nomine tegere, atque occaſionem ejus efferendi exſpectare? Additur, ficus eum Africas conſultò excuſſa in ſenatu toga effudiſſe: quarum cùm magnitudo & elegantia admirationem concitaſſet, dixiſſe: Atqui, tridui navigatione ab Roma tellus, quæ eas tulit, abeſt. Id verò vehementius, quod quacunque de re ſententiam dixiſſet, ſemper adjecit: Videtur & hoc mihi, Carthaginem non debere eſſe. Contra Publius Scipio Naſica interrogatus, perpetuò pronunciavit videri ſibi Carthaginem debere eſſe. Hic enim (ut licet conjicere) populum jam luxuriare videns, atque ob res ſecundas animis elatum vix poſſe à ſenatu compeſci, quin quacunque cupiditatis impetus inclinaſſet, eo vi & potentia ſua totam civitatem abriperet: hunc ſaltem à Carthaginenſibus metum imminere volebat, quo veluti fræno ferocia multitudinis redhiberetur: Carthaginienſium verò potentiam minorem eſſe, quàm ut Romanos ſuperare poſſet, majorem quàm ut contemni ab iis deberet, ſentiebat. Id verò ipſum Cato periculoſum judicabat, ſi bacchanti Romano populo, & per licentiam multa peccanti ab urbe perpetuò magna, & nunc damnis caſtigata atque ad ſobrietatem reducta bellum imponderet: & nondum ſublato omni externo imperii amittendi terrore, delinquendi tamen locus civib. daretur. Hoc pacto fertur
LII obtinuiſſe, ut tertium & poſtremum contra Carthaginienſes bellum decerneretur: cujus initio ipſe mortuus eſt, vaticinatus de eo, qui finem bello illi eſſet impoſiturus. Is erat Scipio, qui tum adoleſcens tribunus militum factus præclara prudentiæ & fortitudinis edebat opera: de quibus ut eſt Romam renunciatum; Catonem iis cognitis ferunt hunc verſum protuliſſe:

*Scipionis nominis laus.*

*Solus habet mentem, reliquis errantibus umbris:*

quod ejus enunciatum mox rebus ipſis confirmavit Scipio. Cato unum filium moriens reliquit poſteriore uxore natum Salonium, unumq; nepotem ex mortuo filio priore, Salonius in prætura periit: filius ejus Marcus conſulatum geſſit. Hic avus fuit Catonis philoſophi, ejus qui virtute & gloria inter ſuæ ætatis homines fuit clariſſimus.

*Poſteritas Catonis.*

## ARISTIDIS ET CATONIS CENsorii comparatio.

Si vitam alterius totam cum alterius vita (etenim de utroque LIII
ea retulimus, quæ digna commemoratu essent) composueris, non
facile differentiam perspicies: multis enim ea & magnis simi-
litudinibus obscuratur. Sin ita compares, ut utranque, veluti
picturam quandam aut carmen, per partes examines: id quidem
utrisque commune, quod nullam aliam nacti occasionem, virtute
& facultate sua ad rempublicam & gloriam processerunt. Verùm Aristides videtur cùm Athenæ nondum essent magnæ, inter oratores, & duces, quibus modicæ adhuc & æquabiles essent opes, nomen illustre assecutus. Tunc enim Athenis maximus erat census quingentorum modiorum, proximus equestris trecentum, tertius, & infimus Zeugitarum, ducentum. Sed Cato ab exiguo oppido, & vita (ut putabatur) rustica in Romanorum rempublicam tanquam vastum aliquod mare se immisit: cùm eam non jam Curii, Fabricii, Hostiliive gererent, neque ab aratro, bipaliove pauperes agricolas sella curulis & rostra exciperent: sed quæ jam ad nobilitatem generis, divitias, largitiones, & ambitiones respiceret, & præ mole sua atq; potentia in eos, qui magistratum peterent, illuderet. Neque tantum LIV
erat, Themistoclem adversarium habere, virum neque natalibus
illustrem, & opibus modicis (nam is ut primum rempubl. attigit,
trium, aut ad summum quinque talentorum rem habuit) quantum de principatu contendere cum Scipionibus Africanis, Sergiis Galbis, Quinctiis, Flamininis, cùm nihil præter vocem liberè pro justitia certantem præsidii haberet. Præterea in Marathone Aristides, rursusque ad Plateas decimus ipse dux fuit: Cato multis unà ambientibus, uno cum collega consul, itemque censor, septem clarissimis & primis competitoribus dejectis, fuit. Equidem nunquam ulla in re præclarè gesta primas partes Aristides obtinuit. Nam de Marathonia pugna eas Miltiades, in Salaminia Themistocles vendicat, ad Platæas (si Herodoto credimus) pulcerrimam victoriam Pausanias paravit: quin & de secundis cum Aristide certant Sophanes, Aminiæ, Callimachi, Cynægiri, qui præliis istis clarissima virtutis ediderunt facinora. Cato non Hispaniense modò bellum consul ipse confecit, manuque & consilio primam laudem meruit, sed & tribunus militum sub alio consule ad Thermopylas, victoriæ gloriam suam fecit: magnam Romanis Antiochum superandi januam cùm apperuisset, ac regi, quæ ante ipsum erant tantùm videnti, à tergo bellum objecisset. Ista enim victoria haud dubiè Catonis opus, Asiam Græcia expulit, & transitum in illam Scipioni expedivit. Sed tamen in bello uterque invictus fuit. Cæterùm in republi- LV
ca versans Aristides offendit, factione Themistoclis in exsulium
pulsus. Cato cùm potentissimos & maximos Romanorum omnes
fere adversarios habuisset, & usque ad extremum ætatis athletæ

instar

*Vt ad rempub. accesserunt.*

instar decertasset, nunquam tamen concidit: cùmque in publicis judiciis sæpissimè & accusatus esset, & accussasset, multos quidem reos peregit, ipse verò damnatus nunquam est. Habuit enim orationem vitæ suæ propugnaculum instrumentumque efficax, cui rectius quàm fortunæ ejus viri adscripseris, quod nihil præter dignitatem suam passus est: cùm & Aristoteli philosopho jam mortuo virium in persuadendo, tanquam magni momenti præter cæteras ejus viri dotes rei testimonium perhibuerit Antipater. LVI Iam in confesso illud est, præstantiorē civili nullam virtutem in hominem cadere. Hujus autem partem non exiguam esse in rei familiaris administratione positam plerique fatentur. civitas enim, corpus quoddam ex familiis conflatum cùm sit, & quasi summa earum: ita demū respublica valida est, si privatim res civium bene habeant. Quando Lycurgus etiam exterminato Sparta argento auroque, nomisma de ferro igni corrupto civibus constituens, de rei familiaris cura nequaquam detraxit suos: sed luxum, divitiasque parum sanas, & immodicas tollens, haud minus, quàm ullus quispiam alius legumlator, prospexit, ut omnibus rerum necessariarum & utilium esset copia existimans ad societatem civitatis hominem pauperem, & late opibusque destitutum nihilo tutius quàm divitem & opibus nimiis gravem admitti. Hac in re Cato non minorem familias, quàm reipub. administratione laudem videtur meruisse. Nam & ipse rem domesticam auxit, & multa ut aliaq; præcepta collegit, quibus alios ad agri & rei familiaris procurationem instruxit. *Administratio rei familiaris.*

LVII At verò Aristides paupertate sua justiciam quoque infamem fecit, ut quæ rem everteret, ad pauperiem redigeret, denique omnibus potius, quàm iis qui ea essent præditi, conduceret. Atqui multis Hesiodus nos ad justitiam cum rei familiaris cura conjungendam est cohortatus; ignaviam, ut injusticiæ causam, traducens. Rectè & hæc Homerus cecinit:

*Non operis etenim mihi, frugiferive laboris,*
*Augendæque rei, quæ dulcia pignora aluntur,*
*Cura fuit: studium lembis, remisq; dicaram,*
*Semper & horrifera ludum Mavortis amabam,*
*Spiculaque, & leves hastas, volucresq; sagittas.*

Ostendit enim eos qui rei familiaris studium omittunt, injustis rebus victum suum exercere. Neq; verum est, quemadmodum medicis autoribus oleum corporis externis partibus conducit plurimum, internis maximum damnum affert: ita justum aliis prodesse LVIII & res suas nihil curare. sed hac in parte ratio Aristidæ civilis manca fuit. Siquidem ita mortuus est, quod pleriq; tradiderunt, ut neque sibi de sepultura, neque filiabus de dote prospexerit. Vnde factum est, ut Catonis quidem usque in quartum gradum progenies prætores & consules suppeditarit: nepotes enim Catonis, eorumque filii summos Romæ magistratus obtinuerunt. At primi inter Græcos viri Aristidis posteros summa paupertas, ut somniis conjicien- *Oleum.*

dis

dis victum quærerent, coegit, alios ad stipem publicè petendam compulit neque ullum animum generis autore dignum gerere permisit. Quanquam hoc primùm in controversiam potest vocari. *De paupertate.* Pauperies enim per se turpis non est, sed indicium sit sit socordiæ, intemperantiæ, prodigalitatis, imprudentiæ. Viro autem tempe- LIX
ranti, laborioso, justo, forti, & qui omnibus virtutibus præditus in publico versatur, magni animi testimonium præbet. Non enim potest res magnas gerere, qui parva curat: neque multis indigentibus auxilium ferre, qui ipse multis opus habet. Neque dives, sed qui omnia in se sua posita habet viam ad remp. expeditam: is enim eò quod nullius privatim rei supervacaneæ indiget, ad publica negocia liberatur. Ipse quidem Deus simpliciter nulla re opus habet: in humana autem virtute id quàm maximè divinum est, & perfectissimum, quod ad suum usum paucissima requirit. Ac veluti corpus bono ad valetudinem temperamento præditum, neq; vestitum, neque alimentum curiosum desiderat: sic vita & domus bene instituta facilè quibuscunque facultatib. administratur. Sed & necessita- LX
ti respondere possessionem oportet. Itaque qui multa parat, paucis verò utitur, is ex sese aptus non potest dici: sed aut vanus est, siquidem ea quærit, quibus non opus habet: aut miser, si ob sordes animi non utitur partis. *Catonis reprehensio.* Libenter verò ex ipso Catone sic perconter: Si divitiis fruendum est, quid gloriaris te multa possidentem modicis uti? Sin præclarum est (& quidem ita res habet) pane quocunque vesci, & vinum idem cum operariis & servis bibere, purpuram domumque dealbatam non requirere: jam officio Aristides etiam, Epaminondas, Manius Curius, Cajus, Fabricius satisfecerunt, quarum rerum usum improbarent, earum etiam possessionem valere jubentes. Quid enim attinebat, virum, qui rapa suavissimum cibum duceret, eaque ipse elixaret, uxore simul farinam subigente, toties de asse nugari, & scribere quo quis opificio quamprimum ditescere? Etenim tenuitas, & in se omnia sua ponere, eo ipso nomine magna sunt, quod cupiditate simul & cura liberant rerum non necessariarum. Itaque in Calliæ judicio hoc dixisse Aristidem ajunt: Paupertatis pudere eos debere qui inviti eam ferant: laudi eam sibi ducere eos, qui (ut ipse) ultrò subirent. Ridiculum enim erat existimare, ob ignaviam Aristidem egestate laborare, cui licebat, nihil turpe agenti, spoliato uno barbaro, aut uno tentorio occupato, diviti esse. Verùm de his dictum est satis. *Imperia militaria utriusque.* Imperia Catonis rebus Roma- LXI
norum jam tum magnis nihil magni addiderunt: at in Aristide præturis, honestissima, clarissima, & prima Græcorum facinora memorantur, Marathon, Salamis, Platææ: neque potest meritò cum Xerxe Antiochus conferri, aut muri Hispanicarum urbium prorutæ, tam multis terra marique perditis barbarorum millibus. Quibus in rebus etsi Aristides virtute neminem habuit priorem, gloriam tamen & coronas, (quippe ut divitias etiam) iis, qui magis eas requirerent, concessit, quibus & omnibus erat ipse præstantior: Præterea

terea ut non reprehendo Catonis ubique sibi ipsi primas & indicantis jactantiam (quanquam ipse in quadam oratione dicit, proprias laudes non minus quàm convicia quæ sibi quis ipsi faciat, absurdas esse) perfectiore tamen mihi virtute præditus videtur, qui ne aliorum quidem laudationes requirit, & qui seipsum crebro collaudat. Vacuitas enim arrogantiæ magnum est ad mansuetudinem civilem viaticum: contra arrogantia molesta, plurimumque invidiæ procreans, & ab invidia tutus ideo prorsus fuit Aristides, Cato plurimæ obnoxius. Proinde Aristides in maximis rebus Themistoclem adjuvans, stipator quodammodo præturæ ejus, Athenas erexit. Cato Scipioni resistens, parum abfuit, quin ejus in Africam expeditionem intervertisset, qua victum ille Annibalem dejecit, denique identidem suspiciones aliquas & calumnias serendo, hunc ad extremum urbe expulit, fratremque ejus Lucium turpissima peculatûs damnatione circumvenit. Postremò quam pulcerrimis plurimisque assiduo laudibus extulit Cato pudicitiam; eam verè illibatam Aristides & purâ custodiit. Cato propter nuptias, præter dignitatem & ætatem suam contractas, neque parvam, neq; inanem in reprehensionē incidit. Nequaquam enim decebat eousq; provectum ætate, filio adulto, nuruiq; filiam ministri sui, ejus qui reipublicæ mercenariam operam locasset, supra cervicem inducere: & sive voluptatis causâ id fecerit, sive ira motus, ut de scorto in filium vindicaret, turpia & factum sunt, & prætextus. Quo enim usus est sermone, per jocum eludens juvenem, is verus non fuit. Si enim ejus similes bonos filios voluerat procreare, uxorē ducere ingenuam oportuit, re initio deliberata: non satis habere aliquandiu obscuræ meretricis concubitus, deinde cùm id deprehensum esset, socerum deligere, non eum cum quo affinitatem coire honestissimum esset, sed qui ejus voluntati libentissimè obsequeretur.

*Proprietas.*

*Inimicitia.*

LXII *Pudicitia.*

## IN CATONEM MAJOREM INTERpretis Annotationes.

*Catonem hunc majorem usitato more inscribo, ut ab Vticensi distinguam. Vocatur etiam* Censorius, *ob censuram. Et ab aliis, & sæpe à Plinio. Fuisse eum Tusculanum, cùm aliunde, tum ex oratione Ciceronis pro Plancio constat. Gentilitatem autem & seriem Catonum explicat Gellius lib. 13. cap. 18 quod dignū est, & utile etiam lectu. De ætate ejus paulo infra annotabimus. Floruit maximè tempore belli cum rege Antiocho, & circiter annum ab* V.C. IↃLX.

Cap. 2. Tanquam alterum corpus) *ὥσπερ ἕτερον σῶμα. quæ sequuntur τῶν καλῶν, virgula sunt distinguenda, ut intelligi possit esse dictum hoc:* orationem non modò necessariam, sed & in bonis ac in honestis per sese rebus facundiam esse, *εἶναι τῶν καλῶν, utpote quæ suapte natura καλὸν, ob usum ἀγαθὸν diceretur.*

Cap.

Cap. 4. M. Curii, ) Manius, *non* Marcus, *prænomen fuit Curii: quanquam & hic & sæpissime alibi* Marcus *libris pro* Manio *sit ab imperitis ingestus librariis. In comparatione & expressè & recte scribitur* μάνιος κούριος. *Triumphavit autem cùm alias, tum de rege Pyrrho, neque ter modò. sed quater, ut ex historiis ostendit Sigonius. Plutarchus ter modò triumphasse dicit, quod ovationem inter triumphos non retulit: ovavit autem, de victis Lucanis. Itaque Cicero etiam in libro de Senectute eum de Samnitibus, Sabinis ac Pyrrho triumphasse memorat, omissis Lucanis.*

ἐξωμίς. Cap. 6. Exomide.) ἐξωμίδα λαβών. *Etymon vocabuli ostendit, tunciam fuisse brevem, quæ brachia & manus nequaquam integeret, sed ab humeris desineret. Gellius lib. 7. cap. 12.* tunicam substrictam brevemq; citra humerum desinentem *interpretatur. Sex. Pompeius Festus ait, etiam comicum fuisse vestitum, exertis humeris. Locus Gellij huc multum facit. Sed & apud Suidam est,* ἐξωμίδα *vocem Atticam qua notetur tunica vilis, & quæ brachia non tegat.*

σατυρικὸς. Cap. 13. Dicax. ) *In Græco est* σατυρικός. Satyra *autem mordax fuit & falsum genus carminis, quod sale multo perfricaret homines: ut notum est. Sic autor in Pericle veteris comœdiæ scriptores,* σατυρικοὺς τοῖς βίοις *appellet, qui vitæ genus id sectarentur, quod in acerbè exagitandis hominibus versaretur. Cæterùm quod paulo ante verti* Vas ad sacrificia, *in Græco est* σποιδεῖον; *quod ita verti originis causa. potes etiam in genere pro* poculo *accipere. Statim:*

Ibid. Lysiæ potissimum. ) *Est apud Ciceronem hoc in Bruto.*

Cap. 15. Aut non multos esse dignos.) ἢ μὴ πολλοῦ τοὺς ἄρχειν πολλοὺς *est legendum, ut in Apophthegmatis legitur, alioqui sententiæ elegantia deperditur.*

Cap. 24 Persicæ circuitionis.) *Qua à Xerxe missus exercitus, Leonidam Thermopilas obtinentem circumvenit, Ephialte Maliense iter demonstrante. Nota est historia, & apud Herodotum copiosè descripta in Polymnia. legi autem* περιήλυσιν, *quia* περιήλησιν *ad rem nihil facit. mox,* ob arbores κατίνους, oleastros: *sed ego genus posui.*

Cap. 25. Firmanos.) φιρμιανοὺς. Firmianos. *Firmum Colonia fuit Romanorum, deducta initio primi belli Punici. Velleius volumine priore. Inde dicuntur* Firmani, *si recte legitur ( quod tamen & ratio videtur probare) apud Livium libr. 27. ubi horum fit mentio inter alios colonos: & apud Plin. 3. 13. qui in Piceno fuisse indicat. Quin & apud Cic.* Firmani *leguntur in 7. Philip. &* L. Tarutius Firmanus *in libris de Divinatione. Amiotus,* Formianiens *vertit, haud scio quid secutus.*

Cap. 29. Non multo minus quinquagies. ) *Quadragies & quater est apud Plinium 7. 27. & in lib. de Viris illustribus Dictum autem Catonis, quod continuò subjicitur, Pædianus in Scauriana, Valerius, ac Quintilianus Scauro tribuunt. sed idem duos aut complures dixisse, nihil habet absurdi. Statim:*

Ibid. Ser. Galbam nonagenarius. ) *In Græco est* σεργιλίου *mendose,*

*pro*

*pro* τερουίου. *Galba enim cognomentum est Sulpiciorum, quod vel ex Suetonij Galba pateret, si cæterorum deessent testimonia.* Sergius *autem nihil minus est quam prænomen, cum sit patriciæ familiæ nomen, quæ Catilinam protulit. Sed* Servius *prænomen est, & huic de quo agitur Servio Sulpicio Galbæ convenit. Is cùm prætor in Hispania Lusitanorum* XXX. *millia contra interpositam fidem interfecisset, a Catone est accusatus. Ex Cicerone, de claris oratoribus. & Suetonio quo dixi loco. Cæterùm eodem in libro Cicero a Plutarcho dissentit,* LXXXV. *annos natum Catonem è vita excessisse scribens, idq; Coss. L. Marcio,* M. *Manlio: qui in annum* V.C. DCV. *videntur competere; ut verum sit & quod Plinius libro* 29. *cap.* 1. *dicit, hoc eum anno obiisse, & quod ibidem Cicero scribit, eum mortuum* LXXXVI. *ante suum consulatum annis. Nam de ætate Catonis Plinius ei adsentit. Sed à Plutarcho stat Livius. Quod autem de tribus* Nestoris *ætatibus dicitur in Numa exposui.*

Cap. 35. Livius eum qui occisus sit. ) *Locus est lib.* 39. *sed & hæc tota narratio in T. Quinctio posita iterum est.*

Cap. 36. Publica. ) τὰς ἐργολαβίας. *Livius* ultro tributa *habet. Interpres* operarias *vertit: ut pleraque alia non satis diligenter. Intelliguntur enim ea quæ locabantur publicè, & à certis hominibus conducebantur.*

Cap. 41. Post tertiam Pauli filiam. ) *Supra in Aemilii vita est, jam tum Perseo bello generum eum habuisse hunc Catonis filium. quod moneo, ut illud* Post *non ita accipias, quasi post pugnam Persicam Cato filius tertiam duxerit: sed id vocabulum ad ea, quæ supra de educatione sunt dicta, referas. nisi hic aliud, aliud ibi scripsisse Plutarchum putes, quod non videtur opus esse. Neq; enim illos probo, qui ut ingeniosi & acuti videantur, quacunq; occasione arrepta, mendacia, errata & inconstantiam gravissimis scriptoribus objiciunt. Ego explicando potius aut (si omninò defendi non possint) excusando tueri ista debere quemvis gratum & candidum lectorem puto: nedum in scirpo nodum quærere.*

Cap. 45. Primosque eorum sermones C. Acilius. ) *Hic locus facit ad emendandos Gellij libros, in quibus lib.* 7. *cap.* 14. *hac de re sic legitur:* Et in senatum quidem introducti, interprete sunt usi Cæcilio senatore. *Legendum,* C. Acilio; *quod facile, sicut & mendæ occasio apparet. Quibus Coss. Romam venerint, non satis mihi constat. Oropus autem Attica urbs est, ad Euripũ sita, è regione Chalcidis Euboicæ. Hanc ad penuriam redacti bello Macedonico Athenienses cùm diripuissent injustè, à Sicyoniis (quibus à Græcis erat judicium permissum) multa eis quingentorum talentorum est irrogata: cujus deprecandæ causa Carneades cum reliquis Romam missi legati. Cætera apud Pausaniam quære, in Achaicis.* *Gellius emendatur.*

Ibid. Et ad filium Græcas litteras calumnians. ) Quandocunque, inquit, ista gens suas litteras dabit, omnia corrumpet. *Hæc & alia in hanc rem verba Catonis extant apud Plin. lib* 29. *c.* 1. *sicut & hæc*

*quæ*

*quæ de medicis sequuntur. Libet hoc loco de Miscellaneis nostris quædam decerpere, quibus ostendamus quid sint* Græcæ literæ. *Nam permulti, ijq; non ineruditi, dum adolescentes ad Græcæ linguæ addiscendæ studium pro officio exhortantur, Catonis illius Censorij exemplo movendos sibi putarent: atque adeò tam illustris viri imitatione permoveri posse. Quis enim alicujus frugis adolescens laborem discendæ Græcæ linguæ sibi supterfugiendum putaret, cui persuasum esset, Catonem istum provecta jam admodum ætate eum subivisse? De quo ne quis dubitaret, testem memini citari Ciceronem, qui hoc de Catone scripsisset. Ita boni isti adhortatores, dum Græcæ linguæ studium commendant (quod sanè debet esse omnibus solidam doctrinam appetentibus commendatissimum, multis quidem de causis) Latinæ linguæ parentis verba malè accipiunt. Scripsit enim Cicero & in eo libro, quem Catonis ipsius nomine insignivit, & in Lucullo, Catonem Græcas literas didicisse. Verùm id ut de linguæ & sermonis Græci usu accipiamus, non video qua ratione fieri possit. Plutarchus certè etiamnum juvenem Tarenti, quod tum à Fabio Maximò receptum erat, Nearcho Pythagoreo philosopho vacasse perhibet: cùm quidem ad id tempus vigesimumquartum ætatis annum non potuerit excessisse: & Græcum fuisse Nearchum constet. Idem scribit, non defuisse, qui ab eo Athenis Antiocho pulso jam, & Græcia à Romanis constituta, Græca oratione populum compellatum fuisse affirmarent, eamque circumferrent: quod ut verũ esse Plutarchus negat, ita satis apparet, nunquam confingi potuisse, ita uti crederetur; nisi præstari ea res a Catone quivisset. Et verò ultra quadragesimum perpaucos tum annos exegerat Cato: quod facilè intelliget, qui meminerit eum* XXCV. *annos natum è vita excessisse (anno* V. C. *ut Plinius libro* 29. *capite* 1. *annotavit,* IOCV.) *ac temporum rationes subduxerit. Est itaque aliud, his saltem locis litteras Græcas discere, aliud linguam Græcam discere: & sermonis Græci usu præditus esse potuit Cato, cùm Græcas litteras nesciret, atque odisset etiam & detestaretur. Ac proscitò ipsa Ciceronis verba docere eos poterant,* litteras *pro* disciplinis *sive* artibus *usurpari, ne quid à Plutarcho aut alijs scriptoribus petamus. Ita enim Cicero loquitur in præfatione primæ Tusculanæ.* Doctrina Græcia nos, & omni literarum genere superabat, *quid* litterarum? Poëtica, musica, geometria, adde etiam philosophia. *Quod ita intelligendum sequentia demonstrant. Atq; idem Cicero alibi,* L. *inquit,* Tarutius Firmanus familiaris noster, inprimis Chaldaicis literis eruditus &c. 2. *de divinatione, ita appellans* divinandi istam, quæ ex cœli & siderum conversionibus peti posse putabatur, scientiã, *quanquam alij ibi Chaldæis rationibus scripserint: quam rectè, hic non quæritur. Idem Lucullum suum* cùm omni literarum genere, tum Philosophiæ deditum fuisse scripsit, *paulo post de Catonis Græcarum litterarum studio dicturus: ut facilè attento homini fuerit videre, quid litteræ essent, & in præfatione de Oratore:* Post autem auditis

auditis oratoribus Græcis, cognitisque eorum litteris ( *de Romanis eloquentiæ studiosis loquitur, qui primum eam citra doctrinæ elegantiam affectassent*, adhibitisque doctoribus, incredibili quodam nostri homines dicendi studio flagraverunt. *Et post Antonius* se serò ait attigisse Græcas litteras. *Quod autem liberales istas, sive artes sive scientias sive disciplinas*, litterarum vocabulo indicatas à Philosophia *ibi ita distinguit, ut quasi opponat, id mirari debet nemo. Nam in errore tum plerique eo versabantur, ut vel eruditionem sine sapientiæ studio, vel hoc sine eruditione constare crederent: ita factum est, ut ij ferè modò Philosophari putarentur, qui aut naturam rerum perscrutarentur, aut de vita & moribus disputarent. reliqui* litterati eruditi, doctique, *non item* Philosophi *haberentur. Hinc illud Ciceronis in Pisonem, de Græco ejus sodali*: Est autem hic, de quo loquor, non philosophia solum, sed etiam litteris, quod ferè cæteros Epicureos negligere dicunt, perpolitus. *Quin & hodie inter* φιλολογίαν *&* φιλοσοφίαν *eodem modò distingui videmus: ne dicam non paucos* καὶ ἀφιλολογήτους καὶ ἀφιλοσοφήτους *sibi divinarum rerum, legum tum publicarum permultos, ac rei medicæ etiam tractationem sumere. In senectute ergo* Cato *non linguam Græcam didicit, sed eas litteras, eas artes, sive disciplinas, amplexus est, iisque se excoluit, quas suo judicio juvenis, imò & vir, & jam ad senium vergens non neglexerat modò, sed & contempserat: ut in annotationibus etiam nostris in ejus vitam, Plinio teste, docuimus. Cætera inde repetent qui volent. Obiter etiam hoc addam, à nostro & aliis scriptoribus passim* ἱερὰ γράμματα *vocari* sacras litteras: *non profectò tam characterum quoddam genus quales sunt hieroglyphici Aegyptiorum, quàm Theologiæ istius & rerum sacrarum cognitionem. Quin & hoc notum est* γραμματεῖς *non vocari qui vocabula tenerent, sed qui res summas, etiam civitatum intelligerent atq; procurarent. Cætera alibi. Vnum hoc addam, satis validum & perspicuum, quod est in fine Crassi apud nostrum.* ἦν γὰρ ὅτε φωνεῖς ὅτε γραμμάτων ὁ Ὀρώδης ἐλληνικῶν ἄπειρος. *An, si* lingua Græca & litteræ Græcæ *idem essent, sic locuturus erat Plutarchus?*

Cap. 52. Solus habet mentem. ) *Versiculus est Homeri ex lib. 10. Vlyssea, 495. de Tiresia, qui solus inter omnes umbras apud inferos saperet. Ita Cato reliquos nihil esse, nisi umbras ducum existimabat, si cum Scipione Aemiliano conferrentur. Mox:*

Ibid. Catonis philosophi.) *Ejus qui Vticensis, idem & Minor dicitur: cujus vita suo loco sequitur.*

## IN COMPARATIONEM ANNOTATA.

Cap. 57. Multis Hesiodus.) *In opere de Agricultura*, Homeri *versus sunt lib. Vlyssea ξ. 222.*

Cap. 60. Quibus opus non habet.) ὧν οὐκ ὀρέγεται, οὐκ *omisi: puto enim redundare, & sensui obesse.*

# PLVTARCHI PHILOPOEMEN, GVILIELMO Xylandro, Augustano, interprete.

*Educatio Philopœmenis.*

FVIT quidam Mantineæ Casander, genere ac potentia inter cives primo loco: is adversa fortuna solum vertere coactus Megalopolim se contulit, fretus præsertim Crausidis (patet hic fuit Philopœmenis) familiaritate, viri multis nominibus præstantissimi. Eo vivente cùm nihil desideraret Casander, ut hospitalitatis ei mercedem persolveret, filium defuncti Philopœmenem pupillum educavit: (quemadmodum Homerus Achillem à Phœnice educatum scribit) in quo erat jam inde ab initio generosa & regia indoles, quæ & fingi & augeri se facilè pateretur. Vt ex ephebis excessit Philopœmen, Casandro in ejus cura gerenda Ecdemus & Demophanes Megalopolitani successerunt, qui & cum Arcusilao in Academia erant versati, & philosophia ad rempublicam & actiones traducenda sui temporis hominibus præstabant. Hi & submissis occultè Aristodemo percussoribus patriam suam tyrannide liberârunt: & Aratum in ejiciendo Nicocle Sicyoniorum tyranno adjuverunt, & à Cyrenæis, quorum perturbata erat atque laborabat respublica, advocati, Cyrenam navigarunt, ibique & leges sanxerunt, & civitatem optimo ordine constituerunt. Inter alia sua negocia isti Philopœmenis quoque institutionem habuerunt, virum istum communi bono toti Græciæ futurum philosophiæ præceptis formantes. Etenim hunc quasi in senectute post antiquos illos & virtutibus claros duces cùm periisset Græcia, impensè dilexit, suoque judicio potentiam ejus auxit. Et quidam Romanus eum laudans, *ultimum Græcorum* appellavit: quasi post hunc neminem Græcia magnum, seque ipsa dignum virum protulisset. I

*Forma.*

Forma fuit non (ut quidam putant, turpis: exstat enim ejus etiamnum Delphis imago. II

*Philopœmen pro servo habitus ab hospita.*

Facilitas ipsius & simplicitas errori hospitæ istius Megarensis causam præbuit. Ea cùm fortè marito domo absente accepisset ducem Achæorum ad se venire, non sine tumultu & trepidatione erat in cœna apparanda occupata. Interim Philopœmenem ingressum in ædes, pallio vili amictum videns famulorum aliquem aut præcursorem rata esse, monuit ut se adornanda cœna juvaret. Isque statim, abjecta lacerna, ligna cœpit findere. Hospes ut domum reversus id vidit: Quid hoc, inquit, ô Philopœmen, rei est? Quid aliud, respondit Dorico sermone ille, nisi deformitatis pœnas luo? Cæterùm corporis habitum Titus Quinctius subsannans: Pulchras, inquit, ô Philopœmen, manus & pedes habes, ventrem non habes. Erat sanè medio corpore gracilior, sed id dictum ad facultates potius ejus respexit: quod bono peditatu, bonoque equitatu instructus, sæpe pecunia indigeret.

*Ingenium & studia Philopœmenis.*

Hæc ita in confabulationibus de eo dicuntur. Porrò in gloriæ studio non fuit omnino ab ira & contentione purus. Sed cùm maximè imitandum sibi Epaminondam delegisset, strenuitatem ejus, prudenIII

dentiam & pecuniæ contemptum admodum expressit: animi autem lenitatem, gravitatem, humanitatemque in dissensionibus civilibus tueri cùm nequiret, propter iracundiam & contendendi studium, bellicæ magis quàm civili virtuti deditus videbatur. Et quidem statim à puero, militaris rei studiosus, omnia quæ ad eam facerent magna alacritate didicit: ut in armis pedes dimicare, equitare. Cúmque etiam in palæstra probaretur, & ad athleticam cohortarentur amici quidam atque tutores, percontatus est, nihilne ea militari exercitationi esset obfutura. Illi autem id quod res erat dicentibus: corpus & vitam athletarum omnino à militari habitu differre, præcipuè autem diversam esse victus & exercitationum rationē: (quippe athletas multo somno, continentibus repletionibus, statim & motibus & quietibus habitum corporis suum augere & tueri, cui omni momento & consuetudinis neglectu periculū mutationis imminet: in militari diætâ omni esse errori, omni inæqualitati locum, præsertim autem facilè eam & cibo potuque carere consuevisse, & ferre omnium) his auditis non modò ipse athleticam fugit & derisit; sed & postmodò dux factus ignominiis & contumeliis propositis, quantum in ipso fuit, totam sustulit: ut quæ corpora ad necessaria certamina alioquin aptissima, inutilia redderet. Postquam sub præceptoribus esse & pædagogis desiit, in expeditionibus civium, quas prædæ avertendæ causa in Laconicam faciebant, primus, in reditu postremus ut esset, se adsuefecit. In ocio, aut venatu corpus exercuit, simulque & agile & robustum effecit: aut agricultura. Habebat rus commodum, viginti ab urbe stadiis: eo quotidie à prandio aut à cœna cōmeabat, & ut unus de operariorum numero, vilissimo super herbaceo toro decumbens quiescebat. Mane surgens, vinitores aut aratores in opere faciendo adjuvabat: unde in urbem reversus, cum amicis & magistratibus negociis publicis vacabat: Bello parta, in equos, arma, & redimendos captivos impendebat. Rem familiarem justissimo quæstu agriculturæ augere intendit: nequaquam enim hoc putavit negligendum, sed omninò eum, qui alienis velit abstinere, propria bona possidere oportere censuit. Auditorem se præbuit, legitque scripta philosophorum: non omnium, sed eorum quos ad virtutem aliquid sibi conferre judicabat: & Homerica ea coluit, quibus cogitationes de fortitudine excitari & instigari sentiebat. De reliquis libris Evangeli præsertim de ordinibus militaribus operi studuit: & historiam Alexandri tenuit: quod sermones istos ad res ipsas pertinere existimaret, nisi si quid ocii causa & inutili loquacitate esset confectum. In contemplationibus verò de ordinibus militaribus, descriptionibus tabularum repudiatis, ipse in locis singula observavit, & deprehendit studiosè: & in profectionibus ipse locorum editorum cavitates, camporum intercapedines, tum quæ agmini propter rivos, fossas, aut angustias itinerum divulso aut in arctum contracto acciderent inspexit atque perpendit, & cum comitibus ea de re disputavit:

*Athletica qualis?*

IV *Exercitationes ejus.*

V *Quæstus.*

*Lectio.*

tavit. Videtur enim vir ille rebus militaribus etiam plusquàm necessitas postularet studii impendisse, bellicæ rei impense deditus, quam ut maximè variam materiam sibi delegisset, & planè contemneret, proque ignavis haberet, qui eam non colerent. Cùm tri- VI
ginta jam esset annos natus, Cleomenes Spartanorum rex noctu subitò adortus Megalopolim, oppressis vigilibus in urbem pervenit, & forum occupavit. Ibi Philopœmen auxilium ferens patriæ, etsi acriter & audacter depugnaret, pellere tamen urbe hostes non valuit; cives autem ut ex urbe possent aufugere, effecit, insequentibus hostibus se objiciens, Cleomenemque detinens. Itaque postremus ipse ægrè admodum discessit, equo amisso, acceptoque vulnere. Cleomenes verò Megalopolitanis, qui Messenem concesserant, misso eo nuncio urbem, bona, & agros, se restituere promisit. Id cùm accipere libenter cives suos, & reditum expetere animadverteret Philopœmen, obstitit: docuitque, non urbem à Cleomene reddi, sed cives eum velle suos facere, ut eo certius urbe potiretur: neque posse eum domos & muros vacuos custodire desidentem ibi, sed ob civium defectum ea ipsa amissurum. Hac quidem oratione cives permovit. Cleomenes verò eam occasionem habuit ut plerisque urbis partibus vastatis & dejectis, ingenti potitus præda abiret. Post Antigonus rex cum Achæis adversus Cleomenem expeditionem fecit. Insederat Cleomenes montes & transitus apud Sellasiam: itaque VII
Antigonus castra eò admovit, viq; oppugnare hostem statuit. Erat tum in equitatu Philopœmen cum suis civibus: additi his erant Illyrii, multi & pugnaces, quibus extrema acies stiparetur. Mandatum his erat, ut in subsidio locati, signum rei gerendæ quieti exspectarent: id erat puniceum pallium, à rege in sarissa elevatum apud cornu alterum. Sed cùm duces Illyriorum opera pellere Lacedæmonios conarentur, & Achæi, ut erant jussi, in ordinibus suis se continerent, Euclides frater Cleomenis hostium copias à se invicem divulsas cernens, statim expeditissimos levis armaturæ pedites immisit, qui Illyrios ab equitatu divulsos à tergo adorirentur, & retrò averterent. Cùm hoc ageretur, distiaherenturque & perturbarentur Illyrii: Philopœmen animadverso non esse magni rem negotii levis istam armaturæ manum hostilem circumvenire, idque ipsam occasionem monere, consilium hoc regis ducibus indicavit. Vbi non probavit hoc ipsis, sed pro insano habitus & contemptus est, neque enim ea tum temporis ipsius erat existimatio, ut tanta ei res crederetur) cuneo civium suorum facto in hostes irrupit primoque trepidationem, post fugam etiam, & multam peditum istorum cædem fecit. Tum, ut magis adhuc regium exercitum contineret, cele- VIII
riterque cum hoste perturbato congrederetur, dimisso equo, in loco obliquo & crebris rivis atque vallibus interrupto, armatura equestri & gravi depugnavit magna cum difficultate: Interim utrunque femur ei telo amentato transfigitur; fuitque is ictus non lethalis quidem, sed tamen ita validus, ut per utrunque femur cuspis teli

*Megalopoli capta.*

*Philopœmenis constantia.*

*Pugna ad Sellasiam.*

*Philopœmen graviter saucietur.*

exacto

exacto sit. Itaque primum veluti vinculo adstrictus, pessime habebat. Etenim annulus, cui amentum insertur, efficiebat, ut difficulter extrahi ex vulneribus telum posset; & cùm qui aderant, cunctarentur eripere, ferveretque admodum pugna, animo jam ardens, proeliique cupiditate glisens, motu pedum atque agitatione alterna fracto per medium hastili, utrumque frustrum seorsim jussit eximi: itaque liberatus, stricto gladio per primos ordines ad hostem accessit, magna, inter suos alacritate, imitandæque virtutis ardore excita-

IX to. Sanè parta victoria Antigonus, ut periculum sententiæ Macedonum faceret, quæsivit cui injussu suo equitatum commovissent; & respondentibus coactos fuisse præter animi sententiam cum hostibus congredi, quod adolescentulus Megalopolitanus prior in eos impetum dedisset, subridens: Ego, inquit, adolescentulus magni munus ducis obivi. Gloriosum hoc fuit, ut debuit, Philopœmeni. Sed cùm Antigonus ipsum suo in exercitu habere percuperet, atque imperium simul & pecuniam deferret, recusavit: præcipuè, quia natura se ad parendum difficilem sentiret. Otium tamen & desidiam non admittens, rei bellicæ exercendæ & meditandæ causa in Cretam militatum navigavit, & ibi diu multumque inter fortes & belli variis modis gerendi peritos, nec non temperantes & tenui vitæ ratione contentos homines exercitatus, tanta ad Achæos cum gloria re-

X diit ut statim magister equitum sit creatus. Ibi cùm videret, equites, si bellum incidisset, proximè oblato quovis vel vilissimo equo uti, & plerosque militiam subterfugientes alios suo loco emittere, summam autem omnium esse & imperitiam & timiditatem: porrò semper hoc mali à prætoribus neglectum fuisse, quod equitum summa esset apud Achæos potentia, jusque honores & pœnas tribuendi haberent. his animadversis nequaquam cessit aut institutum dimisit, sed circùm urbes profectus, viritim etiam juvenes ad honestæ gloriæ studium cohortatus, punitisque iis qui digni erant, exercitationibus deinde, decursionibus, & quæ plurimis spectatoribus committerentur certaminibus institutis, modico tempore mirabile robur, miramque alacritatem omnibus indidit; &, quod erat in ordinando equitum agmine summum, ita eos agiles & celeres reddidit, itaque ad turmatim se convertendum & obequitandum, equosque singulatim retorquendum & circumegendum adsuefecit, ut totius equitatus conversio unius alicujus corporis motui voluntario simi-

XI lis esset. Cùm acriter cum suis contra Eleos & Ætolos ad Larissum fluvium dimicaret, dux equitatus Elei Damophantus ante alios provectus, admisso equo in ipsum irruit: verùm hic impetum substitit, priorque hasta ictum Damophantem dejecit: cujus casum statim hostium fuga est subsecuta. Ex illo Philopœmen magni esse nominis, quo neque manu juvenis, neque consilio seniorum aliquis esset promptior, quique esset & ducendo copias, & pugnando utilissimus. Enimverò Achæorum res Aratus primus omnium ad dignitatem & potentiam evexit, primusque de abjectis & dissipatis per

*Antigoni de eo judicium.*

*Equitatus Achæorum à Philopœmene correctus.*

*Philopœmenis de Eleo & Damophanto victoria.*

urbes in unum reipublicæ Græcæ & civilis corpus conduxit. Deinde, veluti in aqua ubi primum exigua quædam & non multa corpora subsiderunt, statim quæ deinde ad ea, quæ primo inhæsere, defluunt, ipsa quoque una figuntur, solidumque ea ratione mutuo aggerem constituunt: sic cùm Græcia eo tempore imbecillis atque dissolutu facilis esset, urbibus singulatim coalescentibus, primum Achæi in unum coiêre: post ii urbes circumsitas partim auxilia ferendo, easque in ejiciendis tyrannis adjuvando, partim concordia & reipublicæ societate sibi conjungendo, totam Peloponnesum in unum corpus, unicumque imperium conflare cogitabant. Veruntamen XII quamdiu Aratus vixit, Macedonum adhuc armis pleraque committebant, Ptolemæum colentes, tum Antigonum & Philippum, qui mediis in negociis Græcorum versabantur. Postquàm ad Philopœmenem summa rerum delata est, cùm jam viribus suis pares ipsi essent etiam potentissimo cuique, aliunde adscitis ducibus uti desierunt. Aratus enim quia ad bellica certamina segnior videbatur, pleraque res colloquiis, mansuetudine & amicitiis regnum perfecit: ut in vita ejus scriptum est. At Philopœmen, egregius bellator, & armis efficax, neque non suis conatibus fortunam benignam sentiens, primis statim prœliis Achæorum & potentiam auxit, & animos: cùm eos jam secum vincere, & plerisque ex certaminibus superiores discedere condocefecisset. Primùm instruendæ aciei, & XIII armaturæ rationem, quæ vitiosa apud Achæos erant, emendavit. Vtebantur scutis nimis levibus, & quæ angustiora essent, quàm ut tegendo corpori sufficerent: hastis etiam longè, quàm sunt sarissæ, minoribus. Itaque propter armorum levitatem, eminus erant pugnaces & fortes: comminus autem congressi, deteriori erant conditione. Figura & ordines aciei non erant secundum cohortes instructi, sed phalange utebantur, quæ neque à fronte munita esset neq; ad agendam testudinem apta, ut est Macedonica. Itaque facilè pellebantur aut divellebantur. Philopœmen pro scuto & hasta, clypeo uti & sarissa jussit, utque galeis, loricis, & ocreis muniti, pro cursoria & levis armaturæ propria pugna statariam & pede fixo commissam exercerent. Hoc modo cùm persuasisset, ut in, qui ætate erant integra armarentur, primùm ad eam spem erexit, invictum fore eum exercitum: deinde luxum eorum optimè correxit, tollere enim prorsus nequibat, cùm jam inveterata esset stulta & inanis æmulatio, vestes sumtuosas, & purpurea stragula certatim mensasque pretiosas ad cœnas splendidas expetentium. Ipse à rebus supervacaneis eo splen- XIV dore ad utiles & honestas traducto, facilè effecit, ut quotidianis in curando corpore impendiis imminutis, militaribus instrumentis exornandis se darent. Erat videre officinas, plenas calicum & vasorum quæ conciderentur, thoracum, qui inaurarentur, & scutorum, frænorumque, quæ argento obducerentur; circi repleti erant equorum pullis domandis, & juvenibus qui in armis decertabant: in manibus mulierum galeæ quæ exornarentur, tinctura tunicarum equestrium,

*Armaturæ & aciei instruendæ rationem Philopœmen corrigit.*

*Luxus à victu in militiam translatus.*

strium, & pedestrium chlamydum picturæ. Ipsæ autem adspectus ille audaciam augebat, animosque incitabat, promptosque ad pericula adeunda & cupidos reddebat. Cæteris enim in spectaculis luxus ad luxuriam invitat, animosque intuentium emollit, cùm sensuum quasi punctione & titillatione animus frangitur. At in his tebus animum obtutus confirmat, augetque: sicuti Homerus Achillem in lucit proposita ante oculos novis armis, ardore quodam inflammatum ad usum eorum se concitare. Sic exornatam juventutem Philopœmen exercitationibus erudiit, ut in acie moveri celeriter scirent, præceptis ejus studiosè obtemperantes. nam ordo mirificè eis probabatur quo ita densabatur acies, ut perrumpi non posse videretur: & armis corpora facilè adsuescebant, eaque pulchritudo & splendor facilia redigebat, ut rem jam nunc gerere omnes, & cum hostibus decernere prœlio quamprimùm cuperent. Erat eo tempore Achæis cum Machanidam Lacedæmoniorum tyrannum bellum: qui magnis fretus copiis omnibus Peloponnesiis insidiabatur. Itaque simul atque renunciatum est, eum ad Mantineam accessisse, statim adversus eum duxit Philopœmen. Adversas acies propè ipsam urbem instruxerunt, multis utrinque mercenariis militibus, & omnibus suorum civium copiis. Initio prœlio Machanidæ mercenarii primam Achæorum aciem quæ ex velitibus & Tarentinis constabat, pepulerunt: cúmque jam rectà in hostes irruendum, ordinesque eorum perrumpendi essent, omisso eo Machanidas ad insequendum fusos mercenarios hostium se contulit, estque Achæorum, qui ordines suos servabant, phalangem ita prætervectus. Philopœmen dissimulato, quod initio pugnæ erat acceptum, damno, tametsi id videretur ad certam perniciem rerum suarum spectare, errorem hostium in persequendo intelligens, qui à sua sse phalange divellissent, locumque vacuum reliquissent, nequaquam insequentibus suos obviam iit, sed passus eos provehi insequendo, magnumque inter eos & aciem Lacedæmoniorum fieri intervallum; ita demum à latere in istam impetum fecit, nudatam suis, destitutamque à duce, neque pugnam exspectantem: quippe Machanidam insequi fugientes hostes cernentes, planè eum victoria potitum putabant. Fusa igitur per multam cædem, (nam ad quatuor millia occidisse traditur) Lacedæmoniorum phalange, Machanidæ cum mercenariis ab insecutione revertenti obviam ivit. Fossa fuit in medio magna & profunda: ad eam uterque dux venit. alter fugam ea superata quærens, alter id impedire volens: eratque is aspectus non imperatorum pugnantium, sed ferarum necessitate ad vires excedendas compulsarum, Philopœmene venatore acri instante. Hic tyranni equus, robustus & ferox, & utrinque calcaribus saucius transire fossam aggressus, pectore admoto, anteriores pedes trans eam statuere omni robore intendit. Interim Simmias & Polyænus, qui in prœlio semper cum Philopœmene erant, eumque armis tegebant, accurrentes infestis hastis se objecerunt. Prævenit tamen Philopœmen Machanidæ occurrens, equumque

*Ornamenta armorum utilia.*

*Ut Machanidam vicerit, & occiderit.*

*Simmias, Polyænus.*

ejus, ut elevare à pectore caput videt, suo paululùm ad latus flexo, conto ad ictum punctim inferendum aptato, ita percussit tyrannum, ut eum impetu ictum prosecutus everterit. Hanc ad formam ænea posita est statua Philopœmenis apud Delphos ab Achæis, qui maximè & factum id, & belli administrationem istam admirabantur. XVIII

*Philopœmenis gloria in ludicro Nemeo.*

Fertur ludis Nemeis commissis, cum prætor iterum esset, neque multum ab ejus ad Mantineam victoria temporis effluxisset, alioquin festivitatis ejus causa ociosus, primùm Græcis phalangem instructam ostentasse, quæ motus suos ordinarios agilitate & vi egregia obiret: deinde citharœdis certantibus ingressum in theatrum stipatum juvenibus qui paludamentis, & subuculis puniceis induti, corporis habitu florentes omnes, & ætate æquales, multam imperatoris sui reverentiam, conceptosque ex multis & præclaris certaminibus spiritus ea ætate dignos demonstrarent. His modò ingressis, forte quadam Pyladem citharœdum Persas Timothei cantare cœpisse, hoc quidem initio:

*Græcos ornavit qui libertate celebri:*

eoque vocis claritatem ad ipsius carminis majestatem decore adjungente, omnium undique in theatro oculos in Philopœmenem fuisse conjectos, editumque lætum applausum: Græcis tum antiquam dignitatem spe nova revocantibus in memoriam, animique fiducia proximè ad pristinos illos spiritus majorum accedentibus. Porrò quemadmodum equulei sessores, quibus adsuevere, desiderant, alios autem nacti ægre ferunt, & trepidant: sic Achæorum exercitus quoties ad pugnam & pericula subeunda ventum est, aliis sub ducibus languebat, & ad Philopœmenem respiciebat: eoque solùm viso, fiducia ducis statim erigebatur, rem strenuè gerebat. Senserunt & adversarii, uni huic duci se pares non esse, nomenque ejus & existimationem metuerunt: quod manifestum ex eorum est factis. Philippus enim Macedonum rex, quod sublato Philopœmene censeret se iterum sua in potestate Achæos habiturum, ubi sit Argos qui eum occultè necarent, quibus quidem insidiis patefactis, in summum odium Græcorum incidit. Bœoti autem cùm oppugnarent Megaram, capturosque se jamjam putarent, subitò eoque vano rumore ad eos allato, Philopœmenem auxilio obsessis venientem propè adesse, scalas jam muris admotas relinquentes aufugerunt. Quo tempore Nabis, qui post Machanidam tyrannidem in Lacedæmonios obtinuit, subitò Messenem cepit, privatus vivebat Philopœmen, nullasque habebat sub se copias. Verùm ubi frustra conatus fuit Lysippo Achæorum tum prætori persuadere, ut Messeniis opem ferret, quod is actum jam esse de urbe diceret ab hostibus occupata: ipse assumtis civibus auxilium tulit. Neque enim expectabant ii, dum aut lex ferretur, aut is dux deligeretur, sed (ut & natura comparatum) præstantioris imperio sponte obsequebantur. Nabis autem audito eum in propinquo esse, tamesi castra in urbe haberet, non tamen ejus adventum sustinuit, sed alia porta digressus celeriter

XIX

*Megarica obsidio.*

*Messenam a Navide captam Philopœmen liberat.*

XX

suos

suos abduxit, in parte felicitatis ponens, si effugisset: itaque effugit ille, & liberata est Messenæ. Hæc Philopœmeni laudi tribuuntur.

XX: Quod autem denuo in Cretam rogatu Gortyniorum, qui tum bello occupati, eum ducem petebant, abiit, id in reprehensionem incidit: quippe cùm patriam ipsius Nabis bello premeret, ipse vel pugnam subterfugiens vel intempestivè aliis gratificans aberat. Et quidem ita continenter illo tempore oppugnabantur Megalopolitæ, ut intra muros omninò compulsi habitarent, vicosque consererent, agro ademto, hostibusque penè in ipsis portis castra habentibus. At Philopœmen trans mare bellum gerens apud Cretenses, calumniandi occasionem inimicis præbebat, quod domesticum fugeret bellum. Erant qui dicerent, cùm alios Achivi prætores creassent, privatum Philopœmenem ocium suum Gortyniis, imperatorem se poscentibus accommodasse. Erat enim ab ocio alienus, & ut alias res usu comparatas, ita bellicam & imperatoriam facultatem semper in usu habere statuerat: quod eo dicto declaravit, quod de Rege Ptolemæo extulit. Eum enim cùm quidam laudarent, quod exercitum quotidie exerceret præclarè, corpusque suum in armis egregiè ab bellicos labores adsuefaceret: Quis verò, inquit, regem miretur, qui tam magno natu meditatur adhuc, nihil profert? Cæterùm Megalopolitæ graviter absentiam Philopœmenis ferentes, proditosque se judicantes, statuerunt eum exsulio mulctare: Achæi obstiterunt, Aristænetumque iis ducem miserunt: qui, tametsi de reipubl. administratione non conveniret ei cum Philopœmene, damnationem nihilominus eam perfici non est passus. Exinde neglectus à civibus Philopœmen, multos circumjacentium pagorum, ut deficerent ab urbe, movit, docuitque eos dicere, antiquitus se non fuisse juris Megalopolitarum: dicentibusque apertè adstipulatus est, patriamque apud Achæos factionibus à se concitatis læsit. Verùm hæc postea temporis facta sunt. In Creta autem pro Gortyniis bellum non ut Peloponnesius homo aut Arcas simpliciter & ingenuo Marte gessit, sed moribus Cretensium adscitis, ipsorumque contrà ipsos usus artibus & fraudibus, rapinis & insidiis exercendis pueros hoc in genere eos ostendit esse, qui vanis, & quæ adversus bellandi veram peritiam nihil possent, astutiis uterentur. His rebus cùm admirationem sui excitasset, gloriaque illustris in Peloponnesum revertisset, Philippum à Tito Quinctio Flaminino debellatum, bellumque Nabidi à Romanis & Achæis factum offendit. Contra quem dux statim electus, navali prœlio decertare ausus, idem quod olim Epaminondæ evenerat, expertus est: nam in mari cùm minus prosperè pugnasset, multum de virtutis suæ gloria abjecit. Quanquam Epaminondam quidem sunt qui affirment ægrè passum, ut rem navalem cives sui periclitarentur: veritum, ne (quod est apud Platonem) imprudentes ex pedestribus & stabilibus pugnatoribus in nautas degenerarent: itaque consultò nulla re gesta ex Asia & insulis discessisse. Contrà Philopœmen scientiam belli in terra gerendi suffectu-

*Philopœmen in Creta militat, rebus patriæ afflictis.*

*Megalopolitæ bello pressi.*

*Excusatio.*

*Dictum eius de Ptolemæo bellum parante.*

*Artes Cretensium à Philopœmene superatæ.*

ram etiam ad Naumachias bene conficiendas sibi persuadens, sensit, in exercitatione quanta pars esset artis posita, quantumque omnibus in rebus peritia virium adderet. Non enim in pugna tantum navali inferior fuit propter imperitiam: sed & navim ut vetustam ita nobilem quandam post quadragesimum annum in mare deduxit, atque oneravit viris: ita ut, pondus illa non ferente, in periculum cives devenerint. Ob hæc se ab hostibus contemni intel- XXIV
ligens, qui cum plane è mari aufugisse rati, superbè Gythium oppugnabant, subitò illis nihil tale exspectantibus, sed propter victoriam securè agentibus, advectus classe, nocte expositis militibus, igne injecto tabernaculis castra hostium cum multorum exitio combussit. Paucis post diebus in itinere cùm subitò in angustiis quibusdam Nabis ei supervenisset, terruissetque Achæos, qui spem salutis in loco iniquo, & ab hostibus occupato nullam videbant: paululùm fixo gressu, locique perlustrata natura, in summis rei bellicæ artibus esse eam, quæ ordines instruendi rationem docet, demonstravit: ea enim fretus, modica admodum phalangis suæ commotione, qua ad necessitatem præsentem eam accommodaret, nulla vel trepidatione vel negocio difficultatem istam superavit, hostesque aggressus magna clade affecit. Et quia hostes non ad urbem fuga contendere, sed hinc inde per regionem istam, quæ tota sylvestris, collibusque cincta, & propter rivos atque convalles equitatui invia erat, dissipari sentiebat, ab insecutione abstinuit, anteque occasum solis castra posuit. Conjiciens verò cives à fuga singulos aut binos ad urbem ituros sub noctem, multos Achæorum gladiis armatos in insidiis sub tumulos & rivos, qui sunt ad urbem, locavit. Hoc modo plurimi Nabidis milites sunt interfecti: quia enim non agmine ibant, sed singuli, ut ex fuga redire casu obtigerat, apud urbem in hostium milites avium modo incidentes perierunt. Propter hæc à Græcis XXV
charus habitus, & in theatris magnifice honoratus, Titum Flamininum, virum honoris cupidum occultè urebat. Hic enim & quia Romanus esset consul, majori se debere in admiratione haberi ab Achæis, quàm Arcadem, censebat: & beneficium suum (quippe qui uno edicto totam Græciam, quantum ejus Philippo & Macedonibus servierat, in libertatem asseruisset) longè illius meritis esse amplius arbitrabatur. Secundùm hæc bellum cum Nabide Quinctius composuit: Nabis ab Ætolis per fraudem cæditur. Rebus ergo Lacedæmone turbatis; Philopœmen arrepta occasione cum exercitu accurrit, Spartanisque partim invitis, partim in suam sententiam adductis urbem capit, Achæorumque reipublicæ inserit. Id verò facinus mirificè gloriam ejus apud Achæos illustravit, quibus tantæ auctoritatis atque potentiæ urbem adjecisset: neque enim parum erat, Spartam Achaiæ partem fieri. Optimi quoque Lacedæmoniorum ipsi accesserunt, custodem se eum libertatis habituros rati. Itaque etiam domum & facultates Nabidis cùm vendidissent, & centum ac viginti talenta inde coegissent, statuerunt eam illi pecuniam,

*Castra hostium Philopœmen comburit.*

*Stratagema.*

*Æmulatio inter Philopœmenem & Quinctium.*

*Sparta à Philopœmene Achæorum societati adducta.*

XX cuniam, missa ad hoc legatione, dono dare. Tum verò integritas
VI viri effulsit, qui non videretur modò, sed esset etiam optimus. Primò enim nullus fuit Spartanorum, qui cum eo viro de accipiendo donó colloqui vellet, sed omnes munus illud metuentes atque subterfugientes, hospiti Philopœmenis Timolao negocium mandaverunt. Et verò Timolaus ut Megalopolim venit, convivio acceptus à Philopœmene, cùm ejus in conversando gravitatem, victus frugalitatem eosque mores perspexit, qui neque adiri pecunia, neque capi facilè possent, doni mentionem nullam fecit: sed alia sui adventus causa prolata, re infecta domum rediit: Iterum deinde misso ideo accidit. Tertiò profectus, vixque ausus colloqui, studium tandem civitatis erga ipsum expositi. Philopœmen delectatus eo judicio, ipsi Spartam se contulit: ibi civibus consilium dedit, ne bonos animos viros vellent muneribus delinire, qui gratis virtutem suam ipsis utilem darent: malos potius, & qui in curia civitatem factionibus exagitarent, ea pecunia redimerent & corrumperent, doniique eorum ea obtinerent, quo minus ab iis esset turbatum: præstare enim licentiam inimicorum, quàm amicorū libertatem tollere. Tam alto

*Usus donorum & corruptela.*

XX Philopœmen animo pecuniam sprevit. Cùm verò Diophanes A-
VII chæorum dux audivisset, Lacedæmonios consilia novandarū rerum agitare: eosque punire vellet, ii contra bellum molientes Peloponnesum conturbarent: placare Diophanem, iramque ejus mitigare conatus est Philopœmen, eam esse temporis istius conditionem docens, ut, quia Antiochus & Romani magnis copiis in Græcia bellum gererent, eò præsertim principi sit respiciendum, potiusque dissimulanda quædam suorum peccata, quàm res domesticæ commovendæ. id consilium cùm non admitteret Diophanes, sed adscito in societatem Quinctio, statim in Laconicum agrum invaderet, rectáque ad urbem duceret: indignatione motus Philopœmen, ingens facinus, quod neque legibus neque jure strictè accepto defendi potuisset, magno animo patravit: Profectus enim Lacedæmonem, privatus ipse prætorem Achæum, & Romanum consulem urbe ea exclusit: tum sedatis intestinis Spartæ tumultibus, civitatem rursus Achæorum reipub. abjunxit. Postea temporis præturam gerens, incertum quod crimen Lacedæmoniis objiciens, cùm exsules eorum in urbem reduxit, tum Spartanos octoginta (hunc numerum habet Polybius, Aristocrates centum & triginta) necavit, muros dejecit, multumque agri ademtum urbi, Megalopolitis attribuit: qui civitate Spartana erant à tyrannis donati, eos omnes in Achaiam transtulit. tria millia autem (hi erāt qui Lacedæmone migrare nolebant) vendidit, ac quasi exprobrans eis, ex precio isto porticū in patria exXX struxit. Cū ita expleviſſet animū miseriis Spartanorū, indigno oppVIII ressis infortunio insultans, in remp. eorum facinus crudelissimum & injustissimū cōmisit. Lycurgi enim institutionē sustulit, pueriſq; & puberibus Achaicam pro patria disciplinam præscripsit: ratus eos quandiu Lycurgi legibus uterentur: nunquā spiritus istos posituros.

*Diophanes.*

*In Spartam Philopœmen exercitum ducit.*

*Lycurgi leges abrogat.*

Et qui-

Et quidem Lacedæmonii fracti tum calamitatibus magnis, passi sunt Philopœmenem quasi nervos reipublicæ excidere, cicuresque & demissos se præbuerunt: post aliquando ab Romanis impetrata venia Achaicam disciplinam dejecerunt, patriamque (quantum ejus post tanta mala & calamitates fieri potuit) restituerunt. Quo tempore Romani bellum contra Antiochum in Græcia gerebant, privatus vivebat Philopœmen. Itaque animadvertens Antiochum ipsum Chalcide desidentem, nuptiis & amori puellarum intempestive vacare, Syros autem sine ducibus & ordine per urbes hinc inde vagari, luxuriæque operam dare: ægrè tulit, se non eo tempore prætorem esse Archivorum, Romanisque invidere se victoriam dixit: se, si prætura gereret, istos omnes in cauponis concisurum fuisse. Verùm cùm victo Antiocho Romani contentius jam Græcis rebus incumberent, Achæosque potentia sua circumvenirent, oratoribus ultrò ipsis concedentibus, cúmque jam omnis vis fortunam sequeretur, finisque fato destinatus prope adesset: ibi gubernatorem navis bonum imitatus Philopœmen, fluctui pro viribus obluctans, etsi quædam concedere, & tempori obsequi cogebatur, pleraque tamen uti retineret, eos qui dicendo aut agendo valerent, trahere ad libertatis studium contendebat. Traditum est Aristænetum Megalopolitam, magnæ inter Archæos potentiæ virum, cum Romanis maximè cuperet, atque in consilio censuisset non debere iis reluctari, aut ingratos esse Achæos, à Philopœmene tacente, indignéque ejus verba ferente auditum: atque hunc ira ad extremum victum in hæc verba erupisse: Quid ita properas Aristænete, Græciæ ut videas fatũ? Cùm Manius Acilius Glabrio Romanus consul, victo Antiocho, peteret ab Achæis, ut reditum exsulibus Spartanis concederent: idemque Quinctius postularet: Philopœmen, non quod esset exsulibus infensus, sed ut ipse & Achæi hoc sua voluntate non in Quinctii Romanorumve gratiam facerent, impedivit: atque ipse insequente anno prætor eos reduxit. Adeo ob animi magnitudinem contendendi etiam adversus superiores studio laborabat. Annum jam natus septuagesimum, octavùm prætor Achæorum factus, sperabat eum esse rerum statum, ut non modò in præturæ ejus administratione à bello vacare, sed & reliquum vitæ exigere in ocio posset. Nam ut marcescente corporis robore, simul ipsi etiam elanguescunt morbi: ita apud Græcas civitates deficiente potentia, studium quoque contendendi desierat. Veruntamen eum indignatio quædam divina tanquam athletam prosperis usum successibus in extremo vitæ prostravit. quippe traditum est, eum quodam in conventu reliquis quendam imperatoriis artibus præclarum habitum laudantibus, nimis arroganter dixisse: Quinam ille dignus sit, de quo verba faciamus, cùm vivus in potestatem hostium venerit? Paucis post diebus Dinocrates Messenius, qui & privatim cum Philopœmene exercuerat simultates, & erat ob maliciam & impotentiam aliis molestus, Messenem ad defectionem ab Achæis permoverat, & pagum quen-

*Philopœmenis in Antiochum & eius milites dictum.* XXIX

*Aristænetus à Philopœmene notatus.* XXX

*Romanorum coss. petitioni restitit Philopœmen.* XXXI

*Philopœmen Nemesia contra se irritat.*

quendam Colonidem occupaturus ferebatur. Philopœmen tùm Argis febricitabat. Itaque allato hoc nuncio, confectis uno die plus quam quadringentis stadiis Megalopolim contendit: inde equitib. (erant hi civium nobilissimi, sed juvenes admodum, qui studio & imitatione Philopœmenis ultrò militabant) assumptis statim ad xxxii Messenem perrexit. Apud Euandri tumulum occurrit ei Dinocrates, commissoque prœlio est pulsus. At quingenti alii, qui ad agmen Messeniacum custodiendum erant collocati, cùm subitò sese proferrent, iisque conspectis illi qui ante fugam fecerant, rursus in collibus sese congregarent: veritus Philopœmen, ne ab hostibus circumdaretur, simulque equitibus suis parcens, per iniqua loca recedebat, ipse agmen claudens, ac sæpe in hostes adversum sese inferens, eosque in se versos detinens: cùm quidem congredi non auderent, & clamorem modò eminus tollerent, atque circumcursitarent. Hoc pacto sæpius hostibus sese objiciens, dum singulatim suos in locum tutum deducit, ad extremum solus inter magnum hostium numerum destitutus fuit. Ne sic quidem manum conferre quisquam ausus est. eminus petitus, dum per loca saxosa & præcipitia emittur, equum calcaribus laniatum ægrè tenuit. Exercitationibus sanè hoc erat diuturnis assecutus, ut ei senectus nequaquam gravis esset, neque obstaret, quo minus evaderet: sed corpore tum ob imbecillitatem languentem, & ab itinere defessum, gravemque jam, & vix sese moventem equus lapsus in terram effudit. Casu tam gravi etiam caput læsum est, jacuitque aliquandiu nullam edens vocem: itaque hostes etiam mortuum rati, corpus vertere & spoliare aggressi sunt. ut verò capite elevato oculos sustulit, confertim irruerunt, manibusque retrò actis vinctum abduxerunt, multis conviciis infectantes eum virum, qui ne per somnium quidem unquam à Dinocrate xxx sibi hæc metuisset. Nuncius rei Messenem allatus, mirificè animos iii oppidanorum inflaverat, & ad portam exciverat. Ut verò Philopœmenem indignè gloria tanti viri, rebusque gestis & trophæis captum trahi videre, plerisque miseratione moti sunt, ut ne lachrymas quidem continerent, inconstantiam & vanitatem humanarum virium detestantes: ac paulatim benignus sermo oborìebatur apud multitudinem, recordandum esse acceptorum ab eo beneficiorum, & libertatis, quam, Nabide tyranno expulso, ipsis reddidisset. Erant pauci quidam, qui, ut Dinocrati gratificarentur, torquendum esse Philopœmenem dicebant, atque interficiendum, gravem scilicet hostem atque implacabilem, ipsique Dinocrati, à quo captus & contumeliis affectus fuisset, majori quàm ante terrori, si quidem liberaretur, futurum. Proinde in carcerem (specus est subterraneus, ei Thesauro nomen est, in quem extrinsecus neque spiritus, neque lumen penetrat, neque foribus, sed objectu magni saxi clauditur, eum imponentes, obvoluto saxo, ad custodiam armatos circum constituêre. ix Cæterùm equites Achæi cùm se ex fuga colligerent, neque usquam iv Philopœmen extaret, sed periisse crederetur, diu fixo gradu eum vocavo-

*Dinocrati & Messeniorum defectio ab Achæis.*

*Philopœmen a Messenijs capitur.*

*Carcer.*

caverunt: inde colloquuti mutuò, turpiter & injustè salutì se suæ consuluisse, duce, qui pro ipsis vitam suam in discrimen adduxisset, hostibus prodito: tum progressi una, re explorata, captum esse cognoverunt, idque urbibus Achæorum renunciaverunt. Achæi maximum se incommodum accepisse, reposcendumque à Messeniis eum censuerunt: simulq; bellum parârunt. Interim Diocrates, qui maximè moram Philopœmeni metueret salutarem Achæorumque consiliis prævertendũ putaret, nocte oborta, & multitudine Messeniorum digressa, carcerem aperuit, lictoremq; qui venenum homini daret, neque antequam ab eo esset hausturn discederet, immisit. Philopœmen cum chlamyde obvolutus jacebat, non sommo sed mœrore & animi perturbatione detentus, cùm lucẽ vidit, & virum cum veneni calice adstantem, ægrè se præ imbecillitate colligens, assedit, acceptoque poculo quæsivit, ecquid is de equitibus Achais, præcipuèq; Lycorta inaudivisset. Lictore plerosque effugisse respondente, capite annuit, placidèq; eum intuitus: Bene, inquit, narras, si non omnia saltem malè ceciderunt. Tantum locutus, venenũ ebibit, ac se rursum inclinavit: neq; diu vires ipsius veneno restitêre, sed propter infirmitatẽ statim extinctus est. De obitu ejus postquàm ad Achæos est allatum, communis tristicia & luctus omnes urbes pervasit. At qui ætate erant ad militiam apti, cum primoribus civitatum Megalopolim profecti, omni vindictæ dilatione excluſa, Lycortam ducem creaverunt: statimq; in agrum Messenium impressione facta tantisper eam afflixerunt regionem, donec civitas Achæos recepit. Dinocrates verò morte sibi ipse conscita supplicium prævenit: reliqui, quotquot necandum Philopœmenem censuerant, interfecti: quotquot torquendum, capti, & ad cruciatus adhibiti à Lycorta sunt. Secundum hæc corpore cremato, cineribusq; in urnam collectis, discesserunt: ita quidẽ composito agmine, ut triumphalis cum funebri pompa miscereturNam & coronati iidem, & lacrymantes ibant: simulque & vinctos hostes ducebant, & urnam præ fasciis & sertis vix conspicuam inferebant. Eam prætoris Achæorum Lycortæ filius Polybius gestabat, & cum eo Achæorum primi. Milites armati, ornatis etiam equis, sequebantur, neque tantum luctum tristiciã neque victoriam exsultatione æquantes. Ex urbibus & agris in itinere eo positis multitudo occurrebat, tanquam à militia redeuntem excipientium, & urnam tangentium, ac Megalopolim usque prosequentium. Vt verò ad hos pervenêre seniores cum mulieribus & pueris, ibi demum ejulatus totum exercitum pervasit. cùmq; in urbem ingrederetur, quæ desiderium amissi Philopœmenis graviter ferebat, ac primũ inter Achæos locum ejus viri jactura se perdidisse putabat. Sepultus est, quo par erat honore: & Messenii captivi ad ejus sepulchrũ lapidibus sunt obruti. Multæ fuerunt ejus statuæ, magniq; ei à civitatibus decreti honores. Quæ omnia Romanus quidam, eo tempore quo capta Corintho Græcia in calamitate fuit, abrogare & evertere est conatus; perinde atque vivum adhuc, Roma-

*Philopœmenis postrema vox, & obitus.*

*Lycortæ ut sit morsem Philopœmenis ultus.*

*Dinocratis mors.*

*Funus Philopœmenis.*

*Philopœmenis statuæ à Polybio defensæ.*

Romanorum hostem eum, & malevolum Romanis accusans. Qua de re cùm essent sermones habiti, & contra calumniatorem istum Polybius verba fecisset: neque Mummius, neque legati passi sunt inclyti viri gloriam deleri, tametsi is non paucis in rebus Tito Quinctio, & Manio Acilio restitisset. Enimverò isti judices virtutem à commodo & honestum ab utili (ut consentaneum est) distinxerunt: rectéque & convenienter judicarunt, iis qui prosunt, mercedem & gratiam ab iis qui accipiunt id beneficium; bonis verò honorem à bonis semper deberi. Atque hæc quidem de Philopœmene.

*Discrimen inter utile & honestum, mercedem & honorem.*

## IN PHILOPOEMENEM, INTERPRETII Annotationes.

*Philopœmen T. Quinctij Flaminij æqualis fuit, cum quo à Plutarcho comparatur. mortuus est eodem, quo Annibal, anno, V. C.* IOLXXI. *Multa de eo sunt apud Polyb lib. 2. & 11. apud Livium lib. 38. & 39. apud Pausaniam in Arcadicis, prope finem.*

Cap. 1. Fuit quidam Mantineæ Casander.) *Apud Pausaniam in Arcadicis, & qui hunc secutus videtur) Suidam in Philopœmene, Cleander est scriptum: & pro* Crauside, Craugis (*quod idem est in Tegeaticæ Philopœmenis statuæ inscriptione, quæ etiam in anthologia epigrammatum exstat*) *pro* Ecdemo, Ecdelus: *Pro* Demophane, Megalophanes. *κάσανδρος autem, &* Casander, *unico S. rectè scribi, cùm ratione constat, tum Græcorum auctoritate Grammaticorum, qui Cassandrum duplicato S. scribi Æolicè affirmant: inter quos est Isacius Zezes. Id obiter moneo, propter quosdam sciolos. Infra in Pyrrho promiscué in Græco scribitur: sed opinor, librarij culpa, ut multa id genus.*

Ibid. Quemadmodum Homerus.) *Locus iste est Iliadis libro nono,* 481. *respicit autem non ad magistrorum aut discipulorum, sed ad institutionis similitudinem Plutarchus.*

Cap 2. Et quidem Romanus eum laudans.) *Idem apud Pausaniam,* ultimum eum Græcorum benefactorem fuisse.

Hæc ita in confabulationibus.) *σχολαῖς, ociosis & non seriis colloquiis, sed qualia animi causa instituuntur. Guarinus,* Per lusum *reddidit. Aliàs σχολὴν Græcis disputationem de rebus gravibus scholasticam esse; quod & Cicero sit imitatus, non sum nescius.* σχολὴ.

Cap. 4. Vinitores aut aratores.) *βοηλατοῦσιν. Guarinus* bubulcis: *quasi non etiam tum boves agerentur, cùm aratur,*

Cap 6. Antigonus rex.) *Tota res copiosé describitur apud Polybium ad finem libri 2. Refert & Pausanias ad finem feré octavi. ubi est mendum, in voce σικελία, cùm debeat esse σιλλασία: fol. Ald. 220. versic. 1. Meminit hujus Sellasiæ, & conflictus istius, etiam Livius lib 34.* *Pausanias castigatur.*

Cap. 8. Interim utrunque femur ei telo amentato transfigitur.)

διελα-

διελαυνόντων ἀμφοτέρους ὁμοῦ τοὺς μηρυοὺς ἑνὶ πάρεργος ἐν μεσοκύκλῳ Guarinus: sub natibus uno per crus utrunque telo transverberatur. Puto eum μεσοκύκλῳ mendosam vocem sub natibus vertisse Ipse μεσοκύκλῳ legit, omissa præpositione ἐν. Est autem μεσόκυκλον, amentatum telum, id est, in medio funem habens, quo is tenet, qui librat & ejaculatur. Ita ferè Scholiastes Euripidis, in versum qui est propè finem Andromachæ:

μεσοκύκλον. ὀϊστοί, μεσάγκυλ' ἑκάλυτός τ' ἀμφώβολοι.

quæ & Eustathius in 2. Iliad. librum de eadem voce commentationi præfero. Difficulter ergo potuit iterum extrahi, vel propter annulum istum cui medio hastilis funis immitteretur. Mesanculæ quidem teli etiam Gellius meminit. 10. 25. & Menandri versus apud Plutarchum, ad finem libelli de propria laude. Mox autem ἀγκύλης sequitur mentio quæ satis demonstrat, meum conjecturam veritate niti. Pausanias & Polybius paulo aliter hunc casum narrant: quos contulisse est jucundum, interpres certè locum hunc male extulit.

Cap. 9. Adolescentulus Megal.) μειράκιον bis ponitur. quod nomen cum in virum diceretur, etiam si contemtim quis de eo loqueretur, non satis video. Atqui paulò supervus est, annos fuisse natum triginta Philopœmenem, cùm Megalopolis caperetur. Itaq; de eo numero interdum subit dubitare: & lectori perpendendum relinquo, Macedonica ista virtus in adolescentulum extenuatio, quid habeat coloris. Certè qui legit quæ septuagenario ei accidisse infra scribitur, de triginta annorum numero vix habebit quod dubitet. Livius etiam LXX. annos natum fuisse cùm caperetur, scripsit. & Pausanias. atq; Chronologia optimè hos numeros conciliat.

Cap. 12. Calicum & vasorum.) κυλίκων καὶ θηρικλείων. Certè hic locus videtur impugnare, quod Vulgus Grammaticorum ait θηρικλεια esse vitrea pocula, quanquam & hoc apud Suidam est, & figulinum opus fuisse Thericlis. Non enim existimo comminuta vitra, ad inaurandà aut argentanda arma fuisse: & θηρίκλεια vasa pulcrè celata hic intelligere malim ab artifice Thericle, & opificio dicta, non autē materia. Thericlis meminit Plin. 16 4c. & supra in Paulo Plutarchus, inter aurea Persei vasa Thericleorum meminit: Paulo ante:

Cap. 13. Pro scuto & hasta, clypeo.) θυρεὸς scutum significat, ὁπλὴ nisi majus quippiam, nimirum clypeum. Id hinc colligi potest. Et apud Livium quod est in secunda classe Ser. Tullij, lib. 1. scutum pro clypeo: Dionysius eandem rem describens, ὡπὶ τῶν ἀσπίδων αἷς ἐκεῖνοι θυρεοὺς. lib. IV. ἐχαλκοῦτο. Atque hesc mox θυρεοὶ ἀφεντικὰ pugna, πάλωσιν appellatur, cui σφαῖραι, hoc βιβηκῶτα dicta opponitur. Hæc observasse, conducit ad aliorum scriptorum etiam loca intelligenda.

Cap. 14. Sicuti Homerus Achillem.) Initio libri decimi noni Iliadis, quem imitando superior fuit Virgilius, ut arbitror.

Cap. 15. Erat eo tempore Achæis.) Hanc totam rem luculenta narratione explicat fragmentum Polybij, quod de libro undecimo adhuc superest.

Cap.

Cap. 18. Fertur ludis Nemeis. ) *Est apud Pausa. quoque, sub finem ferè Arcadicorum. paulò ante.*

Cap. 17. Ad ictum punctum. ) *διαλαβὼν vocem interpretandam duxi. apud Polybium autem hoc ipsum describentem ἐκ διαλήψεως est legendum qua voce ictum significari non cæsim (quod est κατα-φορὰ) sed punctim illatum, ex eodem scriptore in Gallicæ pugnæ descriptione liquet, lib. 2. pag Her vag. 48. etsi semel μεταλήψεως vitiosè ibi legitur. quod flagitium notarum, quibus præpositiones exprimuntur, permutatorum est frequentissimum.* διαλαμβάνω, διάληψις. Polybii locus.

Cap. 19. Philippus enim Macedonum rex. ) *Meminit hujus rei Iustinus in fine lib. 29.*

Cap. 21. Tam magno natu meditatur adhuc, nihil profert. ) *Metaphora sumpta ab oratoribus & poetis.*

Cap. 22. Aristænetumque iis ducem miserunt. ) *Videtur is esse, qui apud Livium lib. 32. & 34. vitiosè legitur* Aristhenus & Aristænus: *& quidem initio fragmenti Polybiani de lib. 7. itidem ἀριστάνετος dicitur. Quod autem hic ait, eum à Philopœmene dissensisse in repub. facilè ex Livio & Polybio intelligimus, & ipse infra docet: sicut & hoc, Philopœmenem alieno fuisse à Romanis animo.* Livii locus.

Cap. 23. Contra quem dux statim. ) *Historia hæc tota copiosè est apud Livium descripta lib. 35.*

Ibid. Apud Platonem. ) *lib. 4. de legibus.*

Cap. 27. Cum exsules eorum. ) *τὰς μὲν φυγὰς, pro τοὺς μὲν φυγάδας dixit. Ita in Quinctio etiam locutus est.*

Cap. 30. Cum M. Acilius Glabrio. ) *Egregiè Guarinus, & magna fide.* Posthæc Romanorum consule Manlio, cum Antiochũ, &c. *Scilicet ita lector expeditur, & historiam discit? in Græco, μανίου τοῦ ῥωμαίων ὑπάτου, &c. Manius autem prænomen est, quod ita notatur* M' *non Manlius. & alioqui prænomina sola ponit Plutarchus interim ut sæpe Titum vocat, Titum Quinctium Flamininum dicens: & μ' pro* M. *Curio,* P. *pro* P. *Villio, in vita Quinctij. Ita hic (ut & sub finem)* M' *Acilius Glabrio innuitur, qui apud Thermopylas Antiochum superavit. Autor Livius initio 36. Appianus & ipse in Flaminio Plutarchus. Itaque nomen addidi perspicuitatis causa. Id etiam quod sequitur. non rectè illi reddidit.*

Cap. 31. Veruntamen eum indignatio. ) *Nemesis, quæ ulcisci solet si quid arrogantius fit, aut ubi fortuna vel bonis nostris superbimus: de Dinocrate autem in Flaminio aliquid leges*

Ibid. Pagum quendam Colonidem. ) *Hæc est etiam apud Livium narratio, lib. 39. sed* Coronem *habet, pro* Colonide. *apud Pausaniam loci nomen deest.*

Cap. 34. Reposcendumque à Messeniis. ) *Ita quidem legitur in Græco: ἀπαιτεῖν μὲν ἔγνωσαν. Sed qui historiam apud Livium & Pausaniam legit, ac circumstantias considerat facilè intelliget, negativam particulam extritam esse, legendumque οὐκ ἔγνωσαν. Noluerunt*

*luerunt enim inani legatione & petitione de reddendo Philopœmene Achæi tempus & occasionem perdere, quibus satis de Dinocratis animo constabat, ideò omissa spe recipiendi, de ulciscendo eo statim egerunt.*

Cap. 35. Quotquot necandum Philop. censuerant, interfecti.) *Guarinus*, ultro vitam finière: *ut legisse videatur, ἢ ἀντῶν ἀπέθνησκον. Meus codex ἢ ἀντῶν habet, quod ad Achæos refertur: idque quia rectius esse censebam, secutus sum. Mox:*

Ibid. Polybius.) *Hic est eximius ille historiarum scriptor, præceptor Africani Scipionis junioris: cujus partem operum habemus, Græcè satis mendosè editam. Latine autem parum feliciter conversam, & à nobis nuper Germanice redditam atque evulgatam.*

## PLVTARCHI T. QVINCTIVS FLAMININVS, Guilielmo Xylandro, Augustano interprete.

*Ingenium.*

HVIC Titum Quinctium Flamininum comparamus. Qua is corporis figura fuerit, licet iis qui volunt cernere in effigie ejus ærea, quæ Romæ è regione Circi posita est juxta magnum Apollinem Carthagine allatum, Græcis litteris inscripta. Ingenio fuisse traditur eo, ut facilè & ad iram & ad gratiam moveretur, etsi diversa ratione. Nam & in puniendo lenis, neque pervicax erat, gratia constans, cùm quidem quibus benefecisset, iis non secus atque benefactoribus perpetuò benevolum sese promptumq; præberet, eosque ut bonorum suorum præstantissimum, assiduè coleret atq; tueretur. Gloriæ honorisq; cupidissimus, præclaras & maximas res ipse conficere solebat. Magis delectabatur iis qui accipere beneficium cuperent, quàm qui dare possent: illos virtuti suæ materiã esse, hos de gloria secum contendere existimans. Ab ineunte ætate artibus militaribus institutus (etenim multis ea tempestate, gravibusq; occupata bellis Roma, ita jam inde ab initio adolescentes erudiebantur, ut inter ferendũ imperia, imperare simul discerent) primũ bello secundo Punico tribunus militum Marcello consuli adfuit. Ibi Marcello per insidias cæso, agro Tarentino, ipsiq; deniq; Tarento recepto præfectus, non justitiæ minorem, quàm belli laudem retulit. Itaque etiam coloniis, Narniã & Cossam deducendis princeps constitutus est. Id potissimũ animum ejus ita extulit, ut præteritis mediis istis magistratibus, quos ordinatim petere juvenes solebant, tribunatu plebis, prætura, & ædilitate, recta consulatum ambiret, petitionem ejus colonis studiosè adjuvantibus. Fulvio autem & Manio Curio tribunis plebis ei resistentibus, indignumq; esse affirmantibus, si juvenis, reclamantibus legibus ad summum magistratum vi evaderet, primis nimirum adhuc sacris & mysteriis reip. nondum initiatus: senatus populo creandi, quem vellet, potestatem fecit. A populo consul Quinctius cum Sexto Ælio est factus, nondum trigin-

*Tribunatus militum.*

*Coloniarum deductio.*

*Consulatus petitio.*

III triginta natus annos. Bona quadam rerum Romanarum fortuna bellum ei adversus Philippum Macedoniæ regem sorte obtigit: quæ eum tum ducem requirerent, qui non vi omnia & bello, sed facundia potius & comibus congressibus ageret. Etenim Philippo ad pugnam quidem committendam velut mucronis acies erat, sufficiebatque Macedonicum imperium: durante autem bello, omne suæ phalangis robur, sumtus, refugium, atque instrumenta omnia reposita Græcorum in potentia habebat; quibus à Philippo non avulsis, non poterat uno bellum istud confici prœlio. At verò Græcis nihil etiamnum ferè cum Romanis fuerat rei, tumque primùm eorum inter se populorum negocia miscerí incipiebant: ut nisi Romanus dux benigno præditus ingenio, oratione quàm armis plura egisset, inq; colloquiis fidem & mansuetudinem, multamque pro asserendo jure constantiam exhibuisset, haud facilè Græci consueto imperio alienum fuerint prælaturi. Verùm hæc ipsæ actiones mani-

IV festa reddent. Quinctius animadverso, eos qui ante ipsum huic bello præfuerant duces Sulpicium & Publium Villium majori annĩ parte domi honoribus & rebus civilibus impenso, serò ad bellũ gerendum in Macedoniã profectos & ibi dimicationibus de locorum occupatione, levibusque itinerum aut frumentandi causa prœlius tempus trivisse: nequaquam eorum exemplo sibi etiam ita agendum duxit, ut alterũ magistratui suo annum adjiceret, quem, priore in dignitatibus consularibus & negociis urbanis exacto, bello impenderet. Itaque ut in ipso suo consulatu rem gereret, honoribus & civilibus officiis valere jussis, impetrato à senatu, ut frater suus Lucius Quinctius legatus sibi daretur, ac rei navali præesset, ipse ex militibus iis, qui in Hispania Asdrubalẽ, in Africa ipsum Annibalem duce Scipione devicerant, tribus millibus, qui & ætate adhuc essent valida, & ad bellum alacres, lectis (quod robur sui exercitus habere statuerat) in Epirum tuto trajecit. Ibi P. Villium cum e- *Robur militum T. Quinctij.*

V xercitu invenit, qui castris Philippo (aditus ille & angustias ad Apsum flumẽ custodiebat) oppositis, longo jã tempore iniquitate locorum prohibitus nihil rei gesserat. Accepto igitur exercitu, & dimisso Villio, naturã locorum speculatus est. Natura sunt non minus muniti quàm Tempe: arborum pulcritudine, sylvæ viriditate, recessuum & pratorum amœnitate inferiores. Montes utrinque magni atque sublimes in maximam atq; profundam convallem inclinant: per hanc Apsus elabens, Peneũ figura & celeritate refert. & radices montis undique aqua tegens, propter ipsum alveum abruptã unam & angustam semitam relinquit, qua neq; alioquin facilè ingredi exercitus queat, & si statione teneatur, nullo modo possit. Consulebant Quinctio sui, ut expedito & facili itinere per Dassaretios juxta Lycum amnem copias circumduceret. Sed consul veritus, ne, si longius à mari sese in loca male culta & inopem regionem conjiceret, Philippo pugnam subterfugiente penuria frumenti laboraret, & re infecta, sicuti priori evenerat duci, cogeretur ad mare redire: statuit

*Angustiarum apud Apsum fluvium descriptio.*

tuit vi aditum aperire. Montes Philippus phalange sua insederat, & à latere undique tela & sagittæ in Romanos incidebant: itaque acriter aliquoties certatum, vulnerati utrinque & occisi. nihil tamen ad summam rei gestum est. Quidam verò pastores ejus regionis ad Quinctium aggressi, ambitum quendam ab hostibus neglectum indicarunt, hac se exercitum ducturos, tertioque omninò die in summis montibus constituturos pollicti sunt: hujus promissi autorem atque sponsorem Charopem Macharam proferebant, priscum inter Epirotas, Romanis cupientem, eosque metu Philippi clam adjuvantem. Huic fidem habuit consul, militique tribunum militum cum peditum quatuor millibus & trecentis equitibus ducebant hos pastores illi vincti: interdiu locis cavis & sylvestribus latentes quiescebant, noctu ad lucem lunæ, quæ dimidio tum orbe fulgebat, iter faciebant. His missis, interim hostes levibus præliis detinet, reliquum tempus reficiendo militi tribuit. Qua verò die in summis montibus suos constitutos reputabat, summo mane omnem & levem & gravem armaturam eduxit: divisisque in tres partes copiis, ipse rectà cohortes juxta amnem, qua fauces erant arctissimæ adduxit, petitusque Macedonum telis, in ipsis angustiis cum obviam egresso hoste manum conseruit: reliqui ab utroque latere per aspera loca magno conatu & certamine invadebant. Interim & sol ortus erat, & fumus haud planè evidens, sed montanæ instar nubeculæ procul consurgens & apparens, à Macedonibus (etenim his à tergo erat, occupatis jam montium cacuminibus) non conspectus. Romanis gravi in certamine laborantibus, spemque ad id quod vellent, accommodantibus, fidem non satis certam faciebat. Posteaquàm verò is auctus, densiorque assurgens aërem denigravit, apparuitque ignem indicem esse à sociis factum, sublato clamore, magna vi irruerunt in hostem, eumque in asperrima loca repulerunt: qui à tergo hostium erant vociferationem ipsi quoque ediderunt. Statim effusè fugerunt Macedones: neque ultra duo millia cæsi sunt, angustiis persecutionem impedientibus. Romani pecunia, tentoriis, & calonibus hostium direptis, faucibusque ita potiti, ea modestia, atque continentia Epirum peragraverunt ut tametsi à mari & navibus longè abessent, neque mestruum frumentum iis demensum, neque emendi copia esset, tamen à regione omnis generis opum plena manus abstinuerint. Nam Quinctius, cùm accepisset Philippum fugæ similem profectionem per Thessaliam fecisse, hominibus in montes recedere coactis urbes incendisse, bona ob multitudinem vel onus relicta ad diripiendum proposuisse, cedentem jam tum quodammodo Romanis ea regione: ut magnificum se ostenderet, milites suos cohortatus est, ita transirent, itaque parcerent regioni tanquam suæ, & jam ab hoste concessæ. Et quidem fructum hujus modestiæ statim senserunt. Nam ut primum Thessaliam attigerunt, urbes se eis dederunt. Et Græci, qui intra Pylas habitabant, animis jam planè ad Quinctium inclinabant.

*Charops Romanorum socius.*

*Ut victoria situs, quidque consecutus.*

*Philippi fuga.*

VI VII VIII IX X

Achæi,

Achæi, societate Philippi repudiata, cum Romanis adversus eum bellum gerere decreverunt. Opuntii Ætolis, qui tum Romanis magna promittendine in bello aderant, postulantibus ut sibi urbem ipsorum custodiendam traderent, posthabita eorum petitione Quinctium accersserunt, ejusque se fidei permiserunt. Fertur Pyrrhum olim, cùm primùm à specula exercitum Romanum instructum vidit, dixisse: Hanc sibi barbarorum aciem non videri barbaram. Similiter hi tum dicere coacti sunt, qui primum ad Quinctium accesserunt. Audierant ex Macedonibus, ducem barbarici exercitus adventare, qui armis omnia protereret atque in servitutem ageret: tum verò congressi cum viro qui & ætate floreret, & aspectu benignus, sermone Græcus, ac honoris veri amans esset, mirificè demulcebantur, reversique in civitates, summam erga eum, veluti ducem libertatis, benevolentiam excitabant. At postea quàm Philippo ad pacificationem inclinare visò Quinctius in congressu eas tulit pacis amicitiæque leges ut regem juberet. Græcos liberos relinquere & præsidia deducere: neque is eas conditiones probavit; omnibus ibi, etiam iis qui Philippi rebus studebant, persuasum est venisse Romanos ad bellum non Græcis, sed propter hos Macedonibus faciendum. Inde quietus ipse paulatim in suam plerosque fidem accepit.

*Achæi.*
*Opuntij.*
*Aetoli.*

*Pyrrhi dictũ de Romanis.*

IX Profecto autem in Bœotiam nullo belli cum apparatu, Thebanorum proceres obviam iverunt: Philippo quidem propter Brachyllem faventes, Quinctium tamen etiam salutandum atque honorandum censentes, quod cum utriusque amicitiam colerent. Cum his collocutus humaniter modo percontando quædam & discendo, modò exponendo ipse alia, sensim unà progressus est tantisper dum ex itinere milites reciperet. Ita unà cum Thebanis in urbem ingressus est: cùm neque gratum hoc iis esset, neque tamen auderent prohibere, quod mediocris eum militum multitudo sequebatur. Enimverò Quinctius, quasi non jam sua in potestate urbem haberet, progressus in concionem suasit ut Romanis se conjungerent, Attalo rege ei patrocinante, & Thebanos ad idem cohortante. Hic quidem oratorem se Quinctio alacriorem, quàm senectus ea ferret, præbere contendens; inter dicendum vertigine oborta aut fluxu humeris decumbente, subitò sensibus obstupefactis corruit: neque multò post navibus in Asiam revectus, vitam clausit. Bœoti Roma-

*Attalimors.*

X nis se adjunxerunt. Cùm Philippus Romam legatos mitteret, ablegavit eo Quinctius, qui hoc ageret, ut aut ipsi tempus à senatu ad bellum perficiendum prorogaretur, aut pacis componendæ potestas daretur: etenim, ut erat gloriæ cupidissimus, metuebat, ne alio ad bellum duce misso, sua ipse laude privaretur. Obtinuerunt hoc amici ejus, ut neque Philippus, quæ petebat impetraret, & imperium Quinctio ejus belli causa prorogaretur. Hoc decreto in magnam spem erectus, statim in Thessaliam contendit, adversus Philippum. Habebat in exercitu suo viginti & sex millia militum: ex his peditum millia sex, & quadringentos equites Aetoli suppeditaverant.

*Pugna ad Cynoscephalas.*

verant. Pares ferè erant Philippi copiæ: qui & ipse adversus hostem ducebat. Cùm haud procul Scotusa abessent, & utrisq; subire prœlii fortunam esset animus, alter imperatorum alterum propè adesse intelligens, nequaquam (ut verisimile erat) metu correpti, sed ardore potius & gloriæ parandæ cupiditate incensi sunt. quam & Romani summam fore existimabant. si Macedonas, quorum robur & potentia propter Alexandrum apud ipsos maximè celebrabantur, devicissent: & Macedones Persis præstare Romanos arbitrati, his superatis Philippi se, quàm fuisset Alexandri, majus nomen redditu- XI
ros sperabant. Itaque Flamininus suos milites hortatus est, bonos esse ac strenuos viros præberent, quippe cum adversario laudatissimo in pulcerrimo theatro (Græciam dicebat) decertaturi. At Philippus, incertum casune fortuito, an quod præ festinatione eum hoc fefellisset, extra vallum sublimi conscenso aggere, qui multorum erat hominum sepulcris impositus, cœpit ea, quibus ante conflictum milites cohortari moris est, disserere. Verùm graviter ob id omen animis suorum dejectis, ipse etiam perturbatus eo die pugna abstinuit. Postridie sub auroram à molli & austrina nocte in nebulam nubibus conversis, totus densa obductus est campus caligine, statimq; sub ortum solis crassus ab alto aer in spaciũ, quod erat inter castra, decubuit, ipsaque loca occultavit. Ibi qui utrinque excubiarum & speculandi gratia emissi fuerant, mox obviam mutuò facti apud Cynos cephalas (Latine *canum* aliquis *capita* diceret: sunt autem collium densorum & sibi mutuo oppositorum summitates, habentque id à similitudine figuræ nomen) pugnam commiserunt. Cum XXII
alternis (ut in locis asperis fieri consentaneum est) fugerent, atque instarent cedentibus: utrinque ex castris subinde suis defatigatis, atque cedentibus auxilia missa sunt; ac tandem aere à caligine repurgato, cùm viderent quid rei ageretur, totis exercitibus concurrerunt. Dextro cornu Philippus superior fuit. Nam ab altiore loco totam phalangem Romanis inferebat: cujus hi confertis scutis stipatam aciem, selectissimorumq; militum acrem impetum non sustinebant. Lævum autem dissipatũ jam per colles atq; luxatum cùm esset, Quinctius desperatis iis quos jam ab hoste victos putabat, celeriter alteram in partem conversus in Macedones impetum fecit, qui propter inæqualitatẽ & asperitatem locorum cogere phalangẽ, & densare ordines (in quo omnis inest illius exercitus vis) nequibant: viritim autem ubi pugnandum est, gravi & inefficaci armorum habitu motuq; impediuntur. Phalanx enim animalis similitudinem habet, invicti, quamdiu unum corpus est, & densitatem suam constanti ordine retinet: ea dissoluta, etiam singuli suum contra singulos pugnandi robur amittunt, cùm propter armaturæ genus, tum quod omne totum magis propter mutuum membrorum complexum, quàm propter singula valet. His ergo fusis, quidam fugientes XIII
persecuti sunt, reliqui incursu in Macedones adhuc pugnantes altero in cornu facto, à latere eos straverunt: itaq; mox ii etiam, qui jam vince-

*Omen.*

*Phalanx.*

vincebant, aversi retrò, armis projectis fugam dederunt. Cæsa sunt millia octo, ad quinque millia capti. Vt autem Philippus tuto effugeret, Aetolorum culpa factum est. qui, Romanis adhuc hostē persequentibus ad diripienda castra conversi sunt ita quidem, ut Romanis reversis nihil superesset. Hinc primùm inter eos contentiones & convicia: inde magis subinde Quinctiū offenderunt, sibi eam victoriam arrogantes, eoque rumore animos Græcorum præoccupantes, ut à poetis etiam ac literarum rudibus id factum decantantibus priore, quàm Romani, loco scriberentur Aetoli. Inter hujusmodi carmina maximè in ore hominum versabatur hoc epigramma scriptum ab Alcæo: qui in Philippi contumeliam, numerum quoque occisorum ampliorem mentitur. ita autem habet:

*Aetolorum improbitas.*

*Alcæus.*

XI

*Thessalia hoc inhumata infletaq; turba, Viator,*
*Triginta tumulo millia contegimur:*
*Aetolum virtute, Latinorumq; peremti,*
*Quos Titus huc lata duxit ab Italia,*
*Perniciem Emathiæ. trux spiritus ille Philippi*
XIV *Vel cervos abijt prævertente fuga.*

Hoc carmen variis in locis à multisque cantatum, majore Quinctium, quàm Philippum, affecit molestia. Hic enim Alcæum vicissim traducens, ejus, elegis hoc opposuit:

*Quisque es, Alcaeo fixa hac crux exit in auras*
*In rupe hac, foliis, & viduata libro.*

XXII

At Quinctium Alcæi versus ita irritaverunt, apud Græcos gloriam sibi parare satagentem, ut reliqua, neglectis omninò Aetolis, per se ipse gereret. Ægrè id tulerunt Ætoli: & cùm Qinctius legatos à Philippo de pacis conditionibus acturos admisisset, circum reliquas urbes profecti id clamitabāt: Pacē Philippo vendi, cùm liceret hostem planè excindere, regnumque, à quo primū in servitutē fuisset acta Græcia, evertere. Hæc illis vociferantibus, sociosq; perturbantibus, ipse Philippus ad pacificationem profectus suspicionem eam sustulit, Quinctii & Romanorum potestati se resque suas committens. Hoc pacto pax composita est. reddiditq; Philippo Quinctius regnū Macedonicum, Græcia abstinere jusso, multatoq; mille talentis, omnibusq; præter decem solas navibus: filiū quoq; ejus Demetrium

*Pax cum Philippo facta.*

*Prudentia Quinctij.*

XV obsidem acceptum, Romam misit. Optimè profectò Quinctius est usus occasione, & futura animo præcepit. Iam tum Annibal Afer, homo Romanis infensissimus, exsul ad Antiochum regem venerat, eumq; prosperis jam usum successibus rerumque gestarū magnitudine Magni cognomen adeptum, ideoque & ad principatum in omnes adspirantem, & contra Romanos præsertim insurgentē ut fortuna benignam sese exhibente uti pergeret, instigabat. Quod nisi prudenter Quinctius prævidisset, ac propterea ad bellum pace componendum concessisset, futurum erat ut & Antiochicum bellum cum Philippico in Græcia conjungeretur, hisq; ejus ætatis maximis atque potentissimis regibus utriq; communibus de causis societa-

tem contra Romanos jungentibus, in non leviora denuò pericula atque certamina, quàm quibus bello erat Annibalico defuncta Roma incideret. Nunc illo opportunè pacem inter duo interjiciens bella, præsensque tollens ante quàm alterum inciperet, hujus primam simul, & illius ultimam spem præcidit. XVI Decem exinde legati à Senatu missi Quinctio autores fuerunt, ut, libertate reliquis Græcis restituta, Corinthum, Chalcidem, ac Demetriadem præsidio impositio retineret, ut eò tutiora ab Antiocho essent omnia. Hîc verò Ætoli calumniis alioquin noti apertis urbes Quinctii accusationibus agitabant: Hunc compedes (sic enim eas urbes solitus erat nominare Philippus) Græciæ solvere jubentes: Græcos autem interrogantes: Ecquid propterea, quod numellam priore graviorem quidem, læviorem tamen ferrent, læto essent animo, Quinctiumque ut benefactorem in oculis haberent? qui sanè pedibus Græciæ solutis, collo ejus vinculum injecisset. Hæc graviter indigneque ferens Quinctius deprecando apud Senatum tandem obtinuit, ut hæ quoque urbes præsidio liberarentur, utque integrum id ejus esset apud Græcos beneficium. XVII Proinde cùm Isthmia celebrarentur, ac multitudo hominũ in stadio consedisset spectandi gymnici certaminis causa, eò magis, quod illo tempore Græcia à bellis vacabat, spemque libertatis propositam cernens manifesta in pace diem festum agebat: postquàm tuba silentium undiq; est factum, progressus in medium preco, ita pronunciavit: Senatus Romanus, & T. Quinctius imperator proconsul, devicto Philippo & Macedonibus, ablque præsidiis esse, liberos immunes, suis legibus vivere jubet Corinthios, Locros, Phocenses, Eubœenses, Achæos, Phthiotas, Magnetas, Thessalos, Perrhœbos. Primùm neque omnes planè, neque perfectè vocem præconis exaudierunt: eratque promiscua & tumultuaria in stadio commotio admirantium, sciscitantium, repetique edictum poscentium. Vt verò iterum facto silentio altiori voce eadem præco proclamavit, exauditumque est ab omnibus edictum: tantus, quantũ credibile vix sit, clamor præ lætitia omnium exortus ad mare usque pervasit: quotquot in theatro erant, assurrexêre omnes, neque jam quisquam certantium spectaculo tenebatur, prosilire omnes, amplecti & alloqui Græciæ servatorem atque propugnatorem properabant. XVIII Atque eo tempore id re ipsa apparuit, quod de immenso immodicoque clamore dici solet. Corvi enim qui tum fortè prætervolabant, in stadium deciderunt. Cujus quidem rei causa est aeris perruptio: nam cùm vox magna atque multa effertur, ea divulsus aer volantes non sustinet, facitque ut aves, ita, atque si in vacuo sint loco, delabantur. nisi potius ictu tum quodam aeris aves, veluti sagitta transfixæ, deturbantur atque decidunt. Potest & ad aeris vorticem seu procellam referri, cùm maris ille instar ob clamoris magnitudinem involvatur, rursumque cum impetu sese explicet. Cæterùm Quinctius nisi celerrime dimissis ludis impetum & concursum populi, quem futurum præsen-

*Compedes Græciæ.*

*Præconium liberatæ Græciæ.*

ferat,

ferat, declinasset, haud profectò salvum potuisse evadere crediderim, tam multis simul undique ei se circumfundentibus. Postquàm eum vocando apud tabernaculum ejus defatigati sunt, jam nocte appetente, amicis & civibus quos forte vidissent, consalutatis, datoque mutuo amplexu ad cœnam simul se, & potum contulerunt.

XIX Ib aucta, ut fit, lætitia, in mentem venit reputare, atque disserere de Græcia, quàm multis illa propter libertatem gestis bellis, nunquam ea neque certius neque majori cum voluptate sit potita, quàm alieno duce pro ipsis propugnante, cùm quidem in præsentia propemodum absque omni ea suo sanguine luctuque præmium certaminum pulcerrimum optatissimumque referret. Erant sanè fortitudo & prudentia apud homines raræ: rarissimum verò ex omnibus bonis, vir justus. Quippe Agesilai, Lysandri, Niciæ, Alcibiadesque terra marique duces bella rectè gerere, & hostem vincere norant: victoria ad liberalem ineundam gratiam, & honestatem uti nesciebant. Quinimò si Marathonium prœlium, navalem pugnam Salaminiam, Platæas, Thermopylas, Cimonis ad Eurymedontem fluvium, & insulam Cyprum facinora tollas: omnes reliquas pugnas Græcia contra seipsam servitutis inducendæ causa commisit; omniaque ejus trophæa calamitati ipsius & turpitudini indiciū præbent, plerunque malicia & contentionibus ducum eversæ. Alienigenæ autem, qui fomites exiguos, levemque generis communitatem antiquitus deductam habere viderentur, unde mirum erat si vel verbo vel sententia eorum in Græcos aliquid utilitatis redundaret: ii maximis periculis atque laboribus Græciam iniquis dominis atque tyrannis ereptam in libertatem vindicarunt. Hæc, & facta

*Græcorum imperatorum facinora qualia.*

XX præconio consentientia, Græcos movebant. Statim enim Quinctius Lentulum in Asiam amandavit, Bargyliatis libertate redditū. Titillium in Thraciam, qui ex urbibus ibi insulisque Philippi præsidia deducerent: P. quoque Villius ad Antiochum navigabat, cum eo de Græcorum, quos sub se rex habebat, libertate collocuturus. Ipse Chalcidem profectus, indeque navi ad Magnesiam advectus, ejectis præsidiis respublicas populis reddidit. Secundum hæc Argis cùm Nemea agerentur, præfectus ei ludrico, rectissimè confectis ludis rursum ibi præconis voce libertatem Græcis confirmavit. Indè circum urbes profectus bonas illis leges, justiciam, concordiamque & amicitiam mutuam constituit, seditionibus sedatis, reductisque exsulibus. Nam neque minus gaudebat Græcorum à se facta reconciliatione, quàm victoria de Macedonibus parta: & minima jam ejus beneficiorum pars Græcis videbatur esse libertas reddita. Xenocratem philosophum, cùm eum Lycurgus rhetor publicanis ad carcerem pensionis (quam inquilini Athenis pendere lege jubebantur) causa abducentibus eripuisset, illisque pœnas libidinis imposuisset, ferunt obviam factum Lycurgi filiis dixisse: Bonam ego parenti vestro gratiam refero: ab omnibus enim factum ejus laudatur. Quinctio autem & Romanis sua in Græcos beneficia, non laudem

*Græcia liberata.*

modò sed fidem præterea apud omnes homines, potentiamque peperunt, neq; accepere modò eorum duces missos, sed ad se accerferunt: iisque se dediderunt: & non populi tantùm atque urbes, sed & reges ab aliis injuria affecti regibus, ad Romanorum manus confugerunt. Itaque brevi tempore, fortassis Deo etiam juvante, omnia ipsis subdita sunt. Ipse verò Quinctius liberatam à se Græciam summæ sibi gloriæ duxit. Delphis enim clypeos argenteos affigens, suumque scutum, ita inscripsit: XXII

*Tyndaridæ, reges Lacedæmonis ô Iove creti,*
*Veloces lati qui domuistis equos:*
*Hoc summum Græcis vos libertate reducta*
*Aeneades donum jussit habere Titus.*

Auream quoque Appollini coronam dedicavit, hac addita inscriptione:

*Auro fulgentem Latona nate coronam*
*Hanc tibi in Ambrosia cæsaris imposuit*
*Aeneadum dux magnus. & hoc te Phœbe precatur,*
*Set virtute sua gloria digna, Titus.*

*Nero Græciæ libertate donat.*

Bis Corinthiorum urbi de Græcis idem contigit. Nam & tunc Corinthi Quinctius, & nostra ætate Nero ibidem Isthmiis celebratis Græcos liberos, suisque usuros deinceps legib. pronunciavit: Quinctius præconis, uti dictum est, voce: Nero autem ipse in foro de tribunali habita ad concionem oratione. Porro Quinctius mox ho- XXIII
nestissimo & justissimo contra Nabidem Lacedæmoniorum sceleratissimum & iniquissimum tyrannum suscepto bello, in fine spes Græcorum delusit, cùmque eum posset capere, pacificationem prætulit, Lacedæmone in indigna servitute relicta: seu quod vereretur, ne tracto aliquãdiu bello alius Roma dux missus gloriã intercipere: seu Philopœmenis honoribus offensus: Hùc enim, quod cùm aliis in rebus omnibus Græcorũ esset præstantissimus, tum eo ipso in bello mira fortitudinis atque peritiæ militaris facinora edidisset, æqualem honore Quinctio Græci statuentes, inque theatris ornantes, Quinctium (ut erat æmulatio in eo honorum contentiosa) lædebant, qui indignam putaret esse rem, si Romano consuli pro Græcia propugnanti Arcas, exigui & finitimi belli dux par haberetur. Veruntamen ipse Quinctius ita excusavit factum suum, à bello se destitisse, quod videret magno cum malo reliquorũ Spartanorũ, tyrannum periturum. Quanquam autem Achæi multos ei honores XXIV
decreverunt, nihil tamen magnitudinẽ beneficii æquare videbatur, uno excepto munere, quod ille omnibus habuit carius. Erat autem tale. Romanorum in prœlris contra Annibalem captorum permulti hinc inde venditi in servitute erant. Hujusmodi mancipia in Græcia erant mille ducenta: quibus cùm semper misera fuit mutatio, tum verò, ut par est, vel maximè, cùm in filios, fratres, aut familiares inciderent liberos & victores, servi ipsi atq; captivi. Hos etsi miserabatur Quinctius, dominis tamen non ademerat. Achæi autem

*Bellum contra Nabidem.*

*Philopœmenis gloriæ Quinctius offenditur.*

quin-

quingentis in capita denariis persolutis eos redemerunt, in unum conductos universos ei jam navigaturo tradiderunt. itaque ergo læto animo solvit, cùm pro benefactis præclaram, & magno civiumque amanti viro convenientem mercedem recepisset. Atque hoc triumpho ejus multò quam reliqua omnia, plus splendoris attulit. Viri enim isti rasis capitibus, & pileos gestantes (qui mos est servorum cùm manumittuntur) Quinctium invehentem sequebantur. *Triumphus Quinctij.*

XXV Pulchrius etiam spectaculum spolia longo ordine invecta præbebant, Græcæ galeæ, Macedonicæ parmæ & sariſſæ: Inferebatur etiam pecuniæ haud exigua vis. Auctor est Itanus, invecta eo triumpho auri conflati pondo fuisse ter mille IↃCCXII. argenti XLIII. millia CCLXX. aureorum Philippeorum XIV. millia, IↃXIV. Præter hæc mille talenta Philippus debebat. Sed hæc postea temporis, maximè Quinctio persuadente, Philippo remiserunt, sociumque

XXVI eum suum vocaverunt Romani, filio etiam obside liberato. Cùm Antiochus multis navibus, magnoque cum exercitu in Græciam trajecisset, urbesq; ad defectionem moveret, & de factionibus agitaret, Ætolis (hi jampridem adversus populum Romanum hostiles animos gerentes; libertatem se Græcis redditurus ad prætexendum belli causam jactabant. Neque verò Græci jam ante liberi eorum opera indigebant: sed cùm honestior in speciem causa belli deesset, pulcerrimum nomen saltem prætendebant, eoq; Antiochũ uti docebant) illis igitur eum adjuvãtibus: Romani magno metu defectionis Græcorum oblato, potentiaq; Antiochi territi, ducẽ bello gerendo constituerunt Manium Acilium, eiq; T. Quinctium propter Græcorum consuetudinem legatum addiderunt. Hic ut primùm visus est in Græcia, partim confirmavit, partim ægrotare incipientes, gratia apud eos sua adhibita veluti tempestivè exhibito medicamento sanos servavit, & à peccando avertit: pauci quidam eum fugerunt, præoccupati jam penitus, & corrupti ab Ætolis. Quin & Ætolos ipsos, quanquam irritatus ab iis graviter, post pugnam servavit. Victus enim ad Termopylas Antiochus, fugatusq; confestim in Asiam navigavit. Acilius autem consul Ætolos partim ipse obsidebat, par-

XXVII tim Philippo exscindendo permittebat. Ita cùm Philippus Dolopum, Magnetum, Athamanum, & Aperantorum res ageret atq; ferret: consul Heraclea vastata, Naupactum ab Aetolis occupatam in obsidione haberet; Quinctius Græcorum miseratione victus ex Peloponneso ad hunc navigavit. Ibi primũ increpavit, quod victor ipse præmiũ victoriæ Philippo concederet, iræq; indulgens unam urbem obsidendo tempus tereret, Macedonibus interim populos haud paucos, ipsosq; reges deprædantibus. Deinde cùm obsessi eum à muro conspicati, manibus protentis veniam & opem implorarent, nihil quidem tũ dixit, sed avertit se, flensq; discessit. Post cùm Manio colloquutus, iram ejus leniit, & obtinuit, ut induciæ Aetolis darentur, spaciumq; mittendi Romam legatos, & tolerabilem pacis conditio-

XX nem petendi. In deprecando autem pro Chalcidensibus apud eun-

VIII dem

*Antiochi bellum, & Ætolorum improbitas.*

*Quinctius precator pro Aetolis.*

dem plurimum certaminis atque laboris sustinuit, quibus Manius gravissimè irascebatur. Etenim Chalcide Antiochus, commisso jam bello, præter & ætatem (erat enim, jam natu magno) & temporis ratione Neoptolomei cujusdam filiam, omnium (ut existimabatur) virginum formosissimam amore correptus uxorem duxerat. Is nuptiis factum est ut impensè regis partes Chalcidenses amplecterentur, eique urbem suam receptaculo belli futuram traderent. Antiochus à prœlio celeritate summa fugiens, Chalcidem accessit, puellaque, pecunus & amicis receptis in Asiam avectus est. Acilium autem illicò contra Chalcidenses irato animo proficiscentem Quinctius subsecutus leniit atque deprecatus est: tandemque & hunc, & primores Romanorum orando placavit. Hoc pacto XXIX Chalcidenses salute recepta, pulcerrima & maxima eorum quæ apud ipsos erant donaria, Quinctio consecraverunt: quorum inscriptiones etiam hodie ex legantur: POPVLVS TITO ET HERCVLI GYMNASIVM D. & alibi: POPVLVS TITO ET APOLLINI DELPHINIUM Nostra quoque adhuc ætate ibi sacerdos creatur Quinctio: & post rem divinam ei factam, pæanem canunt, cujus nos finem (cætera enim prolixiora sunt) tantum referemus:

*Chalcidenses servat.*

*Fidem Romanam candidissimam*
*Sanctè jurati colamus.*
*Puella cantate Iobem magnum,*
*Romamque, Titumq; & Romanorum fidem,*
*Io Paan o Tite servator*

Dignis eum honoribus etiam Græci affecerunt: &, quod honor verus ut sit efficit, mirabili sunt propter morum ejus mansuetudinem prosecuti benevolentia. Etenim si cum quibusdam rei vel negotii alicujus causa, vel per certamen de honore dissidium incidisset, ut cum Philopœmene, ac deinde cum Diophane Achæorum prætore non erat gravis ipsius ira, neque ea ad agendum quicquam asperius efferebatur: sed sermonis civili libertate usus, finem faciebat. Ne XXX que cuiquam acerbus, multis mobilior, & levis natura visus est: alioquin in consuetudine jucundus admodum, inque dicendo & scitus & gratiosus. Achæos quidem Zacynthum insulam sibi vindicare intendentes dehortans, periculosum fore dixit quemadmodum testudinibus extra testam, ita ipsis extra Peloponnesum caput protendere. Philippo, quo tempore primum pacificationis causa congressi sunt, dicenti illum cum multis, se solum adesse: Istam inquit, circa te solitudinem ipse occidendo amicos & propinquos effecisti. Dinocrates Messenius in convivio inebriatus, sumto muliebri indumento saltavit: postridie ad Quinctium venit, auxiliumque ab eo petiit, Messenem ad defectionem ab Achæis pertrahere moliri se dicens. Tum Quinctius: De hac quidem re deliberabo: te verò miror, qui tantas res aggressus, saltare & canere inter pocula possis. Apud Achæos cùm legati Antiochi ingentem exercitus regii multitudinem variis appellationibus enumerarent: Cœnavi, inquit,

*Quinctij dicta scite.*

*Dinocrates.*

*De copiis Antiochi.*

Quin-

Quinctius, aliquando cum hospite meo: carniumque varietatem reprehendenti mihi, simulque mirato ubinam tot generum carnes vænales inveniſſet, reſpondit ille, Suillas omnes eſſe carnes, coquendo & condimentis diverſitatem iſtam effectam. Proinde vos etiam, ô Achæi, nolite admirari copias Antiochi, cùm haſtatos, contiferos, regis amicos pedites auditis nominari: Syri enim hi ſunt omnes, armatura diſtincti. Confectis Græcis rebus & Antiochio bello XXXI Quinctius cenſor (qui eſt maximus magiſtratus, ac quodammodo graduum in republica ſummus atq; poſtremus) factus eſt cum Marcello. Marcelli ejus, qui quinquies conſul fuit, filio. Senatu moverunt quatuor non admodum illuſtres viros. Civium numero cenſuerunt, quotquot liberis eſſent parentibus nati; coacti à Terentio Culeone tribuno plebis, qui in fraudem optimatũ populo hæc decernere perſuaſerat. Eo tempore nobiliſſimi omnium, ac maximi duo viri Romæ inter ſe diſſidebant, Scipio Africanus, & M. Cato. Ex his Scipionem Quinctius principem Senatus legit, ut optimum & primum ejus ordinis virum. Cum Catone autem inimicitias hoc motus caſu ſuſcepit. Fratrem habebat Quinctius L. Quinctium Flamininum, cùm aliis in rebus diverſo ingenio, tum voluptatibus illiberaliter deditum decorique negligentiſſimum. Is puerum à ſe adamatum, etiam bellum gerens, ſecum habebat, ac per provincias circumducebat. Atque hic quodam in convivio laſcivè demulcendi amatoris cauſa, tanto ſe ejus amore teneri dicebat, ut quamvis nunquam hominis necem inſpexiſſet, videre autem pervellet, tamen cùm eſſet gladiatorum ſpectaculum, voluptatem, quam ex eo potuiſſet ſummam percipere, amori poſthabuerit, cumq; ipſo, ludis neglectis, abierit. His oblectatus Lucius: Nihil, inquit, mali eſt. ipſe enim cupiditati tuæ ſatisfaciam. Simulque unum de damnatis ex carcere adduci mandavit; eique in convivium accitus carnifex juſ-
XXXII ſus eſt collum amputare. Valerius Antias, non in amaſii, ſed meretricis gratiã factum ait. Livius in oratione ipſius Catonis ita ſcriptum aſſerit; Sedente in convivio L. Quinctio, Gallum perfugam cum uxore & liberis adfores veniſſe: hunc intromiſſum, & in gratiam amaſii L. Quinctium ſua eum manu interfeciſſe. Hoc exaggerandi criminis cauſa à Catone dictum probabile eſt. Equidem non perfugam fuiſſe cæſum, ſed captivum atque condemnatũ, id & alii multi, & Cicero orator in libro de ſenectute teſtis eſt, ipſi quidem ejus rei narrationem Catoni adſcribens. Cato cenſor factus, & Senatum repurgans, eo ejecit L. Quinctium conſularem: & verò ad fratrem quoq; ejus pertinere ea nota videbatur. Quamobrem uterque Quinctius ſordida veſte, lacrymiſq; madidi ad populum progreſſi, id, quod iniquum non videbatur, petebant, uti cauſam ederet Cato & rationẽ qua uſus illuſtrem familiã tanta ignominia affeciſſet. Cato nihilo remiſſior factus, cum collega ad populum prodiit, quæſivitque ex Tito an convivii illius acta cognita haberet. Negante Tito, ipſe narravit, Lucioque, ſi quid dictũ falsò putaret, jusjurandum

*Cenſura Quinctij.*

*L. Quinctij delictum, pœna, & reſtitutio.*

dum detulit. Hoc tacente, populus justam censuræ causam fuisse judicavit, Catonemque magnificè à tribunali deduxit. At T. Quin- xxx
ctius ob fratris casum ingenti dolore perculsus, cum iis, qui jampri- II
mum oderant Catonem, facta coitione, omnes ab eo factas publicarum rerum locationes & venditiones rescidit, senatu in suam sententiam pertracto. Multa etiam & gravia contra eum judicia constituit: haud scio quàm recte aut civiliter extremas contrà legitimum magistratum, civemque optimum propter merito punitum necessarium suum inimicitias exercens. Veruntamen Romæ ludis quibusdam cùm senatus, ut erat moris, primo loco splendidè consedisset, L. Quinctium extremo loco abjectè & ignominiosè sedentem ut vidit multitudo, miseratione commota non tulit eum adspectum, sed clamore sublato honestiorem ad sedem transire jusserunt, & transeuntem consulares ad se receperunt. Porrò autem quamdiu suffi- xxx
*Tribunus militum gesto consulatu fit Quinctius.* cientem materiam, ut istis quæ diximus, in bellis, habuit honoris IV cupiditas, qua flagrabat Quinctius laudem ei attulit: itaque etiam denuo tribunus militum fuit, nulla ei necessitate incumbente. At postquam privatus esse cœpit ætate jam provectior, in reprehensiones incurrit, quod in reliqua etiam vitæ parte ab agendo vocante, animi sui affectus, gloriæ cupiditate glisscentes, & sese juveniliter efferentes reprimere nō posset. Hujusmodi ut videbatur impetu etiam contra Annibalem elatus, multos offendit. Is Annibal cùm Car-
*Vt Annibalem ad mortem compulerit.* thagine profugus apud Antiochum regem egisset: hoc post acceptam in Phrygia cladem cupidè pacis conditiones accipiente, iterum solum vertens post multos errores tandem in Bithynia apud Prusiam substitit: nemine quidem Romanorum hoc ignorante, sed omnibus eum propter imbecillitatem & senectutem negligentibus, tanquam projectum à fortuna hominem. T autem Quinctius aliis quibusdam de causis ad Prusiam legatus à Senatu, ibi degentem Annibalem videns, indignè tulit, eum hominem vita adhuc frui: ac Prusiæ multis deprecanti pro supplice ac familiari suo, nihil concessit. Oraculum fertur antiquum de Annibalis exitu tale fuisse:

*Oraculo falsus Annibal.* *Libyssia gleba corpus Annibalis teget.*

Itaque Annibal de Lybia dictum opinabatur, seque vitam Carthagine finiturum, & ibi sepultum iri putabat. Est autem in Bithynia locus arenosus ad maris littus: juxtaque pagus non magnus, Libyssa nomine: hîc habitabat Annibal. Semper verò Prusiæ molliciei xxxv
*Libyssa.* diffidens, Romanosque metuens, ex suo domicilio septem exitus subterraneos habebat, cuniculis omnibus in diversa loca occultè & procul ab eo domicilio ducentibus. Audito igitur Quinctii mandato, fugam per cuniculos tentavit: sed in regiam custodiam incidens, mortem sibi ipse consciscere decrevit. Quidam perhibent veste collo circumjecta servo mandasse, ut genu suo in coxendicem fixo, corporeque ad summum supinato, vehementer eam traheret atque involveret, tantisper dum ipsum intercluso spiritu necaret. Alii, imi-

*Annibalis mors.*

tatum Midæ & Themistoclis interitum, sanguinem tauri hausisse. Livius pharmacum quod ad hos usus jamdudum præparatum haberet, infudisse scribit, sumtoq; calice hæc dixisse: Liberemus tandem diuturna solicitudine Romanos, qui invisi senis mortem exspectare longum putant, atque grave. neq; vero Quinctius admiratione dignam referet victoriam, neq; majorum laudibus consentaneam: qui Pyrrhum hostem, eumq; bello superiorem missis nunciis de futuro veneficio monuerunt. Huic fuisse vitæ finem Annibali memoriæ
xxx vi proditum est. Senatus postquam de his est factus certior, haud paucis importunus esse Quinctius est visus, nimisq; curiosus & crudelis, qui veluti avem præsenio jam volandi facultate privatam, eoq; defectu cicuratam & vita ultrò donatam, Annibalem interfeciſſet nulla urgente necessitate, sed ut gloriam sibi, cædis ejus auctor dictus, augeret. Tanto magis Africani Scipionis clementiam & magnanimitatem referentes admirabantur: qui invictum ante & terribilem in Africa cũ prœlio vicisset, neq; expulerat neq; dedi sibi à civib. eum poposcerat: quin & ante pugnam amicè fuerat cum eo collocutus, & parta victoria pacem componens nihil contrà eum tentaverat, neq; fortunę ejus insultaverat. Hoc etiam traditum est, Epheſi eos iterum congressos: atq; ibi honestiorem in deambulatione locũ Annibale sisibi vendicante, æquo animo id tulisse Africanum. Deducum inde præstantia quæstione oborta, atque Annibale præstantissimum imperatorum fuisse Alexandrum dicente, inde Pyrrhum, tertio loco sese: placidè subrisisse Scipionem, & dixisse: Quid ergo, si te ego non vicissem? Ad hæc Annibalem: Vtique, Scipio, tum non tertium mi-
xxx hi, sed primum tribuissem locum. Hæc plerique in Scipione laudantes, Quinctium reprehendebant, qui homini ab aliis prostrato manus intulisset. Neq; defuêre tamen qui id factum laudarent: Annibalem, quantisper vixisset, ignem esse rati, qui nihil quàm exsuscitantem desideraret: neq; enim ætate adhuc valido corpus ejus manumve Romanis terrori, sed calliditatem peritiamq; cum innata acerbitate & odio fuisse: horum nihil senectute ademtum. Idem nimirum ingenium manere, fortunam mutari; quæ spe oblata ad aggrediendum adversarium eos incitet, qui perpetua odia hostiliter e-
xxx xercent. Et verò quæ cõsecutæ sunt res, Quinctio patrocinatæ sunt.
viii Nam & Aristonicus à citharœdo genus ducens, Eumenis nomine abusus omnem Asiam seditionibus & bellis repleyit: & Mithridates à Sylla & Fimbria superatus, tantamq; militum ducumq; suorum cladem passus, terra marique rursus contra Lucullum summis viribus insurrexit. Imò autem ne C. Mario quidem abjectior tum Annibal erat, quippe cùm & regem amicum, & res necessarias, & familiarium manum circa se haberet, navibusque, equis & militibus exercendis instruendisque vacaret, & tamen Marcii fortunam Romani ridentes vagantis, & in Africa mendicãtis, paulò post eundem Romæ jugulati flagrisque cæsi adoraverunt. Adeo si futura respicias, nihil in præsenti neque magnum est, neq; parvum: sed idem & mutationum fortunæ.

*Africani moderatio.*

*Aristonicus.*

*Mithridates.*

*Fortuna.*

tunæ & vitæ est finis. Idcirco etiam quidam hoc Quinctium non suo arbitrio egisse ajunt, sed legatum fuisse cum L. Scipione missum: nullo quidem, nisi Annibalis morte, alio fine ei legationi proposito. Sed enim quod nulla post hæc neque civilis, neque bellica T. Quinctii actio nobis comperta est, atque is etiam in pace mortem obiit: restat, ut comparationem ipsam inspiciamus.

## PHILOPOEMENIS ET T. QVINCTII comparatio.

*Beneficia in Græcos.*

Ac primùm magnitudine beneficiorum in Græcos collatorum, XXX neque Philopœmen, neque quisquam etiam ex iis Græcis, qui mul- IX ti fuerunt eo præstantiores, æquari Quinctio potest. Illis enim contra gentiles suos bellum fuit: huic non Græco pro Græcis: & quo tempore Philopœmen civibus suis bello pressis auxilium ferendi facultate destitutus in Cretam abiit, eo Quinctius in media Græcia victo Philippo nationes & urbes Græcas liberavit. Si utriusque pugnas examines, plures Græcos Philopœmen, dum Achæorum esset prætor, quàm Macedonas Quinctius Græcis opitulans interfecit. Si peccata eorum componas, peccandi causam huic gloriæ cupiditatem, illi in contendendo pertinaciam fuisse invenies: eratque hic irritabilis, ille implacabilis. Nam & Philippo regiam dignitatem XL servavit Quinctius, atque Ætolis ignovit: & Philopœmen per iram à patria circumjacentes pagos abalienavit. Præterea ille quibus benefecisset, eosdem constanti benevolentia complexus est: hic iræ cedens facilè gratiam abjecit. Nam de Lacedæmoniis præclarè meritus, post & mœnia eorum solo æquavit, & agrum ademit, & ipsam ad extremum reipublicæ formam mutavit atque perdidit. Videtur etiam iræ indulgens atque contendendi studio vitam projecisse, non capta occasione; sed celerius, quàm ex re erat Messenem properans. Contrà, Flamininus omnia sua militiæ consilia prudenter & tuto administravit: At enim Philopœmen multitudine bellorum atque trophæorum suam rei bellicæ peritiam evidentiorem fecit. duabus enim pugnis adversus Philippum debellatum est: ille innumeris prœliis feliciter factis nullam omnino fortunæ de victoria cũ scientia disceptandi materiam reliquit. Et alter Romanorum opibus maximè florentibus usus est, alter jam ad interitum vergentibus rebus Græcis efflоruit: ut huic propria laus factorum, illi cum suis communis esse videatur: cùm quidem alter bonos duxerit, alter dux factus bonos & fortes suos effecerit. Sanè id quoque, quod hic cum XLI Græcis suis decertavit, infelix quidem, validum tamen virtutis ei suæ demonstrandæ, argumentum præbuit: nam inter eos, quibus pleraque omnia sunt æqualia, is demum excellere potest, qui reliquis virtute est superior. Quo quidem pacto, cum bellicosissimis Græcorum Cretensibus ac Lacedæmoniis bella gerens, illos astutissimos dolo, fortissimos hos audacia vicit. Super hæc, Quinctius jam

*Iracundia Philopœmenis.*

ante

ante constituta militiæ & ordinum ratione usus est: Philopœmenem novam intulit, prioremque mutavit, ut id quod victoriam maximè continet, hic cùm non exstaret invenisse: ille auxilio ejus tantum usus intelligatur. Manu quoque propria Philopœmen multa & magna facinora edidit: alter nihil planè. Itaque eum cavillatus est Ætolus quidam Archidemus, quod dum ipse stricto gladio in pugnantes & confertos Macedones incurreret, Flamininus supinas interim
XL cælo manus intenderet, stansque vota faceret. Porrò etiam Quin-
II ctius quæcunque præclarè gessit, aut imperator aut legatus gessit: Philopœmen privatum se nihilo, quàm cum dux esset, Achæis segniorem minusve utilem præstitit. Privatus enim Nabidem Messena ejecit, & Messenios liberavit: privatus Diophanem Achæorum prætorem, & Romanum consulem Sparta exclusit, Lacedæmoniosque servavit. Adeò natura ad gerenda imperia factus, non secundum leges, sed ipsis etiam legibus præesse ad utilitatem communem norat: neque opus ei erat, ut à subditis imperator crearetur, sed ipsis, quoties res postulabat, utebatur: eum potius, qui curam ipsorum gereret, quàm quem ipsi delegissent, ducem esse existimans. Generosi sanè fuit animi humanitas & benignitas, quam Quinctius Græcis exhibuit: generosioris, constantia & libertatis studium, quibus adversus Romanos usus est Philopœmen. Est enim facilius gratificari indigentibus, quàm resistendo potentiores offendere. Sed quoniam ita istis examinatis discrimen inter ipsos difficilè est cernere, cogitandum tibi relinquo, si Græco rei bellicæ, artiumque imperatoriarum peritiæ palmam, Romano justitiæ & bonitatis gloriam tribuamus, probéne arbitrium tulerimus?

*Archidami in Quinctium Scomma.*

## IN T. QUINCTIUM FLAMININUM annotata.

QVinctius *à voce* Quinctus, *hæc à* quinque *deducta videtur, ut rationem quoque cum antiqua scriptura consentire appareat, quo libentius eam retinui, quamvis obsoletam. Scribo etiam* Flamininus *ideo potissimum, ut inter* Flaminios, *quod est nomen plebejorum, & hos* Flamininos *cognomento patricios discrimen pateat. Error enim ejus qui libellum de Viris illustribus condidit, est rectè à Sigonio refutatus. cùm Livius palam ostendat, patricium fuisse T. Quinctium hunc. is autem C. Flaminius, qui consul ad Thrasymenum lacum bello Annibalico periit, & quem patrem hujus fuisse auctor iste affirmat, plebejus fuerit. quod cùm aliunde patet, tum ex Ciceronis Lucullo, ubi is tribunus plebis legem agrariam tulisse dicitur. Alioquin haud me præterit, apud Festum à Flamine Flaminius derivari. De ætate autem Quinctii nostri satis constat. Quid enim nobilius bello Philippico? Consul fuit adversus eum missus anno V. C.* IↃLVI.

Cap. 2. Colonis Narniam & Cossam.) *In Græco est* ἄρνειαν, & κόσσαν.

*σαν. neutrum in Italia invenio, sed ut scripsi ναρνίαν & κόσσαν. Sanè Livius lib. 27. has inter triginta Romanorum colonias refert: & quidem Marcello etiamnum vivente. auctas deinde scribit circa hac tempora: sed paulò aliter.*

Tribunatu plebis, prætura.) *Livius non longè ante ab initio lib. 32. de hac petitione loquens, tribunatus mentionem omisit, quem ne petere quidem patricio leges permittebant. Nam quod aliquando non patricii modò, sed etiam consulares fuerant tribb. plebeii, adhuc non attinet. Plutarchum idem sensisse cum auctore libri de Viris illustribus, suspicari hinc aliquis posset. nisi fortè in genere omnes magistratus, qui ante consulatum obirentur, exposuit. Statim:*

Ibid. Colonis studiosè adjuvantibus.) *Guar* Statimque in petitione Consulatus, prona in se habuit suffragia, τοὺς ἀπὸ τῶν κληρουχιῶν ἔχων προθύμους, *quod à Guarini verbis longissimè abest.* κληρουχίαν *inter alia esse sæpe* coloniam, *scitur:* suffragium *nunquam, tametsi ne id quidem satis sit Guarino futurum. Potuerant autem, ut obiter dicam, coloni eum vel favore vel amicorum suffragiis conciliandis juvaro. ne dicam, probabile esse, plerosque eorum jus suffragii in comitiis centuriatis (quibus consules creabantur) habuisse. Mox.*

Ibid. Fulvio autem & M. Curio.) τῶν δὲ περὶ φούλβιον καὶ μάλλιον, *falsò pro* μαίνιον. *Errorem libri Guarinus & Amiotus secutus est. quem nos & tollimus: & quod fuit addendum nomen prænomini, ex Livio addimus.*

Cap. 3. Etenim Philippo.) *Locus hic totus est à Guarino perversus.*

Cap. 4. P. Villium.) *Addidi & hic nomen ex Livio. Nam* P. Iulium *apud Guarinum falsò est scriptum: & infra* Villius *diserte nominatur.*

Ibid. Ad Apsum flumen.) *Apud Livium est* Aonum; *utrunque iis in locis invenias apud Geographos, ut in Stephano de Vrbibus annotatum est nobis. Sanè Strabo libro septimo planè eos conjungit. ut proximi fuisse videantur, & Livius* XXXI. Apsi *fluvii mentionem habet.*

Cap. 6. Consulebant Quinctio.) *Male hoc reddiderat Guarinus, & pro* Lyco Lyngum *reposuerat: non Græcum librum & veritatem, sed mendosum Livii codicem secutus. Locus autem is rectè legitur lib.* 31. Ad Lycum stativa posuit prope flumen Bovum: inde frumentatum circum horrea Dassaretiorum mittebat.

Cap. 9. Qui intra Pylas habitabant.) *Eædem* Thermopylæ *etiam appellabantur. Qui loci noticiam habere cupiunt, Strabonem libro nono & verò Livii descriptionem libro trigesimosexto pulcerrimam legant.*

Cap. 9. Brachyllelin.) *Livius lib.* 33. Barcillam, *nominat. Polybio* Βραχυλλης *scribitur, lib.* 17.

Cap. 11. An quod præfestinatione) ὑπὸ σπουδῆς. Opera dedita *versum fuit ante. contra & sensum loci hujus & verba. nam* σπουδὴν *etiam*

*etiam* festinationem *esse, vel pueris notum est, & sensit Amiotus. Pugnæ hujus copiosa admodum & diserta descriptio exeat in fragmentis Polybianis lib. 17. etsi misere (ut omnia alia ejus auctoris) versa, aut perversa potius. Subjungitur armaturæ & aciei Romanæ cum Macedonica comparatio & perspicua & jucunda. Neque debet quisquam studiosus eorum cum his collationem omittere.*

Cap. 12. Totum quod omne totum.) καὶ ὅτι παντὸς ὅλου; *Græca lectio non constat, sententia non obscura*

Cap. 18. Corvi enim qui tum forte prætervolabant) *Eius rei simile omnino exemplum in legis Gabiniæ rogatione, scripsit Diodorus lib. 36. Meminit Valerius Maximus lib. 4. cap. 8.*

Cap. 19. Cimonis ad Eurymedontem fluvium, & insulam Cyprum.) *Guarinus* Eurymedontis & Cyprica Cimonis opera *Oscitanter hoc, & ita, ut lector, quid sibi ille Eurymedon velit, & ducis ne an loci nomen sit, intelligere non possit. Atqui interpretis munus ita non est obeundum. Enimverò uno die & ad Cyprum navali, & ad fluvium Pamphyliæ Eurymedontem terrestri prælio Persas à Cimone Atheniensium duce victos fuisse, ut omittam Plutarchum id in Cimonis vita docentem, testatur* Thucydides *libro* 1. *extatque luculenta utriusque victoriæ descriptio apud Diodor. Sic. lib.* 11. *Meminit fluvii hujus etiam Livius perspicue lib.* 33. *Strabo libr. decimoquarto. Mox:*

Ibid. Generis communitatem.) *Eam copiosè demonstrat lib.* 1. *Antiq. Romanæ Dionysius Halicarnasseus.*

Cap. 20. Titillium in Thraciam,) L. Sertinius, *& in libris aliis* L. Thermus *legitur apud Livium, haud scio rectène, an secus.*

Cap. 31. Xenocratem Philosophum.) *Sensum hujus loci videtur Guarinus non fuisse assecutus, certè non extulit.* μετοίκιον *fuisse pensionis genus, quod inquilini* (μέτοικοι) *Athenis solverent, ex Isæo & aliis scriptoribus antiquis docent Harpocratio ac Suidas. exactum fuisse à publicanis, hic locus ostendit. Xenocratem Athenis fuisse inquilinum, patet: fuit enim Chalcedonius. estque ea de re in Phocione infra scriptum.*

Cap. 33. Cumque eum posset capere.) ἑλεῖν παρασχὼν, *nullo sensu, conjicio fuisse scriptum* ἑλεῖν παρὸν, *ut supra* παρὸν ἐκκόψαν τὸν πόλεμον ἄρδην, *& aliàs frequenter. Notus est enim hic Atticismus etiam pueris. Mox:*

Cap. 34. Mercedem recepisset.) κεκοσμημένῳ *mendosum est. si legas* κεκομισμένον, *benè erit.*

Ibid. Auctor est Itanus.) οἱ περὶ τὸν ἰτανόν. *Ego* Itanum *scriptorem nominari uspiam vix credo: itaque locum habeo suspectum, neque satis invenio, quid reponendum putem.* Hyrcanum *vertit Guarinus: quid secutus sit, nescio. Mox:* Auri conflati. χρυσίου συγκεχωνευμένου: *Guarinus (scite nimirum)* defecati auri. Aurum *vero* conflatum *puto* infectum *intelligi, quod neque formam aliquam habeat neque signatum sit.*

Cap.29. Pæanem canunt.) *Quid esset παιὰν & ἰήϊος & similia alibi rectius explicatur. Versibus autem usus sum ferè lege solutis: quod in Græco neque distincti sunt, & videntur liberi esse: neque est res magni momenti.*

Cap.30. Messenius in convivio) μεσσήνιος ἐν Ῥώμῃ. *Sed hoc ἐν Ῥώμῃ alienissimum est ab historia. nisi fortè Roma in Achaicam aut Peloponnesum pervolare nebulo iste una nocte potuit. Expunxi itaq; eversione totum. ubicunque enim tandem ista sunt acta, neque Romæ sunt acta, & rectè à Quinctio vituperata. Si conjecturis vellem indulgere, dicerem mihi videre legendum ἐν Ἰθώμῃ. Nam Messenæ fuisse vicinam Ithomam perspicuum est. docti judicent, an abs re hanc conjecturam alleverim.*

Ibid. Cum hospite meo.) *In Apophthegmatis additur, Chalcide id factum. & ibi πεζετέρους, hic πεζεταίρους legitur, quæ varietas etiam in aliis est libris: neque lubet hac infarcire, quæ ea de re annotavit in quartum Iliadis librum Eustathius.* Regis amicos *ego verti, verbum de verbo. Satis enim Harpocratio & Suidas mihi videntur demonstrare apprimè idoneorum scriptorum testimonio, πεζεταίρους eos fuisse, quasi πεζοὺς ἑταίρους. Itaque alteram lectionem ab imperito rerum aliquo invectam cùm sentio, tum explodo.* Contiferos *vocem finxi, ξυστοφόρους. De discrimine eorum vocabulorum, non est hic locus commentandi*

Cap.31. Civium numero censuerunt.) *Miror hoc omissum à Livio: & quidem* Leonis *cognomen mihi suspectum est.* Culeo *cognomentum* Terentii *est apud Livium extremo lib.30. ut suspicer non* τοῦ λέοντος, *sed* κουλέωνος *scriptum fuisse. Mentio fit etiam in vita Pompeii cujusdam* Culeonis, *qui ei, ut dimitteret Iuliam suasit. Mox:*

προγράφειν τῆς βουλῆς. Ibid. Principem Senatus legit.) προέγραψε τῆς βουλῆς, *non* προσέγραψε. *Dictio est observanda. nam hoc significari, vel ex Livio hanc censuram, quamvis jejuncus describente intelligitur lib.38. Eodem modo locutus est noster in T. Graccho,* ἄππιος κλαύδιος προγεγραμμένος τῆς ῥωμαίων βουλῆς.

Cap.32. Iusjurandum detulit.) *Guarino imposuit mendum, fecitque ut sensum perverteret hujus loci, nam* ὁρισμὸν *scriptum est male, pro* ὁρκισμὸν, *quæ ipsa vox in Catone Censorio habetur in ejusdem facti narratione: ut mirer, non animadversum librarii lapsum ab interprete. Historia est apud Livium, libro undequadragesimo.*

## IN COMPARATIONEM annotata.

Cap.40. Ille innumeris prœliis.) *Hanc & sequentes periodos in quibus summa comparationis ferè inest, ita vertit Guarinus, ut qui conferat cum Græca & nostram orationem facilè sit animadversurus, cur nova versione opus esse duxerimus.*

Cap.

Cap. 42. Privatus enim Nabidem.) στρατηγὸς μὲν γὰρ ὢν *est in Græco, contra & historiæ veritatem, quam in Philopœmene Plutarchus ipse testatam fecit (neque dixeris tantum virum ita citò sui oblitum fuisse) & loci hujus naturam atque propositum. Ergo audacter recessi à codice Græco quem particulæ negativæ omissione corruptum arbitror, itaque fuisse scriptum:* στρατηγὸς μὲν γὰρ οὐκ ὤν, νῶβιν ἐξέβαλεν ἐκ μεσσήνης, *&c. Simile mendum supra in Philopœmene deprehendimus.*

## PARTIS PRIMÆ VITARUM PLUTARCHI FINIS.

# CATALOGUS AUTORUM,
## QUI IN PRIMA HAC PARTE
### Vitarum Plutarchi citantur & allegantur.


*A.*

*Aeſtodorus* 159
*Aeſchynes orator* 113.220
*Aeſchylus* 160.436
*Aeſopus* 402
*Al* 503
*Andron Halicarnaſſeus* 13
*Androtion* 116
*Antigonus* 37
*Antimachus* 342
*Antiphontis criminationes* 263
*Antiſthenes* 262
*Apollodorus* 56
*Apollothemis* 58
*Archilochus* 3.222
*Archippus* 262
*Ariſtochrus* 436
*Ariſtocrates* 57
*Ariſton Philoſophus* 153
*Ariſtophanes* 161.221.223.262
*Ariſtoteles* 7.12.55.58.63.74.77 129.132.187.207.210.211.221. 222.384.393.453
*Ariſtoxenus* 77.453
*Athanes* 343
*Athenodorus Sandio* 343

*B.*

*Bacchylides* 84
*Bion* 12.15
*Butas Elegiographus* 40

*C.*

*AEcilius* 47
*Cato Major* 297
*Charon Lampſacenus* 112
*Chryſippus* 204
*Cicero* 205
*Cleodemus* 448
*Clidemus* 9.108
*Clitarchus* 167
*Clodii index temporum* 81
*Cornelius Nepos* 452
*Cratinus Comicus* 123.206.214. 220.
*Critias* 61.282
*Critolaus* 209

*D.*

*Daimachus Plataenſis* 149
*Damaſtes* 185
*Damon* 11.435
*Delphici commentarii* 134
*Demetrius Phalereus* 71.122.453
*Democritus* 349
*Demoſthenes* 457
*Didymus Grammaticus* 107
*Dino* 167.315
*Diocles Peparethius* 27.30
*Diodorus Periegethes* 19.171
*Diogenes* 76
*Dioſcorides* 60.61
*Durus Samius* 222.283

*E*

*Ephorus* 167.221.222.282.325. 392.
*Eratoſthenes* 55.168
*Eſanthes Samius* 113
*Eupolis* 207.220
*Euripides* 2.7.15.100.247.262. 267.
*Eutychides* 55

*F.*

*Fabius Pictor* 27.30

*H.*

*Hellanicus* 8.13.16.288.
*Heracletus* 219
*Heraclides Cumaus* 167.187.353
*Heraclides Ponticus* 108.112.227
*Hereas Megarenſis* 9.17
*Harmippus* 57.71.108.111.112.225


*Hero-*

*Herodorus* 13.31
*Herodotus* 445.448.474
*Hesiodus* 7.9.108.185.475
*Hieronymus Rhodius* 453
*Hippias Eleus* 82
*Homerus* 7.9 12.18.124.249. 310.342.383.392.408. 475.482. 487.

*I.*

*Icius* 100
*Idomeneus* 227.442
*Ion* 222
*Ion Chius* 9
*Ion Poeta* 207
*Isocratis de bigis oratio* 268
*Ister* 18
*Itanus* 507
*Iuba Rex* 427

*M.*

*Amerous* 340
*Melanthius Poeta.* 123
*Menandri comœdia* 34.35
*Menecrates in historia Nicææ* 13
*Menon* 224
*Mnesiphilus* 152

*N.*

*Asica* 356.361
*Neanthes Cyzicenus* 169
*Numa commentarii* 413

*P.*

*Pænon Amathusius* 9
*Panætius* 435.453
*Parmenides* 207
*Phanias Lesbius* 52,156.160
*Pharecides* 8.76
*Philarchus* 171.185
*Philochorus.* 6.8.9.13
*Phrynichus* 273
*Pindarus* 45.70.156.419
*Piso* 98
*Plato* 58.60.74.76.89.97 124. 171.215. 220. 262. 264.301.393. 415.452.460.488
*Plato comicus* 171.207.268
*Polybius* 256.359.282.427.462
*Polyzelus Rhodius* 117
*Posidonius* 248.360.361.404. 412. 419.426
*Promathionis Italica* 16

*S.*

*Copas Thessalus* 467
*Sextius Sylla* 35
*Simonides* 5.8.55.161
*Simili poeta versus* 37
*Socrates* 214
*Solonis versus* 108
*Sophocles* 101.120.342
*Sosibius* 72
*Spherus* 58
*Stesimbrotus* 152.166.210.214. 221.227.

*T.*

*Eleclides* 206.216
*Terpander* 70
*Theophrastus* 110.166.219.226. 260.451
*Theopompus* 162.166.170.282 325.392
*Thucydides* 74.166.209.215.225. 226.239.268.273.457.
*Timæus* 55.77.325.342.372
*Timocreontis Rhodii versus* 164
*Timon Phliasius* 207
*Tyrtæus* 59

*V.*

*Alerius Antias* 34.198.510
*Valerius Maximus* 426
*Varro* 36

*X.*

*Enagoras* 357
*Xenophon* 55.282.419

*Z.*

*Eno* 76
*Zenodotus Trœzenius* 35

# INDEX RERUM ET VERBORUM MEMORABILIUM, QUÆ IN PRIMO HOC Tomo Vitarum Plutarchi, partim allegantur, partim explicantur; fidelissimus juxta ac locupletissimus.

Continet hic Index Magistratus, Leges, Oracula, Prodigia, Apophthegmata, Stratagemata, Bella, Orationes, aliaque quæ ob faciliorem usum singula singulis potius indicibus digerenda, quàm omnia in unum conjicienda & confundenda erant.


A.

*A Bantum tonsura* 3
*Abillius* 35
*Academia unde dicta* 17
*Academus rapta Helena index ibid.*
*Acca Larentia Romuli altrix* 28
*Achæi captos Romanos redimũt in gratiam Quinctii* 505. *T. Quinctio se dedunt* 499
*Achæorum fœdus & societas* 494 *potentia ab Arato erecta, à Philopœmene confirmata & aucta* 486
*Achelous* 218
*Achradine* 333. 418
*Aciei instruẽdæ ratio* 392. *& seq.*
*M. Acilius consul* 505
*Acron rex Caniensium Romulo bellum infert* 36. *singulari certamine à Romulo victus ibid.*
*Adimantus* 285
*Admetus* 84 166
*Adranum* 329. 2 2
*Adria* 183
*Æacus* 5
*Adulteria Sparta rata* 66
*Ægæ* 167
*Ægeus cum Aethra concumbit* 2. *ejus interitus* 10
*Ægina* 160. *ab Atheniensibus occupata* 226
*Ægos potami* 285
*Ægyneta* 154
*AEMILIVS PAVLVS* 349
*Aemilii Pauli acta in Hispania* 350 *auguratus ibid. calamitas amissione filiorum* 368. *censura* 370. *comitas & liberalitas* 365. *constantia & patientia* 369. *continentia* 373. *filii* 351. *genus* 349. *cons. gesta adversus Ligures* 351. *in optimatum partibus permansio* 370. *morbus ibid. mors & funus* 371. *paupertas* 350. *pugna cum Perseo* 358. *repulsa & liberorum institutio* 351. *res familiaris* 371
*Aemilii Strategema in disjiciendâ Macedonum phalange* 350 *studia* 349. *triumphus* 367. *uxor* 350
*Aemilii & Persei colloquium* 363
*Aemiliorum familia unde* 349. *origo ibid.*
*Aemilius Paulus consul & dux belli Persici creatus* 353. *disciplina militaris tenax* 350. *Epirum populatur* 365. *Græciam perlustrat* 364. *virtute an fortuna rem gesserit* 354. *milites corrigit* 355. *ut Romam redierit* 365
*Aenobarbi cognomen unde* 363
*Aequalitas* 100. 115
*Aes alienum à Solone discussum* 116

*Aeschylus* 325
*Aeschines Lamprienſis* 444
*Aeſon fluvius* 358
*Aeſopus* 125
*Aeſuvium pratum* 138
*Aethra Theſea ortum ſuum docet* 3. *Theſei mater. ibid. capta a Spartam cum Helena abducta* 18
*de Aethra varia narrationes ib.*
*Ætolorum improbitas in T. Quinctium, & Romanos* 503
*Agatharchus pictor* 213
*Ageſias acharnenſis* 444
*Ageſipolis Spartæ rex* 385
*Agis* 276
*Agidis filius, ſpurius Alcibiadis ibid. multa* 62.
*Agricultura laus* 94
*Agrigentum* 341
*Agrippa apologus* 296
*Agrorum diviſio* 100
*Ajo Locutio templum extructum Romæ* 191
Ἀγάστα λιώς. *proverbium* 6
*Albani lacus miraculum* 176
*L. Albini pietas* 186
*Alcander* 61
*ALCIBIADES* 262. *à Tiſaphberne capitur* 276. *ad judicium Athenas evocatur* 274 *abſens accuſatur* 273. *damnatur* 275. *ad Tiſaphernem confugit* 276. *Athenienſibus Argivos, Mantinenſes, & Eleos jungit* 260. *Athenienſibus damna qua intulerit exul* 276. *balbus* 262. *belli Siculi dux* 271 *Bithyniam capit* 280. *Byzantium recipit* 281. *Chalcedonem obſidet* 280. *Chamaleonte mutabilior* 275. *dux cum plena poteſtate creatus* 283. *Eleuſinia inſtaurat ibi. erga amatores qualis* 265. *fax belli Siculi* 271. *Hyperbolum Oſtraciſmo expellit* 268. *impietatis accuſatus* 272. *pacificationem Græciæ impedit* 268. *Selybriam ut ceperit* 281. *Spartanis ſe adjungit* 275. *ut in Rep. ſit verſatus* 268
*Alcibiadis accuſatio* 275. *coturnix* 266. *cum Athenienſibus pactum* 277. *cum Nicia contentio* 268. *cum Socrate conſuetudo* 262. *dicacitas* 315. *dicta* 265. *equus & currus* 267. *facundia ibid. forma* 262. *fuga in Bithyniâ* 285. *genus* 262. *injuria* 264. *in legatos Lacedæmoniorum perfidia* 296. *largitio* 266. *luxuria* 270. *magnificentia* 267. *militum ejus arrogantia* 280. *moderatio* 278. *mores* 285. *morum varietas* 262. *nutrix Spartana* 66. 262. *reditus Athenas* 282. *ſomnium & interitus* 286. *ſtatua Romæ poſita* 88. *victoria ad Andrum* 284. *victoria ad Chalcedonem* 280. *victoria apud Cyzicum de Mindaro & Pharnabazo* 279. *victoria navalis apud Abydum ibid. vitia* 271. *uxor* 266
*Alcibiadis & Socratis militia* 265. *Alcibiadi honores à Græcis Aſianis habiti* 267. *Alcibiadi imperium abrogatur* 285 *Alcibiadem ſua gloria perdidit* 284. *Alcibiade abſente vincit Lyſander ibid. de Alcibiade dictum Archeſtrati* 271. *populi ſenſus ibid. Timonis Miſanthropi judicium ibid.*
*Alcmæonida* 127
*Alexandri Magni inſtitutum de radendo mento* 3
*Alexander Pheræus Thebes uxoris opera necatur* 403. *ejus crudelitas* 399

*Alexander, Theſſalis idem quod Paris* 18
*Alycus* 17
*Amazones Athenas obſident* 14. *à Theſeo ſuperantur ib.*
*Amazonum ſepulcrum ibid.*
*Amilcar Barca* 461
*Ammonius Philoſophus* 171
*Amompharéti Spartani pertinacia* 446
*Amor miniſter deorum ad ſervandos juvenes* 48
*Amoris conſuetudo apud Thebanos* 393
*Amulius* 27. *ejus interitus* 30
*Anaces* 17. 92
*Anactes unde dicti* 17
*Anacharſis* 110
*Anapus fluvius* 334
*Anaxagoras* 152. *à Pericle neglectus* 216. *Athenis periclitatur* 224. *Periclis præceptor* 207
*Anaxilaus* 281
*Ancilia* 91. *è cœlo delapſa ibid. unde dicta* 92
*Ancilla bello Romam liberat* 193
*Ancus Martius* 127
*Andria* 62
*Androclides* 385
*Androcles* 272 *& ſeq.*
*Androcydes* 274
*Androgeus in Attica occiſus* 6
*Andromachus* 326
*Anecathen, Atticis idem quod ἀνωθεν* 17
*Anguſtia apud Apſum fluvium* 499
*Animarum immortalitas quatenus admittenda* 45. 46
*Anni correctio Variorum populorum* 95
*Annibal an à Marcello victus* 427 *oraculo falſus* 510. *victoria uti uſus eſt* 247
*Annibalis aſtutia, qua Labienum effugit* 247. *dictum* 252. *dictum de Marcello* 423. *in Italiam irruptio* 239. *inſidiæ in Fabium* 250. *interitus* 510
*Anno* 333
*Anſere proditi Galli* 190
*Antalcidas Spartanus* 400
*Antalcidæ dictum in Ageſilaum vulneratum* 390
*Antemocritus* 23
*Antigonus* 383
*bellum Cleomeni infert* 484
*unde Doſon appellatus* 352
*Antigonus Conatas* 352
*Antiochus* 266. 284
*Antiochus magnus* 463. *à Romanis vincitur* 507. *vincitur in Thermopylis* 464
*Antiopa Amazon à Theſeo capta* 14
*Antiphontis in Alcibiadem criminationes* 263
*Antiquitas fabuloſa* 1
*Antiſthenes* 205
*Anytus* 264
*Aollius* 35
*ἀπεκδέζειν* 58
*Apheta* 156
*Aphidna, Aphidnus* 16
*Apis omen* 337
*Apollo Tegyræus* 391
*Apollinis locus natalis ib.*
*Apotheta* 66
*Appius* 370
*Appius Clauſus Sabinus Romam tranſit* 145
*Aprilis menſis* 15
*Apſus fluvius* 499
*Aquillii* 135
*Araterium* 18
*Arceſilaus Academicus* 482
*Archagetæ* 58
*Archeſtrati dictum* 271
*Archias Athenienſis* 586
*Archias Thebanus ibid.*

Archidamus 223.225
Archilochus 84
Archimedes Syracusas machinis suis tuetur 415
Archimedis interitus 418. machina 415. sublimis animus 416
Architeles 155
Archytas 415 (2 0
Areopagi auctoritas [illegible]inuata
Areopagitici senatus potestas abolita [illegible] 209
Areopagitarum institutio, potestas & officium 119
Areta 341
Argo Iasonis nauis 9
Ariadne Thesei adjutrix ibid.
Ariadnæ sepulchrum 10
Ariadnæ sacra 9. & seq.
Ariadnæ duæ ibid.
de Ariadnæ varia historia ibid.
Ariamenes 160
Armanius 168
Arimnestis 447
Ariphro 262
Aristænetus 492
Aristeæ Proconnesii fabula 45
ARISTIDES 435. ab exilio revocatus 158. 440. an pauper fuerit 435. cum Themistocle in gratiam redit 440. Eponymus fit 438. Iusti cognomen accepit ibid. ostracismo urbe ejicitur 439. peculatus postulatus 437. pensionem Græcis constituit 451. prædæ Marathonia custos 438. Themistocli adversarius 436. Themistoclis actionibus resistit 436. Themistoclis consilium repudiat 450. ut Callian propinquum judicio liberaverit 452. ut exilium tulerit 440
Aristidis æquanimitas 317. consilium de Xerxe fugando 161. consilium de Xerxe Græcia ejiciendo 441. constantia & gravitas 437. continentia ibid. erga Themistoclem æquanimitas 452. filius ibid. institutus in rep. versandi 436. moderatio 443. mors 452 paupertas gloriosa 451. Virtus in pugna Marathonia 438. de Aristide Platonis judicium 452. in Aristidem defunctum Athenienses gratitudo 453. Aristidis & Themistoclis inter se dicteria 451
Aristides Locrensis 326
Aristogito 453
Aristomenes Messenius 43
Aristonicus 511
Aristotelis eloquentia 475
Arithmiadas 57
Armilustrium 42
Armorum luxus utilis 457
Arnaces 161
Artabazus 162
Arthagoras Chius 450
Artemisium 156
Artemon Peripheretus 221
Artes sæpe laudantur, opifex contemnitur 206
Arthmius Zelites 155
Aruns 138. 144
Aspasia Cyri junioris 227
Aspasia Periclis 219. rea facta 224.
Aspis Valor 182
Astyochus 277
Astu 12
Asylum Romuli 31
Athena 12. suasu Themistoclis deserta 157
Athenarum calamitas ob occisum Androgeum 6. 7. ornamenta & ædificia à Pericle confecta 211. 214
Athenensis populus in tres partes divisus 12
Athenienses bello Medico à sociis prodita 157. bello Medo-

*co summæ res præfecti* 155. *cum Spartanis æsta Pelopida eommittuntur* 390. *septem pueros, totidemque puellas Minos mittere coactt* 8. *& de illis pueris quid factum* 7.8. *tributum Minotpendunt* 7
*Athenienſium bellum pro Delphis contra Cyrrhæos* 153. *clades ad Aegos potamos* 2[illegible]. *colonia* 212. *moderatio in pugna Plataica* 443. *magnanimitas bello Medico* 441. *pœnitentia ejecto Alcibiade* 286. *in Thebanos exules humanitas* 386. *victoria apud Platæas* 444
*Athenis factiones* 114. *reſp. mutata* 278
*Attica moneta cur bove inſignita* 12
*Athletica qualis* 483
*Athlantiaus ſermo Solonis* 128
*Attalis regis mors* 501
*Attis* 84
*Audacia ex vitæ contemptu orta* 382
*Augurium factum Romulo & Remo* 31. *Numa datum* 12
*Autarctus* 160
*Axiochus.* 219.

B.

*Babyca* 392
*Babyx* 58
*Bacchus Evius & Thriambus* 420
*Bacchus omeſtes* 160.441
*Bantias* 424
*Barca* 247
*Bathycles* 110
*Belli porta* 96. *Gallici terror* 418
*Bellum Gallicum poſt primum Punicum confectum* 418. *Medicum* 155. *Peloponneſiacum, & ejus anſa* 223. *Romanorum contra Perſeum* 358. *Romanorum cum rege Antiocho* 463
*Bias* 110
*Bigati* 118
*Biro* 125
*Bœdromia ſacrificia* 14
*Bœdromion menſis* *ibid.*
*Bœotarchæ* 394
*Bœoti Romanis ſe adjungunt* 502.
*Bos, inſigne moneta Athenienſis* 12
*Bottiæi* 7
*Bruſidas* 76
*Braſidæ egregia mors* 72
*Brauron* 113
*Bruto in filios ſeveritas* 136. *& de hac judicium auctoris ibid.*
*Bruti mors* 138
*Brutius Sura* 97
*Bulla* 39

C.

*Calauria* 340
*Calippus* 329
*Callias* 266. *ob Ariſtidem accuſatus* 451. *ejus facinus crudele* 438
*Callicrates* 214.446
*Callicratidas* 76.383
*Calpurnia familia* 97
*Calpus* *ibid.*
*Camerti à Romanis victi* 42
*FVRIVS CAMILLVS* 175. *Ardea Gallis inſidiatur* 187. *Capenates & Falerienſes oppugnat* 176. *decimam prædæ conſecrat* 179. *dictator I. Veios capit* 177. *dictator II.* 189. *dictator III.* 193. *dictator IV* 197. *dictator V. Gallos ſecundo cadit* 198. *Manlium accuſat* 195. *offendit populum* 179. *peculatus poſtulatur* 81. *Præneſtinos & Volſcos vincit* 196. *quinquies dictator nunquam tamen conſul* 175. *Sutrium recipit* 195. *trib. militum* 176. *trib. militum, Falerios ſubigit* 181.

*ter-*

*rursus trib. militum* 195. *tribunus militum sexto creatus* 196
*Volscos deditione capit* 194.
*Faliscos superat* 277
*Camilli censura* 175
*Camilli mors* 266. *triumphus tertius de Latinis & Volscis* 194
*Camilli tyrocinia* 175
*Campus Martius* 137
*Canis immolatio in Lupercalibus* 41
*Canis Xanthippi* 158
*Canulea* 89
*Capitolinus* 408
*Capitolium Iovis templum* 142
*Capitolij magnificentia ibid. inauguratio* 141
*Capitolium* 141. *conflagrat* 342
*Capræ palus* 144. 194
*Caprificus Ruminalis* 27
*Carmenta Gates* 40
*Carmentalia ibid.*
*Carneades & Diogenes Romam legati* 302
*Carthaginenses ingenti prælio à Timoleonte vincuntur* 338
*Carthaginensium in Siciliam expeditiones* 336
*Sp. Carvilius primus Romanorum, nuncium uxori remisit* 50
*Casander Mantineus* 482
*Castor & Pollux* 94. 295
*Castores* 295
*Castores Atticam infestant* 17
*Catana* 312
*M. CATO CENSORIVS* 456. *accusandi studiosus* 465. *accusatus sæpe ibid. admirator M. Curij* 457. *Antiochum in Thermopylis vincit* 464. *Fabis sectator, Scipioni adversator* 458. *censor L. Quinctium senatu ejicit* 466. *Græcas literas sero attingit* 457. *medicis iniquus* 471. *Nearchum Pythagoricum audit* 457. *novus homo* 456. *Philosophis iniquus* 471. *quos magistratus gesserit* 458. *sui laudator* 464. *ut liberos instituerit* 468
*Catonis acta post consulatum* 463 *aliqua dicta* 460. *censura* 465 *consulatus & res in Hispania gesta* 462. *continentia eximia* 459. *cum meretrice consuetudo* 471. *cum Scipione contentio* 462. *disciplina servorum* 469. *existimatio & temperantia* 458. *facundia qualis* 456. *F. in prælio Persico virtus* 469. *Fortitudo* 360. *forma* 456. *gravitas* 460. *in L. Scipionem severitas* 467. *in luxu reprimendo consilium ibid. in Manilium severitas ibid. in Repub. perseverantia* 472. *inhumanitas erga jumenta* 459 *libri & agricultura* 472. *militia* 456. *oratio qualis* 460. *patria & majores* 456. *posteritas* 473. *rei faciendæ institutum* 470. *rei familiaris administratio* 468. *reprehensio* 476. *secunda nuptia* 471. *& earum reprehensio* 477. *statua* 474. *triumphus* 463. *Catone auctore Carthago excisa* 472. *in Catonem epigramma* 456
*Cato Salonius* 471. 473
*Celer Romanis qui dictus* 32
*Celer Remi percussor* 31
*Celeres, stipatores Romuli* 43
*Censorinus* 293
*Cenchrea* 306
*Censores Æmilius Paulus, & Marcius Philippus* 370. *Cato major, & Valerius Flaccus* 466. *T. Quinctius & Marcellus* 509
*Censorum munus* 465
*Census Romæ remissus* 370

*Census Romæ Tempore Poplicolæ* 141
*Census Atheniensium à Solone institutus* 118
*Centauri* 15
*Cephisodorus* 389
*Cerato, cornuta ara* 10
*Cereris Eleusiniæ templum* 443. *festum* 248
*Cermanus, sive Germanus* 27
*Cimon ossa Thesei invenit* 19
*Clarius fluvius* 124
*Clastidium* 410
*Clazomenæ* 279
*Cleandridas* 219
*Cleobis* 125
*Cleomedis Astyphalæi fabula* 45
*Cleomenes Megalopolin diripit* 484
*Cleombrotus* 395
*Clientes* 34
*Clinias* 262
*Clisthenes* 206. 436
*Cloelia & Virginum obsidum fucinus* 144
*Clusium* 142. 183
*Clypei Romanorum* 40
*Cn. Octavius* 363
*Cnacio* 54 426
*Collatinus* 134. 13.
*Collatinus magistratum abdicat* ibid.
*Collis Quirinalis* 46
*Colonia Cameriam missa* 42
*Colonia Graca in Sibiliam missa* 335
*Colonia Fidenas missa* 42
*Colossus Herculis* 252
*Comicorū in Periclem rabies* 214
*Comitium* 39
*Conjugii leges Romæ* 101
*Connidas Thesei pædagogus* 2
*Consilii mutatio turpis* 326
*Constantia qualis esse debeat* ib.
*Consualia* 34 35
*Consules: Æmilius Mamercinus, & L. Sextius* 199. *Brutus, & Valerius Tarquinius Collatinus* 134. *Flaminius & Furius* 409. *L. Valerius Flaccus, M. Cato* 462. *M. Valerius, Posthumius Tubertus* 140. *Marcellus, Cn. Cornelius* 410. *Poplicola II. & T. Lucretius* 143. *Quinctius, & Sext. Ælius* 498. *Scipio & Crassus* 253. *Scipio Nasica, & C. Martius* 409. *Terentius Varro, L. Æmilius Paulus,* 246
*Consulatum petendi mos* 300 *de consulum altero ex plebe creando controversia* 199
*Census* 34
*Contemplatione digna quæ* 205
*Contumacia obsequio deterior* 315
*Conviviorum lex Spartæ* 62
*Copiæ navales Atheniensium* 160
*Copiæ navales Xerxis* ib.
*Corinthiorum auxilium à Syracusanis imploratur* 324
*Corinthiorum in Thurios fides* 33
*C. MARCIUS CORIOLANUS* 293. *accusatur* 350. *ad Volscos confugit* 304. *consulatum petens repulsam patitur* 300 *damnatur* 304. *dux belli creatus contra Romanos* 307. *frumenti divisionem in populum impedit* 301. *multas Romanis urbes adimit* 308. *plebi & tribb. repugnat* 300. *Romam obsidet* 308. *Romæ obsidionem matri condonat* 313. *ut à Tullio interemptus* 314. *ut Romanos cum Volscis commiserit* 307. 315
*Coriolani contumacia in dicenda causa* 304. *erga matrem amor* 295. *ingenium* 294. *mors* 313. *luctus & sepultura* 314. *nomen unde* 298. *virtus in capien-*

*piendo Coriolos* 297. *à Coriolano bellum Volscum non recte compositum* 316
*ad Coriolanum legati missi* 300. *altera legatio ibid. tertia legatio Pontificum* 310. *in Coriolanum invidia Volscorum & Tulli* 309
*Corioli, urbs Volscorum* 296
*Cornus sacra Romæ* 39
*Corona civica querna* 294
*Corpora ut procera fiant* 67
*Creophylus* 57
*Cretum avaritia* 362
*Crimesus fluvius* 337
*Crispini cos. mors* 425
*Critias* 282
*Curiæ Romanæ* 39
*Curtius Sabinus* 34
*Curtius lacus* *ibid.*
*Cybernesia* 8
*Cychræus* 5.112
*Cylonium piaculum* 113
*Cynosarche* 152
*Cynoscephala* 401.502
*Cynos sema* 158.459
*Cyrbes* 98

D.

*DAduchi* 438
*Dædalus* 9
*Damippus Spartanus* 417
*Damoclidas* 386
*Damon* 210
*Damophantus* 486
*Damyria fluvius* 340
*Dassaretii* 499
*Deioneus* 74
*Dematis dictum de legibus Draconis* 118
*Demaratus* 393
*Demaratus Spartanus* 334
*Demarista* 325
*Demetrius Doson, tutor Philippi* 352
*Demetrius præco* 344
*Democratiam sancit Aristides* 449
*Demophanes* 482
*Demophon* 15.124
*Demosthenes* 262
*Deucalion, Minois filius* 9
*Deus an & quomodo voluntarias actiones regat* 310. *Dei omnipotentia* 297. *in Deo quid præcipuum* 43[illegible]. *Dii an cum hominibus consuetudinem habeant* 84. *bonorum auctores* 228. *hominum amatores* 84. *Diis adamati* *ibid.*
*Diana Euclia* 405
*Diana Orthia* 16
*Dianæ templum* 156. *templum Aristobulæ* 165
*DICTA seu Apophthegmata:* Alcibiadis 266. *Annibalis* 248 252. *Annibalis de Marcello* 423. Archidamidæ 69. *Catonis majoris* 382. 460 *Charilai* 69. *Dionysii tyranni* 331. *Fabii* 420 *Geradæ Laconis* 69. *Gorgonis, Leonidæ uxoris* 64. *Laconica* 68.69. *Leonidæ ibid. Lycurgi* 68.69. *Periclis* 219. *Quinctii* 508.509
*Dictator Camillus, vide Camillus dictator*
*Dictatores: Fabius Buteo* 244. *Fabius maximus ibid. Marcus Valerius* 295. *Minucius* 409. *Posthumius Tubertus* 176. *Quinctus Fulvius* 422. *Quinctus Capitolinus* 195
*Dictator quomodo creetur* 422. *unde dictus, ibid. ejus potestas* 242.
*Diagoræ felicitas* 402
*Dies alba* 220
*Dies nefasta* 185.283
*Dinarchus* 334.336
*Dinocrates Messenius Achæis bellum infert* 493. *Philopœme-*

*menem capit* ibid.
*Dinocratis mors* 494
*Diogenes* 331
*Diomedes* 267
*Dionysii prioris dictum de matre nubere volente* 120
*Dionysii junioris mira fortuna* 330
*Dionysius* 326. *Corinthum mittitur* 330. *se Timoleontis dedit* ibid.
*Divinatoria speculatio à Physica quid differat* 208
*Divitiæ* 109
*Divitiarum usus* 384. 476
*Domitianus Cæsar* 142
*Domitiani Cæsaris prodigalitas* ibid.
*Donorum usus & corruptela* 491
*Draconis leges* 118
*Dracontidas* 224
*Ducem cautum, non temerarium esse oportet.* 383.

E.

EAmus Athenas: *Bottiæorum dictum* 7
*Ebrietas Lacedæmoniorum pueris quomodo abominabilis facta* 47
*Ecbatana* 400
*Ecdemus* 482
*Echecrates* 392
*Echedemus* 17
*Educatio & institutio puerorum Spartæ* 66
*Egeria dea* 84
*Eiresiona, seu Lemniscus* 11
*Elatus* 59
Eleleu, Iu, Iu, *acclamatio* 10
*Elpinice* 211
*Eleusine templum* 214
*Eleusinia ab Alcibiade instaurata* 283
*Eleutheria* 449
*Enarsphorus* 16
*Endeis* 5
*Endymion* 84
*Engyium* 419
*Epaminondas in matrem pius* 295
*Epaminondas & Pelopidas capitalis res accusantur* 396
*Epaminondæ æquanimitas* 317
*Epheræ* 119
*Ephialtis interitus* 211
*Ephori quando & cur constituti* 59
*Epicrates* 166
*Epicydes* 154
*Epimenides Athenas vocatus* 114 *Athenis in honore habitus* ib.
*Epistola Spartanorum ad Ephoros* 280
*Eponymus magistratus* 181
*Etruscia Romanis victi* 139
*Euchidas Plataensis* 449
*Eudoxus* 415
*Eumenes Romanorum amicus* 461
*Eumolpidæ* 283
*Euphemidas* 155
*Euphrantidas* 160. 441
*Eupolemus* 340
*Euripidis sepulchrum fulmine ictum* 77
*Eurytion* 55
*Eurytionidæ* 56
*Euryptolemus* 282
*Euryscaces* 113

F.

Q. *FABIVS MAXIMVS* 138. *Annibalis insidias ut evitaverit* 249. *Annibalem includit* 248. *Annibalem vincit, servato Minucio* 245. *captivos sua pecunia redimit* 242. *in reprehensionem incurrit* 241 *Ligures vincit* 239. *dictator I.* 240. *Magistrum equitum Minucium dicit* ibid. *quinquies consul* 239. *Scipionis successibus obstat* 252. *scutum Romæ appel-*

*appellatus* 249 *Tarentum prodition capit* 250, *timiditatis arguitura Metilio* 243. *Verrucosus & Qvicula cognominatus* 238. *ut in fide Romanorum socios retinuerit* 248. *ut mortem filii tulerit* 252
*Fabii ambitio* 252. *consilium de reprimendo Annibale* 239. *cum Pericle similitudo & dissimilitudo* 255.256 *&c. cum Scipione dissensio* 253. *dictum* 252. 420 *dictum in M. Livium* 252. *funus* 254. *erga filium consulem reverentia* 253. *in Lucano quodam milite castigando bonitas* 250. *in Scipionē obtrectatio* 253. *indoles* 238 *mors* 254. *sapientia post Cannensem cladem Romanis salutaris* 249. *triumphus alter* 252. *vota* 240. *& Marcelli ducum praestantia & diversitas* 249. *F. Marcus consul* 252
*Fabiorum genus* 238
*Fabius Ambustus* 177. *jus gentium violat* 184
*Fabius Pictor* 249
*Facete dictum Antisthenis in Thebanos* 76
*Facete dictum Stratonici* *ibid.*
*Fama celeritas* 187
*Familiaritas nimia contemptum parit* 209
*Faunus* 93
*Faustulus* 27
*Faustuli indicium de Romuli & Remi incolumitate* 30. *interitus* 32. *in Remo servando studium* 30
*Februarius mensis* 95
*Feciales* 90.184
*Festi dies Romanorum* 40
*Fides sacra* 93
*Fidena* 147. *à Romulo capta* 42
*Flamen qualis vox* 86
*Flamen Quirinalis à Numa constitutus* *ibid.*
*C. Flaminius* 239
*Flaminius cos. vincit Gallos* 409
*Fluvii tribu. militum egregium facinus* 423
*Fœlicitas quæ, ex sententia Solonis* 125
*Fortes ex metu* 47
*Fortitudo pro virtute* 294
*Fortuna* 151
*Fortuna instabilitas* 364
*Fulminum expiatio* 93
*Cn. Fulvius ab Annibale occisus* 421.
*Furca* 306
*Funerum & Iustorum ritus à Numa instituti* 90
*L. Furii temeritas* 196
*Furta Laconum* 67

G.

*Gæsata* 410
*Galepsus* 362
*Galli Basterna* 353
*Galli insidiantes Capitolio repelluntur* 189. *Romanos ad Aliam vincunt* 185. *oppugnant Clusium* 183. *Romam bello petunt* 184. *& capiunt* 187
*Gallorum in Italiam adventus* 182
*Gegania* 89
*Gela* 341
*Gelo R. frumentum Romam mittit* 301
*Gelonis victoria de Carthaginensibus* 336
*Genthius Illyrii rex* 353. *à Perseo prodistus* 355
*Geographi quomodo ignotas terra partes perstringant* 1
*Geometrica problemata* 415
*Geometria vera, & impura seu mixta* *ibid.*
*Gerandus* 398
*Gisco* 246

*Gnathæna* 353
*Gorgidas* 390. *sacram cohortem primus instituit* 392.393
*Gortynij* 489
*Gradus pulcri littoris Romæ* 39
*Græca ornamenta primum Romam allata* 419
*Græca voces antiquo Latio usitatæ* 86
*Græcia à T. Quinctio liberata præconium* 504
*Græcorum imperatorum facinora* 505
*Grus, chorea apud Delios* 10
*Gylippus* 76. 219. *avarus* 372

*H.*

*Harmonia Dea* 393
*Harmostes* 280
*de Hecale fabula* 6
*Hecalesia, sacra* ibid.
*Hecaromphonia* 43
*Hecale, hecalena* 6
*Helotæ unde dicti* 30
*Helena à Theseo rapta* 16
*Heraclea* 357.507
*Hercules* 3. *inter Deos spurius* 152. *latrocinia excindit* 3
*Herculis facta* 5. *templa Athenis* 18
*Herminius* 143
*Hermus, patricius Atheniensis, & Hermū Oecia* 13
*Herodotus* 85
*Herfilia, Romuli conjunx* 34
*Hesiodus* 84
*Hexapylus* 418
*Hieronymus Siculorum tyrannus* 414
*Hippareta* 266
*Hippo* 341. *ejus supplicium* ibid.
*Hippocrates mercator* 109
*Hippocrates Syracusas occupat* 414.
*Hippolyta Amazon* 14
*Hippolytus filius Thesei ex Antiopa* 15
*Hippolytus, idem cum Demiphonte* ibid.
*Hippolytus Sicyonius* 84
*Hipponicus* 120.206
*Hipposthenidus* 386
*Historiæ investigatio difficilis* 214
*Homerus* 265
*Honor* 294
*Horatius Cocles* 143
*Horatii Coclitis virtus* ibi.
*M. Horatius collega Poplicolæ in consulatu* 141. *dedicat Capitolium* ibid.
*Hostilii Numæ regis avi mors* 38
*Hostilius* 34
*Humanitatis ergà jumenta exempla* 459
*Hyacinthia festa* 442
*Hyacinthus* 84
*Hyperbolus* 439. *ostracismo civitate pulsus* 268. *in hyperbolo ostracismi pœna desiit* 439

*I.*

*Ianua* 146
*Ianuarius mensis* 96
*Ianus* ibid.
*Iceta insidiæ in Timoleontem* 332
*proditio* 327
*Icetas* 324.336. *victus perit* 340
*Ictinus* 214
*Idas* 16
*Ignis lustratio* 449
*Ignis sacer Vestalium* 89. *extinctus quando* 90
*Immolatio hostiarum humanarum* 160.304.409.441
*Immortalitas, anima à corpore liberata, demū consequitur* 486
*Initiatio* 17
*Insubres* 408
*Insula in Tiberi* 138
*Intellectus quibus rebus adhibendus* 205
*Interregnum* 83
*Iocandi licentia apud Spartanos* 62

*Ion poeta* 207
*Iophon* 472
*Ioxus, Ioxides* 4
*Iphicrates* 383
*Iphitus* 72
*Ira cur non videatur dolor* 304
*Irenes quæ* 67
*Isiæ* 335
*Ismenias* 207.385.399
*Isocrates* 471
*Isthmicum certamen in honorem Neptuni institutum* 13. *primum à Theseo editum* ibid.
*Ithoma* 396
*Iulii Proculi de Romuli ad superos abitu testimonium* 45
*Iuno Moneta* 195
*Iupiter Eleutherius* 448
*Iupiter Feretrius* 36.411

L.

*Labyrinthus* 7
*Lacedæmonii tyranni à Thebanis cæduntur* 388
*Lacedæmoniorum magnanimitas in defectione sociorum* 450. *inhumanitas in servos* 74. *sacra ob victoriam partam quæ* 421
*Lais corinthia* 286
*Lamachus, belli Siculi dux* 218. 263.272.275
*Lampò* 208
*Lampsacus* 169
*Lapithurum contra centauros bellum* 15
*Laphystius* 342
*Larentia Roma culta* 28
*Larentia dua Roma* ibid.
*Largitio quando Romæ inualuit* 300
*T. Lartius* 143.297
*Latina feriæ* 199
*Latinorũ bellum in Romanos post captam à Gallis urbem* 46
*Laudationum funebrium origo* 141
*Lauinium* 308
*Leges aranea telæ similes* 110
*Leges Lycurgi de matrimoniis* 64. *Romuli de repudio* 41. *de parricidio* ibid. *Solonis, vide Solonis lex. Valeria* 140. *Poplicolæ* ibid.
*Lex de diuidendis ciuibus, & migratione Vejos* 179. *de spuriis* 227
*Lex Gracorum de nauigatione* 9
*Lex quæstoria* 140
*Legiones* 39
*Legiones à Romulo ordinatæ* 33
*Leobotes* 165
*Leocrates* 216
*Leontidas* 385
*Leotychidas* 276
*Leptines* 336
*Leptinis filia* 331
*Lesche* 66
*Leos, Agnusius præco* 4
*Leucothea* 177
*Leucus fluuius* 358
*Leuctrum* 394
*Leucas* 166.331
*Liberalitas* 384
*Libyssa* 510
*Licinius Stolo* 108
*Lictores à Romulo instituti* 43
*Lictores unde dicti* ibid.
*Lituus* 393
*Lituus Romuli* 41
*Lucretia* 134
*Lucretius* 140
*Luna defectus* 60
*Lupa, Faustuli uxor, scortum* 28
*Lupa nutrix Romuli* ibid.
*Lupercalium descriptio* 40
*Lycomeda* 152
*Lycomedes* 161
*Lycophron* 403
*Lycortas* 494
*Lycortas Philopœmenis mortem ultus* ibid.
*LYCVRGVS* 54. *agros æqualiter*

liter civibus partitur 59. auctor comæ gerendæ Spartiatis 70. bellicosus 71. contubernia instituit 61. exteros ex civitate expulerit 73. Delphico oraculo probatus 57. divitias in contemtum adducit 61 fratris filii postumi tutor 56. Homeri poemata invulgat 57. in Cretam proficiscitur 56. inutiles artes ejecit 60. Iphito in exornanda Olympica festivitate socius 71. monetam mutat 60. oculum amittit 61. Remp. Lacedæmoniorum mutat 57. Senatum instituit 58. tollit Zelotypiam è repub. 65. vagam libidinem permittit ibid.

Lycurgi ætas 77. genus ibid. filius Antiorus ibid. in Asiam profectio 57. in stabiliendis legibus mirum consilium 75. legum stabilitas unde 75.102. leges non scriptæ, sed moribus implantatæ 63. patris cædes 66. mors 76. sepulcrum 77. pecunia leges corruptæ 102. patientia & mansuetudo 61. sapientia 60. sententiæ quædam 68. rhetra de legibus scribendis 63. rhetra de luxu ibid. rhetra de bello ibid. peregrinatio in Africam 57. in Cretam ibid. in Ægyptum ibi. in Asiam ibid. in Hispaniam ibid. in Indiam ibid.

Lycurgi duo Spartæ 56
Lycurgo honores post mortem decreti 90
Lynceus 16
Lysandri victoria ad Samum 284.
Lysicles 220.
Lysimachus Aristidis P. 458

*M.*

Macedonia Æmilio deditur 362.
Macedoniæ libertas data 364
Macedoniæ regum successio post Alexandrum 352
Mageus 286
Magnesia 169.493
Mago 333.334
Magonis supplicium 335
Maledicentiæ præmium 340
Mamercia familia 97
Mamercus 88.97.329.339.
Mamerci exitus 342
Manipulus unde 30
Manlius Capitolium defendit 190. tyrannidem affectans necatur 195
Manlius Torquatus 244
Mantinensis pugna 385
Marathus 17
Mardonius 447
Mare Adriaticum unde dictum 183
M. MARCELLUS 407. Annibalem apud Nolam vincit 413. bellica laude Pelopida superior 427. Annibalem iterum vincit 414. cur additus Fabio 412. gladius Romanorum appellatus ibid. in Siciliam missus 413. Nolam & L. Bantium in fide ut retinuerit 412. Syracusas oppugnat 414. Syracusarum oppugnationem dimittit 416. Syracusas ut ceperit 417. Virdumarum Gallorum regem occidit 410. ut insidiis circumventus perierit 425. mortuus ut ab Annibale habitus ibid.
Marcelli ædilitas & auguratus 408. primus consulatus 410. con-

*consulatus alter irritus* 413. *consulatus tertius* 414. *consulatus quartus* 421. *consulatus quintus* 424. *fortitudo militaris* 408. *genus & studia ibid. gesta in quarto consulatu* 421. *in refellendis Syracusanorum querelis gravitas & clementia ibid. levia cum Annibale prælia* 423. *justitia* 418. *misericordia ibid. monumenta* 426. *ovatio & triumphus in Albano* 420. *peccatum ibid. res Annibalico bello gestæ* 412. *res in Sicilia gestæ* 414. *severitas in suos victos* 423. *victoria de Gallis* 411. *triumphus & opima spolia ib. Marcello honores à Syracusanis habiti* 421. *ad Marcellum, Cannensium militum supplicatio* 414. *in Marcellum calumnia Publicii* 423
*Marcellus, Octavia F.* 426
*Marcius* 97
*Marciorum familia* 293
*Marsus quidam* 250
*Masistius Persa* 444
*Massilitas* 109
*Massilia* *ibid.*
*Mater Matuta* 178
*Matres* 419
*Matres illustrium virorum fere ignota* 262
*Matrimonium metu orbitatis non omittendum* 111
*Matronarum Romanarum liberalitas* 180.212
*Matronalia* 40
*Medea* 5
*Mediolani obsidio & expugnatio* 411
*Megalopolis capta à Spartanis* 484
*Meilichia sacra* 5
*Melanippus filius Thesei ex Perigune* 4
*Melas fluvius* 391
*Meleager* 15
*Melissus* 152. *philosophus dux Samiorum, Athenienses vincit* 221. *vincitur iterum à Pericle* 222
*Melita* 113
*Mellirenes* 67
*Melo Thebanus* 387.388
*Menander* 285
*Meneclades* 396
*Menenius Agrippa* 349
*Menenii Agrippæ ad plebem seditiosa oratio & apologus* 296
*Menestheus rex Athenensium* 18 *absente Theseo, seditionem Athenis instruit* 16
*Menippus* 214
*Menatius* 449
*Mensium appellatio* 95. *correctio à Numa instituta ibid. correctio per Solonem* 165. *ordo* 95.
*Mercatores celebres qui* 129
*Mercatura quale studium* 108
*Messena à Nabide capta, à Philopœmene Achæorum duce liberatur.* 488
*Metaginés* 214
*Metelli æquanimitas* 317
*Metellus Celer* 299. *unde dictus* 32
*Metellus Diadematus* 299
*Meton Astrologus* 2, 1
*Metœcia sacrificia à Theseo instituta* 12
*Mina* 116
*Mindarus* 280
*Minerva Optiletis* 61.62
*Minervæ Hygiæ templum* 214
*Minoes duo* 10
*Minoes convicciis ab Atheniensibus laceratus* 7
*Minois interitus* 9
*Minotaurus* 7
*Minucii temeritas* 241.243

*Minucius ab Annibale circumvenitur* 248. *a Fabio servatur ibid. errorem fatetur* 246
*Minucio imperium cum Fabio adaequatur* 244
*Miraculum Albani lacus* 176
*de Miraculis disputatio* 178
*Mithridates* 511
*Mitropaustes* 169
*Mium* *ibid.*
*Mnaso* 350
*Mnesiptolema* 196
*Mora quid* 392
*Mors beata qua* 402
*Mors contemtus* 382
*Mucius Scaevola* 143
*Muliebris fortuna templum* 313
*Mulieribus Romae honores habiti* 39
*Mundus* 32
*Munychia* 114
*Musica bello apta* 69
*Musica illiberalis qua* 263
*Musica Laconica* 69
*Musica certamina a Pericle instituta* 214
*Mylae* 343
*Myrophlienses* 114
*Myronides* 216
*Myrto* 449

*N.*

*Naupactum* 507
*Nausitheus* 8
*Naxus* 9
*Neapolis* 418
*Nemea* 218
*Neo Corinthius* 333
*Neocles* 151
*Nephaliae* 28
*Neptunus equestris* 34
*Nicagoras* 157
*Nicias belli Siculi dux electus* 273. *pacis auctor* 268
*Nitias Enguinus* 419. *ejus callidum factum* *ibid.*
*Nicocles Sicyoniorum tyrannus* 482
*Nicogenes* 167
*Nicomachus* 242
*Nicostrata* 40
*Nomina regum & principum* 438
*Nominis boni contemptus* 268
*Nominum cognominumque ratio apud Graecas & Romanos* 298
*Nomisma quo primum tempore Spartae illatum* 75
*nomismatis Romani insignia* 40
*Nona Capratina* 46. 194
*Novus homo* 456
*NVMA POMPILIVS* 81 *abolet statuas* 88. *an Pythagorae fuerit discipulus* 82. *inauguratus* 86. *rex eligitur* 83. *quibus rebus Lycurgum antecellat* 99. *quo tempore vixerit* 81. *quos libros scripserit* 98. *regnum accipit* 86
*Numa cum Egeria Dea colloquium* 84. *cum Egeria & Musis consuetudo* 87. *ingenium* 83. *libri combusti* 98. *natales* 83. *obitus* 97. *patria* 83. *regia* 92. *symbola de religione patria Pythagoricis ibid. tempore qualis Romae status* 87. *uxor* 84
*Numae & Pythagorae institutorum similitudo* 87
*Numistro oppidum* 422
*Numitor* 27. *ab Amulio fratre regno pulsus ibid. Remum ad supplicium exposcit* 29
*Nummi mutatio apud Spartanos* 69
*Nuptiales consuetudines apud Romanos* 35

*O.*

*Oba* 58
*Obedientiae causa* 76
*Ocium apud Atheniensis capitale* 71

*Ocium*

*Ocium Spartanorum* ibid.
*Odeum* 214
*Oenophion* 9
*Olbius* 167
*Olea* 391
*Olizon* 156
*Olympi altitudo* 459
*Olympia certamina ab Hercule in honorem Iovis instituta* 13
*Omen Æmilio Paulo factum de Perseo mortuo* 354. *Philippo Macedonum R.* 502. *Romæ instauranda* 192
*Omina cladis Siculæ Atheniensibus* 272
*Ominis sinistri aversio* 410
*Onarus* 9
*Opima spolia* 36
*Opima spolia qui retulerint* 411
*Opuntii Romanis se dedunt* 500
*Oraculum Ægeo datum* 2. *Annibali* 510. *Aristidæ, de pugna ad Plateas* 443. *Athenienſibus de recipiendis Theſei oſſibus* 19. *de capiendis Veiis* 177. *de urbe Attica* 13. *Lycurgo* 58. *Mardonio* 447. *Pythia ad Solonem* 115. *Thetyos Tarcherio datum* 26. *Theſeo de urbe condenda* 13. *Themiſtoclis* 157
*Oratio Æmilii ad Perſen de inſtabilitate fortunæ* 364. *Æmilii ad populum de calamitate domeſtica* 369. *Æmilii ad populum de ſuo altero conſulatu* 354. *Alcibiadis ab exilio reverſi* 283. *Ariſtidis ad Themiſtoclem de bello Medico* 440. *Artabani ad Themiſtoclem* 167. 168. *Brenni ad Cluſinos* 183. *Coriolani ad Tullium Atticum* 350. *cujuſdam Corinthii ad Græcos* 330. *Fabii ad L. Æmilium Paulum de oppugnando Hannibale* 247. *Fabii, qui ſuum inſtitutum in Hannibale oppugnando excuſat* 241. *Laconica quædam* 68. *Marcii Coriolani diſſuadentis frumenti in populum diviſionem* 301. *Menenii Agrippæ ad plebem* 296. *Minucii ad Fabium deprecantis* 246. *Numæ patris ad Numam F. de regno capeſſendo* 85. *Numæ regnum recuſantis ibid. Remi ad Numitorem* 29. *Sabinarum ad maritos prælientes* 38. *M. Serviſii pro Æmilii triumpho* 366. *Valeriæ ad matrem Coriolani* 311. *Romanorum à Græcia quid differat* 463. *Volumniæ ad Coriolanum F.* 312.
*Orchomenus* 391
*Orcomoſium* 14
*Oricum* 365
*Ornytus* 4
*Oſculi ratio* 26
*Oſchophoria ſacra à Theſeo inſtituta* 11
*Oſtenta quadrigarum, quæ in fornace intumuerunt* 141. *capto Adrano* 330. *Marcello adverſa* 424. *Themiſtocli* 157. *Timoleontis in Siciliam abituro* 327
*Oſtraciſmus* 268
*Oſtraciſmi deſcriptio* 439
*Otatio* 420

## P.

PÆdaritus 71
*Pagaſa* 162
*Pagi urbis* 94. 218
*Palilia* 32. 40
*Palladium* 186
*Pallantidæ Theſeo infenſi* 2
*Pallantidarum in Theſeum conjuratio* 6
*Pallenæ* ibid.

*Palma* 392
*Palma victoriæ præmium* 10
*Pammenis dictum de instruenda acie* 392
*Panactus* 269
*Panatus* 159
*Panathenæa, sacrificium à Theseo institutum* 12
*M. Papirius* 187
*Paralæ* 114
*Paralus* 210
*Parmenides* 281
*Parricidium* 41
*Parthenon* 313
*Patacus* 111
*Patres conscripti* 33
*Patricii qui, & unde dicti ibid.*
*Patroni qui* 34
*L. Paulus* 349
*Paupertas cum virtute divitiis præstantior* 108. *turpis quæ?* 470. *& quæ honesta ibid.*
*Pausaniæ Spartæ R. flagitia* 50 *& defectio sociorum ab eo ibi. proditio* 65
*Pausanias dux pugnæ Plataicæ* 447. *dextrum cornu Atheniensibus cedit* 445
*Pax inter Porsenam & Romanos & Sabinos, ejusq; conditiones* 39. *Romanorum cum Philippo* 503
*Peculia* 140
*Pecuniæ admiratio Reipub. pestis* 60. *usus* 355
*Pedæi* 114
*Pelagon* 156
*Peligni* 360
*Pelopis regis potentia* 2
*PELOPIDAS* 382. *ab Alexandro Pheræo capitur* 398. *ab Epaminonda liberatur* 209. *ad Artoxerxem legatus, & honores ei habiti ibid. Cadmeam recuperat* 289. *dux Thessalorum contra Alexandrum Pheraum* 3.7. *dux Thessalorum secundo contra Alexandrum Pheræum* 400. *Leontidem obtruncat* 389. *patriæ recipiendæ consilia tractat* 386. *Thebas intrat* 387
*Pelopidæ constantia* 398. *cum Ptolemæo fœdus* 397. *cum Thrasybulo comparatio* 389. *dictum principe dignum* 393. *genus* 384. *honores à Thessalis habiti* 401. *insomnium* 394. *interitus & temeritas* 401. *mortem Thebani ulciscuntur* 403. *sepultura* 402. *pelopidæ & Epaminondæ amicitia* 384
*Peneus* 499
*Periander* 114
*PERICLES* 205. *ab Elpinice notatur* 222. *Areopagi auctoritatem imminuit* 210. *Athenas exornat ædificiis* 210 *bellum in Samios ingratiam Aspasiæ suscipit* 220. *belli Peloponnesiaci auctor* 223. *cupiditatem populi inhibet* 218. *Eubœam subigit* 219. *imperio privatus & multatus* 226. *in somno de remedio edoctus* 214. *juventutem ad militiam ut exercuerit* 213. 214. *minime popularis* 208. *olympius appellatus* 209. 228. *pecunias publicas Græcorum Athenas transfert* 213. *Samios capit* 222. *Sinopenses liberat.* 218. *ut ad rempub. accesserit* 208
*Periclis acta contra Spartanos in bello Delphico* 219. *Auctoritas & potentia* 211. *belli gerendi ratio* 217. *Decretum de concilio ibid. dicta seu apophthegmata* 210. *domesticæ calamitates* 227. *edicta contra Megarenses* 223. *facundia* 209. *filii* 222. *genus* 206

206. *in adversa fortuna magnanimitas* 301. *in Cimonem moderatio* 211. *magnificentia* 213. *morbus & mors* 228. *mortui desiderium* 229. *mores* 207. *potentia diuturnitas* 216. *præceptores* 207. *res familiaris* 216. *res bello gesta* 217. *verba in agone constituta* 219
*Pyrilampes* 288
*Perspethes* 4
*Periphamus* 112
*Persa quo mense victi* 185. *persarum Zelotypia* 167
*Persei avaritia* 355. 361. *calamitates & errores* 363. *copiæ* 355. *crudelitas in suos* 361. *liberi* 368. *filiorum condi-tio* 370. *mollities notata* 368. *mors* 369. *victoria* 353
*Perseus rex Demetrium fratrem calumniis circumvenit* 453. *qualis & quis fuerit ibid.*
*Perseus R. spurius* 353
*Pestis Attica* 225
*Pestis Roma* 42
*Petilius* 198
*Phaasus crommyonia, à Theseo confecta* 45
*Phæax* 8. 268
*Phœbidas* 385
*Phalanx* 502
*Pharax* 329
*Pharsalum* 398
*Pheræ* 398
*Phereclus Amarsyadas* 8
*Pherecydes philosophus* 394
*Pherenicus* 385
*Phidias* 139
*Phidonia* 62
*Phileus* 113
*Philides* 387
*Philippus Monoculus Thebas obsessas traducitur* 397
*Philippi prudentia* 503
*Philippus R. à Romanis vincitur ad Cynoscephalas* 502. *bellum in Romanos restaurans moritur* 352
*Philistus* 332
*Philoctetes* 156
*PHILOPOEMEN* 482. *à Messeniis capitur* 493. *Antigonum adversus Cleomenem juvat* 484. *armaturam & aciei instruendæ rationem corrigit* 486. *Epaminondæ imitator* 482. *in Cretam patria afflicta, militatum abit* 489. *equitatum Achæorum corrigit* 485. *in Spartanos qualis* 491. *luxum suorum emendat* 486. *Lycurgi leges abrogat* 491. *Machanidam Lacedæmoniorum tyrannum vincit & occidit* 487. *Messenam à Nabide captam liberat* 488. *Nabidem prælio vincit* 790. *Nemesin contra se irritat* 492. *prælio navali infeliciter decernit* 489. *pro servo ab hospita habitus.* 428. *Rom. Cos. petitioni resistit* 494. *Spartam societati Achæorum adjecit* 490. *sauciatur* 485
*Philopœmeni insidiatur Philippus Macedo* 488
*Philopœmenis absentis metus* 489. *bellum contra Nabidem* 506. *captivitas & carcer* 493. *de Elëis & Damophanto victoria* 485. *dictum de Ptolemæo* 489. *dictum in Antiochum* 492. *strategema* 490. *à Philopœmene Aristænetus notatus* 492
*Philosophiæ utilitas* 331. *naturalis utilitas* 208
*Philotes* 193
*Philotidis ancilla astu Roma liberatur bello* 46
*Phorbas* 84
*Phormio* 262

*Phrearius* 155
*Phrynichus* *ibid.*
*Phrhia* 165
*Phy'a* 58
φυλὰς φυλάξας *ibid.*
*Physices utilitas* 208
*Phytalidæ sacrificii Theſei curatores* 11. *Theſea humaniter excipiunt* 5
*Picus Romuli nutritor* 28
*Picus* 31
*Pinaria familia* 97
*Pindari carmina à pane dilecta* 84
*Pinus* 97
*Pirithoi & Deianiræ nuptiæ* 15
*Pirithous perit* 16
*Piſiſtrati Athenienſis dictum* 470. *ingenium* 126. *techna à Solone deprehenſa* 127
*Piſſathnes* 220
*Pittheæ filia Aethra Theſei mater* 2
*Pittheus avus maternus Theſei ibid.*
*Plataenſibus victoria pugnæ Platæa adſcripta* 448
*Plataenſium liberalitas in communi Græciæ periculo* 443
*Plato Dionyſium tyrannum inſtituit* 331
*Plato Atlanticus* 128
*Plato mercator* 109
*Plebis Rom. ſucceſſio* 295
*Pliſtonax* 219
*Plutarchi de miraculis ſententia* 219. *diſputatio de ſimulatorum ſudore & voce* 313. *familiaris Themiſtocles* 171. *Vitarum inſtitutum & utilitas* 349
*Plynteria* 283
*Poeſeos uſus* 109
*Poetarum de diis ſententia refutatur* 219
*Polemarchi* 386
*Polybius* 462
*Polycrates* 221
*Polydorus* 58
*Poliocryta Ariſtidæ filia* 453
*Polianus* 487
*Polyphron* 399
*Polyſtratidæ* 72
*Pomœrium* 32
*Pompilia* 97.98
*Pompo* *ibid.*
*Pomponia familia* *ibid.*
*Pomponius prætor* 240
*Pontifex Veſtalium magiſter* 88
*Pontificis maximi officium ibid.*
*Pontifices à Numa inſtituti ibi. unde dicti* *ibid.*
*Pontii Cominii audax facinus* 188
*P. VALERIVS POPLICOLA* 134. *Bruti in regno evertendo ſocius ibidem. conſul creatur* 137. *conſulatus repulſam ægre fert* 134. *domum ſuam demolitur* 139. *faſces demittit ibidem. Solonis de Republ. ſententiam expreſſit* 148. *vulneratus* 143. *unde appellatus* 140
*Poplicolæ conſulatus IV.* 145 *filia Valeria* 144. *genus & nomen* 134. *leges* 140. *triumphus de Etruſcis* 139. *mors & funus* 147
*Populi Romani diviſio* 94.99
*Porſena Tarquinium reſtituere conatur* 142
*Porſenæ erga Romanos liberalitas* 111. *ſtatua Romæ ibidem*
*Porcia Baſilica* 468
*Potidæa* 223
*Poſtumus* 199
*Pnycè* 163
*Precia rerum Athenis* 122
*Prytaneum* 119
*Proconneſius* 397

*Pro-*

*Proculus* 85.199
*Proculi somnium de Romuli deificatione* 82
*Prodici Spartanis qui* 56
*Proditio* 277
*Prodigia ante Gallorum in Italiam adventum* 182. *Aries unico cornu natus* 208. *bello Gallico* 409. *Romæ facta post ejectum Coriolanum* 306. *sub adventum Annibalis in Italiam* 139. *Vox ex loco Poplicolæ reddita de numero cæsorum* 138
*Prodigium* 8
*in Proditorem Faleriensem Camilli factum* 180
*de Proditoribus, sententia Antigoni* 37. *Cæsaris* ibid.
*Propria laus* 477
*Propylæa* 214
*Proverbium* ἀκούετε λεώς 6. *alter Hercules* 19. *hoc age* 92. 306. *Quid nisi victis dolor* 191
*Prytaneum Athenis unum erectum* 12
*Ptolemæus Lamyras* 298
*Publicius* 349
*Puerorum disciplina* 101
PVGNA: *ad Artemisium* 156. *ad Cannas* 247. *ad Tanagram* 211. *apud Tegyras inter Thebanos & Spartanos* 392. *Aemilii cum Perseo apud Pydanum* 36. *Græcorum ad Psytthaliam* 441. *Leuctrica* 395. *Marathonia* 438. *Romanorum cum Sabinis, duce Romulo* 38. *Salaminia* 160
*Puteorum inventio & causa* 356
*Pyana & pynapsion mensis* 10
*Pydna* 357
*Pyrrhi dictum de Romanis* 501
*Pysistratus tyrannidem rapit* 127
*Pythagoras an cum Numa consuetudinem habuerit* 82
*Pythagoræ philosophia* 87
*statua Romæ posita* 88
*Pythagoricum silentium* ibid.
*Pythium* 356
*Pythoclides* 207
*Pytholaus* 403
*Pytholis urbs* 13

## Q.

*Quadringenti viri* 279
*Quadrigæ æreæ* 42
*Quæstores primi: P. Veturius, M. Minuetus* 140
*T. QVINCTIVS FLAMININVS* 498. *angustias apud Apsum fl. occupat* 499. *Chalcidenses servat* 508. *deprecatur pro Aetolis* 507. *dux adversus Philippum Macedonem delectus* 499. *Græciam liberam pronuntiat* 504. *legatus in Græciam* 507. *Philopœmenis gloria offenditur* 306. *tribunus militum* 510. *ut Annibalem ad mortem compulerit* ibid
*T. Quinctii censura* 509. *Coloniarum deductio* 498
*scite dicta* 508. *triumphus* 507. *victoria de Philippo ad Cionos cephalas* 502. *in T. Quinctium Alcæi epigramma, ejusque responsio* 503. *in T. Quinctium scomma Archidemi* 512
*L. Quinctii delictum, pœna, & restitutio* 509
*L. Quinctius Flamininus legatus fratris in Græciam* 500. *senatu ejicitur* 265
*Quirinalis collis* 46
*Quirinus unde dictus* ibid.
*Quirites unde dicti* ibid.

Rab-

R.

*Abduchi* 43
*Regum Romanorum violenti obitus* 98
*Resp. felicitas, secundum Platonem* 97
*Religioni serio, non obiter, vacandum* 92
*Religionis cura apud Romanos* 306. *disciplina à Numa tradita* 92
*Remonium* 31
*Remus à Numitoris pastoribus captus* 29
*Remi interitus* 32
*Repudii causa* 41
*Repudium uxoris Roma primum à quo admissum* 50
*Rerum invidia nominum mollicies legenda* 116
*Respublica principi quomodo conservanda* 48
*Rhadamanthus judex* 6
*Rhea, qua & Sylvia sive Ilia, Romuli Mater* 27. *geminos parit ibid. Vestalis ibid.*
*Rhetra* 58.63
*Risus simulacrum* 72
*Roma à Gallis capta* 187. *à Porsena obsessa* 144. *instauratur* 192. *unde dicta, controversa auctorum opiniones* 26. *de Roma condenda, controversia inter Romulum & Remum* 31
*Roma à Gallis capta causa* 91. *condenda causa* 31. *condendæ ritus* 32. *incrementa ex Asylo* 31. *natalis* 32
*Romana res ut aucta* 102. *Romanarum rerum conversio post cladem Cannensem* 418
*Romani religiosi* 409. *sub Romulo qua lingua usi* 35. *Vejos transmigrare deliberant* 192
*Romanorum bellum contra Tarquinium & Etruscos* 138
*Romanorum clades ad Aliam* 185. *ad Thrasymenum* 239
*Romanorum cum Thuscis, Aequis, Volscis, & Latinis bellum* 193. *legati violati à Liparensibus* 180
*ROMVLVS* 26. *à victoria insolentior & intolerabilior factus* 43. *Acronem singulare certamine vincit* 36. *Albæ regnum capessit* 44. *à minimis principiis progressus ad summam potentiam* 48. *è medio sublatus* 82. *Fidenas capit* 42. *quibus in rebus Theseo superior* 48. *quo tempore conceptus, ex Astrologia calculatione* 33. *Vejentes superat propria virtute* 43
*Romuli ætas* 47. *anni regni ibid. deificatio* 45. *habitatio* 39. *injuria in senatorium ordinem* 44. *lituus repertus* 193. *obitus* 44. *peccata* 48. *pietas in parentes* 49. *raptus mulierum excusatur* 49. *raptus mulierum Sabinarum* 34. *numerus raptarum ibid. quo tempore factus ibid. sacra* 46. *triumphus de Vejentibus* 43. *Romuli & Remi educatio* 28. *ingenia ibid. vita institutum ibid. pater Mars an Amulius incertum ibid. de Romuli ortu fabulosa narratio* 29. *de Romulo diversa sententia* 26. *post Romuli mortem dissensio populi* 82
*Roxanes* 168
*Ruma, rumilia* 28

S.

*Sabina prælium dirimunt* 38
*Sabini arcem Romanam prodition capiunt* 37. *qualis initio*

*tio gens* 35
*Sabinorum bellum cum Romulo duce Tatio* 37
*Sacra cohors Thebanorum* 392. *à quo instituta* 393. *quandiu invicta ibid.*
*Sacra triumphalia* 43
*Sacrificia Ariadnæ instituta* 10
*Sacrificiorum impiorum abominatio* 394. *exempla ibid.*
*Sacrificium Plataicum* 449
*Sacrilegium punitum* 339
*Sais* 128
*Salamine ab Athenienſibus capta* 112
*Salii ſacerdotes* 91
*Salius* 360
*Salonius* 473
*Salſe dicta* 64. 66
*Saltatio Deliorum* 11
*Samana* 221
*Sambuca* 416
*Samii a Pericle capiuntur* 222
*Samon* 5
*Sandaucas* 160. 441
*Sapientia quid* 152
*Saturnalia* 103
*Scedaſi filiarum ſepulcra apud Leuctra* 394
*Scipionis cum Annibale colloquium* 511 *in Hiſpania res geſtæ* 254. *cum Catone contentio* 467. *moderatio capta Carthagine* 511. *res in Aphrica geſtæ* 254
*Scipio Æmilianus, popularis* 370
*Scipionis Aemiliani fortitudo* 361. *laus* 473. *mors obſcura* 44.
*P. Scipio Naſica Olympum tranſcendit* 356. *ejus de Carthaginis excidio conſilium* 473
*Sciron* 5
*Scotuſa* 399. 502
*Scytale* 286
*Seiſachtia* 116
*Sellaſia* 484
*Sempronius Longus coſ.* 409
*Senatus unde dictus* 33
*Senatus Spartanus* XVIII. *virorum* 58
*Senatus Spartanus quomodo lectus* 72
*Septem ſapientum tripus* 109
*Sepultura Athenienſium* 113
*Sepultura ſplẽdidiſſima qua* 105
*Sepultura ratio apud Spartanos* 73
*Sergius Galba* 366
*M. Serꝟilius* 113
*Serꝟorum diſciplina* 469. *ſupplicia Roma* 306
*Sicinus* 159
*Sigluria* 143
*Simmias* 487
*Simonides Ceus* 16
*Singulari certamine tres tantum Rom. Imperatores vicere* 36
*Sinope* 118
*Socrates* 471
*Socratis de bello Siculo præſagium* 271. *in Alcibiadem amor* 263. *militia* 265. *oratio qualis* 460. *uxor ex filia Ariſtidis nata* 453
*Sos calidum pactum* 56
*Solis deliquium* 400
*SOLON* 107. *Homeri teſtimonio de Megaris vincit* 113. *menſes corrigit* 123. *mercator* 108. *philoſophiæ ſtudioſus* 109. *Phyſices rudis ibid. Piſiſtrato reſiſtit* 127. *poeta* 109. *Salaminem recipit* 102. *Tyrannidem detrectat* 115. 116. *Voluptatibus nimis tribuit* 109
*Soloni magiſtratus & tyrannis defertur* 115. *mera poteſtas delata* 118
*Solonis actio de inſula Salamine* 112. *amicitia cum Piſiſtrato* 108.

108. *amores ibid. casus adversus* 117. *cum Anacharside congressus* 110. *cum Crœso congressus* 124. *cum Lycurgo comparatio* 117. *cum Thalete disputatio* 110. *dictum* 115. *dictum de republ. bene constituta* 119. *de Tyrannide dictum* 115. *genus* 107. *judicium de divitiis* 108. *leges nuptiales* 120. *legum confirmatio* 123. *lex de adulteriis & scortationibus* 122. *lex de ære alieno* 116. *lex de aquatione* 122. *lex de assumendis in civitatem* 123. *lex de conjectu publico ibid. lex de convitio* 120. *lex de discendis artibus* 121. *lex de dotatis mulieribus* 120. *lex de exitu mulierum* 121. *lex de frugum venditionibus* 122. *lex de luctu* 121. *lex de mortuis non vituperandis* 120. *lex de natis matre inhonesta* 122. *lex in neutri parti se adjungentes* 119. *lex de plantationibus* 122. *lex de testamentis* 121

*Solonis mors* 128. *pater* 107. *peregrinatio* 124. *resp. constitutio ipso vivo eversa* 149

*Solon, adolescens Atheniensis* 13

*Soloon fluvius ibid.*

*Solos urbs* 124

*Somnia: Alcibiadis* 212. *Pelopidæ* 394. *Themistoclis* 167

*Sophocles poeta* 84. 210

*Soficles* 166

*Spartæ felicitas, Lycurgi legibus stantis* 75

*Spartani & imperare & parere docti* 76. *in Atticam irrumpunt* 225. *ut cum hoste manum conserant* 70

*Spartanis principatus ademptus ab Atheniensibus* 450

*Spartanorum contra Thebanos bellum* 393. *leges de matrimoniis* 65. *reges minus formidabiles* 59. *regnum cur magis durabile ibid.*

*Sphacteria* 269

*Sphoditas* 390. *Piræei expugnationem tentat ibid.*

*Staphilus* 9

*Statua Alcibiadis Romæ* 88
*Catonis in ade Salutis* 474.
*Cloëlia* 145. *Hippolitæ Amazonis* 14. *Philopœmenis apud Delphos* 488. *Porsenæ Romæ* 145. *Pythagoræ Romæ* 88. *Theseos regiones dividens* 12. *Ariadnæ à Theseo posita* 10

*Sterilitas Romæ* 42

*STRATAGEMA Æmilii Pauli* 360. *Philopœmenis* 490. *Solonis* 124. *Themistoclis* 159

*Sublicius pons* 88

*Sulpicius* 499

*Supplicationis signum* 8

*Supplicia servorum Romæ* 306

*Susa* 400

*Susamithræ* 286

*Sutrium* 195

*Sycophantæ unde nominati* 123

*Syracusæ ab Archimede defenduntur* 415. *ab Hippocrate occupantur* 414. *à Carthaginensibus occupantur* 332. *à Marcello obsidentur* 414. *à Timoleonte captæ* 334. *captæ & direptæ a Romanis* 417. *desertæ* 335

*Syracusana arx excinditur* 335

*Syracusana præda* 418

*Syracusarum urbis partes* 418

*Syssitia* 62

## T.

TAcita Dea a Numâ culta 87
Talasius Romanis, qui Græcis Hymmenæus 35

Tatij

*Tatij habitatio Romæ* 41
*Tarentis calamitas* 252
*Tarpeia* 37
*Tarpeia Capitolium prodit Tatio ibid. ejus mors ibid.*
*Tarpeium saxum, supplicii locus* 37.
*Tarpeius collis ibid.*
*Tarrutius* 28
*Tarutius Astronomus* 33
*Tatia uxor Numæ* 84
*Tatii injustitia & interitus* 41
*Taurus Minois dux* 11. *à Theseo interfectus ibid.*
*Tegyræ* 391
*Tela filia Tarchetia* 27
*Telecidas* 360
*Tellus* 147
*Templa Honoris & Virtutis* 424
*Templum Dianæ Ephesiæ conflagrat* 339
*Templum fortunæ muliebris* 313
*Tempus* 217
*Tenadia triremis* 159
*Terentius Varro honorifice à fuga receptus* 249
*Terentii Varronis temeritas* 246
*Terminus* 190. 191
*Ternarius numerus* 241
*Terræ situs & natura secundum Pythagoreos* 90
*Testamentum militare* 297
*Thales Calebs* 110. *mercator* 109. *Physicæ studiosus ibid.*
*Thaletis cum Solone disputatio* 110
*Thaletas poeta* 57
*Thrasybulus* 262
*Thebanorum arx à Lacedæmoniis occupata* 358. *expeditio in Peloponnesum* 394. *exules Athenis recipiuntur* 386. *proditio in prælio plataico* 445. *victoria ad Leuctra* 395. *victoriæ de Spartanis* 351
*THEMISTOCLES* 151. *à rege Persarum in gratiam recipitur* 168. *Aristidem ostracismo ejicit* 155. *Aristidem revocat ab exilio* 138. *bellum Medicum quomodo administrarit* 155. *confœderatis gravis* 163 *dux belli Medici electus* 154. *Græcia dissensiones tollit* 155. *in Asiam profugus* 166. *Ionas ad defectionem à Medis solicitat* 167. *proditionis accusatus* 165. *Piræeum ædificat* 162. *qualis circa pecuniam* 154. *qua re Lacedæmonios offenderit* 163. *urbem Spartanis deceptis munivit* 162. 163. *spurius* 151. *ut ad Remp. accesserit* 153
*Themistoclis honores à rege Persarum habiti* 169. *insidiæ à Persis struuntur ibid. somnum ademit Miltiades trophæum* 4. 153
*Themistoclis ambitio* 154. *consilium de navibus fabricandis Athenis salutare ibid. consilium de comburenda Græcorum classe* 194. *consilium utile sed injustum repudiatur* 162. *cum Aristide congressus & de liberatio de naumachia* 159. *cum Aristide inimicitiæ causa* 153. *cum Cimone contentio* 154. *decretum de relinquenda urbe* 157. *deliberatio cum Eurybiade de naumachia* 158. *dicta aliquot* 162. *dictum* 460. *dictum de exilio suo* 169. *exilium* 165. *fuga ad Admetum Molossorum R.* 266. *genius obscurum* 151. *gloria* 169. *indoles* 152. *justitia* 158. *liberi* 171. *mansuetudo* 158. *mors* 170. *opes* 166. *posteritati honores à Magnesiis habiti*

*habiti* 169. *praeceptores* 152. *profugi oratio ad regem Persarum* 168. *pueritia* 152. *somnium* 167.169. *stratagema quo Salaminiam pugnam obtinuit* 159. *stratagema in fugando Xerxe* 161. *studia* 152. *studium in Republica versandi* 153. *in Themistoclem carmina Timocreontis* 164
*Theodorus* 220
*Theopompus Cnidius* 59
*Theramenes* 262.281
*Thesea, æ, locus Delphis* 23
*Thesea, orum sacra* 13
*THESEVS* 1. *ab Aegeo patre cognitus* 6. *ab Hercule liberatur* 18. *ad Lycomedem Scyriorum regem confugit ibid. Antiopam Amazonem rapit* 13. *Ariadnam rapit* 9. *Athenas venit* 5. *Athenas veniens, qualem statum paterna domus invenerit* 6. *Atheniensem civitatem constituit* 11. *capitur apud Molossos* 16. *Cercyonem necat* 5. *Cretam capit, interfecto Deucalione* 9. *cum Periguna concumbit* 4. *Eleusynem occupat* 5. *Graciam multis tyrannis liberavit* 47. *Hecalæ sacrificat* 6. *Helenam rapit* 16. *imprecatur Athenensibus* 18. *in Hippolytum impius* 48. *in Cretam extra sortem se mitti passus* 7. *in quibus Romulo similis* 1. *Marathonium taurum confecit* 6. *Neptuni filius creditus* 3. *Pallantidas vincit* 6. *Periphetem clavigerum obtruncat* 5. *Phaam suam confecit ibidem. Pirithoum in rapienda Proserpina adjuvat* 15. *populo se accommodat* 12. *Pythopolin condit* 13. *quem morem in supplicijs servaverit* 5. *Sinnim occidit* 4. *Scironem occidit* 5
*Thesei bellum cum Amazonibus* 14. *clava* 4. *cognatio cum Hercule ibid. contra Amazones expeditio* 13. *atas latrociniis infesta* 3. *cum Hercule congressus* 15
*Thesei cum Pirithoo amicitia* 15. *exilium* 18. *facinora* 4. *fœdus cum Thebanis de recipiendis cadaveribus* 15. *genus* 2. *in Creta actiones* 8. *labores* 15. *nummus* 12. *magnanimitas* 3. *nomen unde* 2. *nuptiæ cum Phædra* 15. *nuptiæ plurimæ ibidem. ossa Athenas relata* 19. *pædagogus, Connidas* 12. *peccata* 48. *posteritas, Athenis regnum recepit* 19. *raptus mulierum inexcusabilis* 49. *sepulcrum* 19. *supplicatio* 8. *templum & sacrificium* 11
*Theseo sacrificia Athenis quando celebrentur* 19. *Medea insidiatur* 6
*Theseis tonsura* 3
*Thessalus* 472
*Thessalus Cimonis filius* 272
*Thesmophorici* 385
*Thespis tragœdiæ actor a Solone notatus* 127
*Thetidium* 266
*Thrasibulus Alcibiadem traducit* 284
*Thrasyllus* 280
*Thriasia porta* 223
*Thriasium* 27
*Thucydides Alopecensis Periclis oppositus* 211. *a Pericle, dejectus* 208
*Thucydides Milesius Periclis adversarius* 209. 210. *ejus dictum ibid.*

Thu-

*Thucydides urbe ejicitur* 215
*Thurii* 274
*Tibia canere illiberale* 263
*Timæa* 276
*Timæus* 274
*Timæus historicus* 326
*Timagoræ ab Atheniensibus damnatus* 400
*Timandra* 280
*Timasitheus* 180
*Timaslaus* 218
*Timodemus* 325
*Timolaus* 491
*TIMOLEON* 424. *Andranum urbem capit & Icetam vincit* 229. *Carthaginensibus deceptis in Siciliam trajicit* 328. *dux a Corinthiis electus* 325. *Epaminondæ imitator* 42. *fortunæ quantum tribuerit ib. Icetam vincit* 40. *in fratris tyrannidem affectantis eadem consentit* 325. *Mamercum superat* 341. *oculis capitur* 243. *ut Icetæ insidias evitaverit* 332.
*Timoleonti caco honores a Syracusanis habiti* 343. *pugnanti tempestas opitulatur* 338
*Timoleontis cum æqualibus comparatio* 342. *felicitas* 381. *genus* 325. *in Siciliam expeditio* 328 *laudes mors & funus* 343. *pugna cum Carthaginensibus* 337. *& de iisdem victoria ibid.*
*Timoleonteum gymnasium* 344
*Timon* 271
*Timophanes Timoleontis frater* 325
*Timotheus* 393
*Tisaphernes* 276
*Tisiphonus* 403
*Tolmidæ interitus* 218
*Trœzenensium humanitas in Athenienses* 247
*Trœzen oppidum*
*Tragia insula* 239
*Trasymenus ibid.*
*Tribuni pl. primi* 296
*Tribus Leontis* 151. *Lucerensis* 39. *Ramnensis ibidem. Tatiensis ib. d.*
*Tribus tres Romæ constitutæ*
*Tribuum numerus Romæ ibid.*
*Triumphandi initium* 36
*in Triumpho currus quando adhibitus ibid.*
*TRIUMPHI: Æmilii Pauli de Victo Perse* 367. *M. Catonis* 463
*Triumphus Poplicolæ de Etruscis* 139 *Poplicolæ de Sabinis* 146. *primus Romæ à quo ductus* 36
*Triumphi & ovationis discrimen* 420
*Troja quo mense capta* 185
*Tuberonum frugalitas* 365. *paupertas & concordia*
*Tullus Attius* 305
*Tullus Hostilius* 97
*Tulli Hostilii obitus* 98
*Tutula* 193
*Tycha* 418
*Tydeus* 285
*Tyndaridæ, anaces vocati* 17. *Athenis, sacris initiati ibid.*
*Attica bellum inferunt* 17
*Tyranni cadendi lex* 140. 148
*Tyrannis* 116. 338
*Tyrrhenia eadem, quæ Etruria*
*Tyrrhenum mare*

## V.

*VAleria* 144
*Valerius Flaccus* 257
*M. Valerius, Poplicolæ F. de Sabinis triumphat* 145. *ejus honores ibid.*
*Vaticinium Themistocli datum* 267

*Vejentium contra Romanos bellum* 42
*Vejorum obsidio* 176
*Velabrum* 28
*Velatura* ibid.
*Velitra* 199
*Velitra colonia* 299
*Venusea* 424
*Venus Epitragia* 8
*Venus Thesei adjutrix* ib.
*Veronia* 89
*Vestalium ignis* 186. *institutio* 41 *institutor Numa* 88. *numerus* 89. *privilegia* ibid. *sacra* 186. *supplicia* 89
*Veterum sapientia* 2
*Veturius Mamurius* 91
*Vicinus* 162
*Victoria Romanorum de Sabinis* 146
*P. Villius* 499
*Virginum disciplina Romæ & Spartæ* 100
*Viridomarus* 410
*Virtutis contemplatio* 205
*Vliades Samius* 450
*Volesus* 35
*Volsci à Romanis vincuntur* 297
*Volumnia* 295
*Vopiscus* 299
*Vtile ab honesto discernendum* 495
*Vultur, innocens avis* 31
*Vulturum augurium & natura* ibid.
*Vxorum communitas Spartæ* 100
*Vxorum disciplina Romæ* 101

## X.

*Xanthippus* 158
*Xanthippus Periclis pater* 20. 227
*Xanthippi canis* 459
*Xenocles* 214
*Xenocrates* 505
*Xerxes salaminia pugna otiosus spectator* 159. *ut Græcia ejectus* 411
*Xerxis copiæ navales* 160

## Z.

*Zaius Thebanus* 397
*Zaleucus* 84
*Zacynthus insula* 501
*Zeno Eleata* 208
*Zeuxis* 213
*Zoroaster.* 84.

INDEX

# INDEX RERUM ET VOCABULORUM, QVAE IN ANNOTATIONIBVS INTERpretis allegantur & explicantur.

Secuti sumus ordinem Latini Alphabeti, in accommodandis & collocandis Græcis vocabulis: quod id commodius videretur, & consueto nostro ordini conveniens.


Ἀγειράχαι quid 260
Aemilius Mamercus 104
ἀχάλινος ἰύχη 201
ἀχερὶς 261
ἀλλάντια ab interprete relicta 53.29
ἀγώγιμος 131
ἀναγνεία 455
ἄνεῦ quid 377
Alcibiades quomodo Pericli cognatus 288
Alcmaeonidæ qui? 287
Alia. Allia 237
ad Aliam fluvium quando pugnatum 201
Amiotus reprehenditur 104
ἀναγάιος χάσμος 292
ἀναπάτειν 347
ἀναοχίαι 321
anteyræ 345
Antonius Muretus redarguitur 131
ἀπαπάτειν 347
apheta 173
ἄπιος 261
Archon 231.233
ἀργυραμοιβὸς 429
ἀρδεῖν 380
Aristea fabula 53
Asconis locus 201
ἀσφάραγοι 21
ἄσπις 496
ἀστεῖον 348
Astu, ἄστυ 24
Athenæ stratopolis quare vocentur 22
ἄτης, ἄτις 104
Aurum conflatum quid 100
αὐθομοτία 348

*B.*

Ban cum C consonante affinitatem habent 200
βάραθρον 454
βαλανεὺς 150
βεῖφι ἀπαθολιμεῖαι 53

*C.*

Caeremonia unde dicta 203
Casander unico S. scribendum 487
Cato an literas Græcas in senectute didicerit. & quid per literas Græcas intelligatur 480
Ceus insula 173
χειμὼν 201
χεῖρες ἀνατεῖναι 80
χιλίαρχοι 290
Cicero à Plutarcho dissentit 479
Ciceronis hyperbolæ 455
Ciceronis locus expenditur 430
Cimon an universis Atheniensibus cænas præbuerit 232
Colias 130
Contemplatio, θεωρία τοῦ νοῦ 229
Cubitus 387
Cynosarges 172

*D.*

Δαῖχος 454
δελφάκιον, σιμάκιον 230
Delphinium 22

Demetrius unde Phalereus dictus 23
Denariorum æstimatio 259
δεισιδαιμονία 81
δεισιδαίμων. ibid.
Διαλαμβάνω, Διάλυσις 197
Diana Orthia ara 80
Διατριβή 345
Dicæopolis 232
διξοδίαι ἰατρεῖα 260
δημαγωγοί, oratores 203
Tribuni 204
δῆμος quid significet 230
Dionysius Halycarnassæus reprehenditur 52
Dionysii locus castigatur 53
Discus genus lusionis 231
Donati lapsus 291
δορύξοος 405

E.

Ἔγχος 230
Ἕδος 235
εἴδωλα Democriti 373
εἶξις apud Demosthenem quid 91
Eleaurbs 382
Elementis 24
Elicius Iupiter 105
ἐλίσσω, ἕλιξ, ἀστὼ 345
Embolæa 81
ἔνδεσμα 50
ἐνδέχεται ibid.
ἐντευφιάδαι 20.
Ephemerides 479
Epheta 132
ἔπικλησις ibid.
Eponymus 232. 453
Erasmi lapsus 33. 377
ἐργαστήριον 405
ἐπιρεία 454
Eurypontidæ seu Eurytionidæ 78
Euripides castigatur 331
εὔλεχον 373
ἐξωμίς quid 478
ἐξωμίδιον 379

F.

Fabii unde dicti 217
Fabius Æmilianus à quo sit adoptatus 375
Fecialis unde appellati 105
Femoris percussio 209
Feria Latina 205
Firmum 478
Flaminius alius est à Flaminio 513
Frontem ferire 307

G.

Γαῖοι, γιγνοὶ 260
γαμήλιος 233
Gellius emendatur 479
γενεὰ, liberi 348
Gerastus 202
γιγράφη τὸ γίγραπται 455
Gesata 429
Gesum ibid.
γινώσκειν, cognoscere fœminam 50
γραμματεῖς 481
γραφὴ ἀσεβείας 237
Guarinus reprehenditur 257. 434.
γυνὴ ἐπίκλησις 232
γυνὴ ὑπανδρος 405

H.

Heraclidæ qui 71.

I.

Ἀγχοῦ 203
Ianus quoties clausus 106
ἱερεῖ γραμματεῖς 481
Ino pro Leucothea & Matuta 200
Isocratis locus emendatur 288

K.

Kalendæ Græcæ quæ 51
καλλιτεχνῶν 380
κατάσκοποι, κατάσκοπος 381
κνήθης 253
κοιλὴ χώρα 516
κόπις. κόπτις 203
κόρη 175
κορώνη 130
κρεοδαισίαι 79

Lamy-

L.

LAmyrus 319
Lapus reprehenditur 21.22. 25.51. 53.79.105.107.129.130. 132.151.204.234.236.
Lathyrus 319
Laurium 173
Lexicum corrigitur 230
λήμη quid sit 232
Litare 380
Litera Graeca pro disciplinis, non pro lingua accipienda 480 & seq.
Livii locus 260
Livius emendatur 321
Livius & Plutarchus conciliantur 259.260
λόγος 374
λογοποιεῖν 377
λοιδορία 289
Lucani locus explanatur 51
Lycurgus quo tempore vixerit 77

M.

MAχαιρα 21
Magistratus Romae 373
Marcellus unde dictus 428
Marcialis epigramma explicatur 348
Martius mons 204
Melita 174
μελλιέρην 80
Mercedonius mensis 105.106
μεσάγκυλον 496
μετοίκιον, μέτοικος 515
μιαιφόνος 406
Miliare, octo stadia ad primum lapidem, idem 203
Miliare tertium, miliare quintum ibid.
Millia aeris 259
Mnaso cognomentum Romanum 374.

O.

OY consonantis loco an scribi possit 200
ὀαρίζειν 23
ὀβελίσκος 261
οἶον 232

P.

PAralus navis 24
παραβάτης & παραιβάτης 378
πάθος quid 229
Pausanias castigatur 495
Pediaei 130
πεντέλη 130
πενθερὸς 233
Pericles quando floruit 229
Pericles Cephalegeretes dictus per jocum 230
Periclis genealogia ib.
περίπολος 292
Petrus victorius excusatur 131
Philosophia excellentia 347
φρῆτρα 405
φρουρὰ 406
Plato emendatur 234
πλέθρον, jugerum 379
πλινθίον 204
Plistonax 81
Plutarchus emendatur 20 24. 50.52.78.80.104.106.133.151. 147.204.235.237.257.261.291. 292.319.348.429.497.515.
Plutarchi μνημονικὸν ἁμάρτημα 201.248
Plynteria 293
Polemarchus Athenis qui 233
πολίαρχοι 290
Polybii scripta 498
Polybius castigatur 4 7
Posthumus unde dicatur 151
ad Primum lapidem, quid? 203
Problemata in Geometria quid 431
Prognostica defenduntur 231
προγράφειν τῆς βουλῆς 516
προπύλαια 235
Proverbium de pugna apud Sagram 381
Prytanes Athenis 237
Pythagoras Numa multis saeculis posterior 103
Pythium 379

R.

Raphael regius reprehenditur 78
Regum Macedoniæ genealogia & successio 376
Rex Athenis qui dicatur 232
Rhombus 24
Roma a Gallis capta quando 199

S.

Sagra fluvius 381
Salaminia navis 24.291
Satyra 478
Scapheion 105
Sciras 351
σχολὴ 495
Scholiastæ Aristophanis error 237
Scutum 52
Sestertia & sestertii quid differant 258
Signia colonia 150
Sigonius reprehenditur 320
Sinnis vel sinis 21
Solon qua ætate vixerit 129
σοφιστης 231
Sossius senecio 20
Sphacteria 290
στρουθεῖον 478
σπουδὴ quid 514
Stadium 379
σταλικες. Varrè 404
στατὸν 292
στεφανοῦν 346
Stæbe quid 21
Strabonis locus 345
Stroa urbs 406
στρόφιον 454
στρῶται qui 406
Suffragium unde dictum 174
Suffragiis paribus absolvi quid 322

T.

Talentum 261
Tanagra 233
Tius urbs 173
Theoris navis 24
θεωρὸς quis ibid.
θλῶσαι 322
θηρίκλεια 496
Theseus quibus temporibus floruerit 19.20
θέσις quid 26
Thesmotheta 232
Teuthides 174
Thucydides historicus an à Pericle ostracismo coactus sit, controvertitur 233
Thucydides historicus an exilio multatus ibid.
Thucydides non Milesius, sed Milesii F. 234
Thucydides plures fuerunt ibid.
θημέλη 259
θηρεὸς 496
Tolmidas 236
Tribus suffragiis damnari quid 321

V.

Valerii Maximi libri 434
Velaturam facere 51
Ver sacrum quid 257
Virgilius castigatur 347
Vania, genus lusionis 231

X

Ξενοι apud Spartanos 454
ξέφος 203
Xypeta 235
ξυστὶς 293.294
ξυστὸν ibid.

Y.

Υἱὸς θετὸς 20
ὑπανδρῳ γυναῖα 405
ὑπεξαίρεσις 105
ὑπόνια 290

Z.

Zezes commentator reprehenditur 108
ζυγὰ 405

FINIS.

Biblioteka Jagiellońska
stdr0030455